
61
V26f
R

# FRANCISCI VALLERIOLAE DOCTORIS MEDICI

Commentarij in Librum Galeni. De constitutione Artis Medicæ,


*A nemine hactenus editi, & nunc recens in lucem, emißi.*

AVGVSTAE TAVRINORVM
Apud hæredes Nicolai Beuilaquæ MDLXXVI.

# SERENISSIMO, AC POTENTISSIMO PRINCIPI

*Emanueli Philiberto Allobrogum Duci, & Subalpinorum Principi magno militum Sanctorum Mauricij & Lazari Magistro.*

## Franciscus Valleriola professor Medicus. S.



DEI OPT. MAX. Prouidentia factum cernimus (Sereniss. ac Max. Princeps) vt hominis genius ad omnem virtutem factus, & ad vniuersi cognitionem & admirationem tãquam colophon operi mundano additus, semper ad optima quæque, & ea quæ diuinitatem quandam sapere videantur: feratur. Dum diuinitatis suę (vnde originem duxit) conscius ea perpetuò meditatur, quæ animo perspecta atque intellecta & animi in homine, celsitudinem, & Dei admirabilem in eo potentiam planè demonstrent. Eò fit, vt scientiæ cupiditate expleri nunquam satis animus possit: quòd dum noua semper perquirere & indagare studet: dum ampla rerum cognitione potitur, tum prærogatiua quadam singulari se proximum esse Deo existimet diuinitatemque quandam in hoc terreno carcere assecutus. Sapere enim & intelligere, diuinæ quædam mentis humanę dotes sunt, ab summo Deo quasi diuinitatis igniculi quidam in ea inserti. Hæc maxima Dei prouidentia est, hic bonitatis suæ splendor, hęc admirabilis summæ in eo potentiæ declaratio, hominem suæ diuinitatis participem, virtutum & scientiarum multiplicium ornamentis affecisse. Ob id scitè admodum ueteres tum Philosophi, tum Poetę, Mineruam Sapientię & bonarum artium Deam, ex Iouis cerebro, sine matre procreatam finxerunt. Illud vt eo commiento significare vellent, bonarum artium disciplinas humani ingenii inuentum non esse. Sed ex Iouis cerebro, hoc est, in exhausto diuinę sapientię fonte in humanum usum esse depromptas. Dea hęc peplo (hoc est candidiss. veste aureis distincta clauis) induta visitur. Cuius candor diuinę bonitatis simplicitatem exuberantiamque (vt Lactantius scribit) præmonstrat. Auri internitentis splendor, summę atque intimę illius sapientię vim fulgore nitentem tacitis rationibus signare uidetur, iis præcipuè qui Platonicę Theologię archana non illotis (quod aiunt) manibus tractare norunt. Virgo creditur (inquit Ponticus Heraclitus) quia ἄφθονον ἀεὶ τὸ φρόνημα, id est nunquam consenescit prudentia, nec vlla inficitur labe. Porrò rei militaris pręses Dea hęc existimata est. atque ob id Aegide & hasta formidabilis apparet. id vt indicetur, in re militari non solum fortitudinem & animi robur; sed & prudentiam prouidentię iunctam & sapientiæ, requiri. Sed quorsum de Pallade tanta? In id certè (Serenissime Princeps) vt eius imaginem in tuarum uirtutum aceruo atque in te ipso translatam totam spectare omnibus qui te norunt liceat. Siquidem tu (Optime Princeps)

ceps) prerogatiua quadam singulari ab summo Ioue summam quoque sapientiã es adeptus, qua populos tibi subditos admirabili prouidentia quadam regis: fe-
liciterque gubernas. Candoreque animi (que tua vestis est aureis distincta si-
gnis) omnibus te spectabilem, omnibus suspiciendum & admirandum prebes.
Et inter summos Principes, ut aurum inter metalla uirtutum aureo fulgore ni-
tes. Equidem (Dux inuictissime) cum gloriari id de te tuo iure posis, quòd Op
timi, Maximi, Prudentissimi, ac sapientissimi vt nomen sic quoque rem teneas,
merito sanè tuo te suspicere, colere, ac admirari omnes bene nati homines de-
bent. Et quanquam nihil est ferè quod vel à natura, uel à virtute, vel à fortu-
na sit expectandum, quin cumulatissimè ea omnia consecutus sis: & iampridem
eas res gesseris artibus pacis & belli, quę nomen tuum ęternitati commendare
meritò possunt. Hinc tamen opinione omnium bene sentientium fructum om-
nis anteactę vitę tuę maximum cępisti, quòd qua ratione constituere Rempub.
te dignam posses, hoc est pacatam, moratam, conspicuam, literis ac disciplinis
florentem, in admiratione omnium positam, prudentia tua & sapientia, effeci-
sti. Effecisti inquàm, vt non minus bonitate & prudentia quàm armis & poten
tia (cum in utroque excellas) te parem esse omnibus testatum faceres atque com
pertum: Nam ea omnia quæ gessisti, vt per se magna sunt, & immortali memo-
ria digna: sic eximium hoc tuum factum, quo Academiam hanc Augustæ Tauri-
norum illustrem tuam viris ornare & celebriorem in dies (cum sit ipsa tamen
tuo ductu celeberrima semper) reddere conaris. non in postremis sed in maxi-
mis esse habendum optimi quique ac prudentiss. arbitrantur. Gesserunt qui-
dem Romani rem suam tam preclarè, vt nihil addi posse videretur: sed quandiu
vixerunt, sibi tantum vixerunt. Tu autem (Optime princeps) posteritati pro-
spiciens, & pluribus in futurum seculis prouidens, ex cogitasti, quo nam pacto,
beata in perpetuum Respub. tua permanere posset. ratione inuenta, vt quam-
plurimi bonis & moribus & disciplinis ornati florere idonei Reip. Gerendæ ac
gubernandæ possent. Hoc est (Serenissime Princeps) nomen immortalitati da
re. Hoc patriæ patrem agere, Hoc principis optimi partes implere, Hoc de-
mum in officio esse. Rara sanè & visenda Patris tui, summi & Inclyti Principis
fœlicitas: filium genuisse, que m ob ingẽtia facta: ob eximias virtutes Gallia om
nis, Italia, Germania, Hispania, Christianus denique orbis, & obseruet, & admi
retur, & summis in cœlum laudibus tollat. Macte virtute EMANVEL (quod
est nobiscum Deus) tu populis tuis Deus esto, vt tecum Deus, mortales virtute
tua iuua omnes, siquidem Deus est (vt ille dixit, iuuare mortales, & hac itur ad
astra uia. Hoc ipse per te facis, hoc præstas, id studes, vt omnibus prosis, noceas
nemini: omnia in te insunt ea quæ beatum & verè principem efficere possunt.
Nam quis te vno uel bello, vel pace clarior? Quis Augustior? aut fortunatior?
si bellica tractanda sint, quis te solertius castris locum capiat? commeatus ex-
pediat? Hostem ludificetur? pugnæ tempus eligat? Aciem instruat urbes
obsidione cingat; Neque verò partes Imperatoris, & optimi ducis imples, mili-
tis non imples. Nullum tibi castrense munus sordet, non stare pro signis, non ex
cubias agere, non vallum ferre, non speculatum ęgredi, primus inire pręlium, po
stremus excedere. Vtrumque iuxta doctus, opere militem, consilio ducem age
re. Nullam tibi uel principalis fortuna, vel celsitudo dignitatis functionem re

mittit

mittit. Nihil tibi parcis, nihil blandiris, indulgentissimus cæteris: tibi nimis seuerus, imperatoriũ hoc esse munus existimas, vt opes, & magnitudinem tuam, non ad ambitum aliquem priuatum, sed ad commoda, ad salutem Reipu. conuertas. Atque hæ bellicę tuæ virtutes, ut in te præstabiles & eximiæ sunt, sic nec dignè quidem satis pro meritis à quoquam vel eloquentissimo explicari possunt. Attingantur iam pacis artes, quæ & semper & vbique sunt vsui, Sapientia, Temperantia, Placabilitas, Prudentia, Innocentia, Religio. Et cetere omnes, quæ in te uno tam preclarę, tam eminentes & sunt. Et perhibētur, ut ne in ullo quidem plures aut illustriores, desiderari posse uideantur. Neque uerò postremum inter laudes tuas posuerim, quòd litteras, & ingenia tam impensè diligis: quodque bonas artes, non foues modo, sed constituto tam celebri Gymnasio, omni tua cura, atque studio, ita alis ac promoues, ut INSTAR OMNIVM, Vnus tu esse videaris. Quod diuinitus in numismatibus tuis inscriptum esse uidetur. Regium sanè & hoc decus, & te tanto principe dignum, in quo summos Illos priscę nobilitatis principes, Philippum macedonum regem, Alexandrum eius filium, Ptolomeum Philadelphum Aegypti Regem, Cęsarem Augustum, Traianum ex Romanis: ex Gallis, Carolum magnum: ex Hispanis Ferdinandum Arragonium, ex Germanis, Fridericum & Sigismundum: ex tuis uero Amedeum illum septimum & Ducem & Pontificem Max. imitatus esse uideris. Qui omnes ut publico prodessent, & nominis immortalitatem consequerentur, magnis propositis honorariis, & celeberrimis vndique conquisitis uiris Gymnasia publica instituerunt. vt in eis bonarum artium atque disciplinarum cultu Ali iuuenum ingenia possent. Hos tu (felicissime Princeps imitatus, immortale tibi nomen peremnemque gloriam comparasti. Hęc tibi Palma, hi Triumphi, hęc tibi trophea immortalia erunt, si barbariem omnem, si inscitiam, rusticitatem, caliginem omnem, & ignorantię tenebras (teterrimos hostes) a finibus tuis uirtute tua depuleris. & in eorum locum, cultum omnem, castum morem, scientiam, & disciplinam (quod ipse per te facis & ingenuè curas) suffeceris, ut quasi mutata rerum facie lux omnis appareat, sintque rediuiua per te aurea secula. Quod cum spontè ac liberè facis, qui Senatum Amplifs. atque sapientiss. regendis subditis tuis & iuridicundo, ex lectissimis senatoribus constituisti. Et Academiam hanc Illustrem tuam, uiris ac doctrinis florentem, foues, amplificas, & alis: Quid non putes tibi glorię, famæ, splendoris ac gratiæ non apud homines solùm, sed apud Deum etiam accessurum? Qui cogitationes tuas omnes, sollicitudinem omnem. Et curam in eo ponis, ut per te clara iuuentus floreat, ut in frugem emergat bonam? Tu sator, Tu agricola optimus. Qui tam bonam sementem, uirtutes ac disciplinas in terram tuam iacias, iactam fouere gratia tua & uelis & scias, vt inde optatum & vberem fructum (ingeniorum prouentum) colligere, magna tua gloria, magna nominis tui commendatione possis. Hoc est beatam Rempub. efficere (vt Plato dixit) cum principes (ut tu cumulatè pręstas) sapientię student, & ut plures sapientes fiant omni suo conatu atque studio nituntur ecquam tibi gratiam referent (Excellentissime Princeps) qui per te ad summa virtutum & disciplinarum fastigia euecti in summo & laudis & glorię gradu inter proceres tuos consistere in primis audebunt? laudes ipsi tuas ad astra ferent, immortalitati nomen dabunt, teque vti Deum quen-

 dam


dam tutelarem, colent, suspicient, venerabuntur. nec vnquam tuorum in se benefactorũ vllis seculis obliterari memoria poterit. Perita igitur EMANVEL. Deùm proles, & in hoc tam sancto, teque digno labore ne te desere, sic enim fiet ut nationes omnes, quacunque patet orbis, te celebrent, te unum prędicẽt, & patrię patrem, disciplinarum vindicem, morum assertorem, atque uirtutum asserant. Et te cumulatissimis honoribus prosequantur. Narrabitur tua in primis prudentia posteris, narrabitur consilium, narrabitur liberalitas & studium in prouehendis ingeniis tuum. sed pręteritis his laudibus tuis quas propter te clarissima uoce tua reuocatus inuitus desero, (cum eas nemo quisquam uel eloquentissimus explere satis pro merito ac dignitate possit) ad ea quę instituti mei sunt propius oratione mea accedam. Ego quidẽ (humanissime Princeps) cum ab ineunte ętate philosophię ac medicinę studiis totũ me addixissem, nullũ vitæ genus beatius arbitratus, quàm quod esset in literas impensum, probeq; accommodatum, id omni meo studio, omni mea cura atque industria prouidi & caui, ne in disciplinis comparandis inanem ipse operam impendisse videri possem. Atque cum dei benignitate, conatus adiuuante meos, viderer in eis disciplinis eos fecisse progressus, ut & aliis prodesse priuato meo labore possem. Et rei literariæ nostræ consulere, in animum induxi commentationi authorum curam omnem impendere. Ex quo studiorum genere cum multa iam in lucem edidissem, quæ lęta fronte ab studiosis medicinæ excipi viderem, nec sine genio ab eruditis tractari: Desistẽdum mihi ab hoc officij genere minimè putaui, quin in eo cõstãter perstarem & (vt in stadio currenti) metam attingerem. Itaque cum iandiu commentarios in libros de morbis & Symptomatis: ac paulò post Enarrationũ, Locorum medicinæ Cõmunium, & Obseruationum ac de curanda Peste libros emisissem: Cernerem q; in eam Galeni partem quæ de Medicinæ artis Cõstitutione mirabili artificio conscripta est, nemině adhuc (quod sciam) manum admouisse, cum tamen liber is vniuersam artem resolutoria methodo complectatur: dignum duxi luculenta interpretatione (quantum quidem mihi per ingenij mediocritatem mei à Deo tributum est) opus tantum explicare: & obscuros in eo locos, atque difficiles (qui non pauci in eo sunt, planos & peruios reddere. Quod sum sanè summis laboribus & peruigili cura consecutus. Nam è proma cella mea (qualiscunque tandem ea sit) non ex aliena hauriẽdum mihi fuit quicquid ad operis expositionẽ congruere videbatur: non enim ex aliorum scriptis, sed ex his quæ idonea ad hæc mihi mens suggerebat commẽtarios hos concinnaui. Cur autem id quicquid est operis Augustissimo tuo nomini consecrare sim ausus, plures eæque iustissimæ causæ fuere. Primùm quòd cum tu me (Clementiss. Princeps) è intima Narbonensi Gallia, In tuam hanc Augustissimam ditionem quæ tua summa fuit erga me humanitas, & præiudicata quædam de me opinio & cum opinione iudicium, in id euocaris vt in Academia hac illustri tua, aliquem ad publicam vtilitatem locum tenerem (quem tu sanè Dux Inclyte) primarium mihi tua gratia, non merito vllo meo contulisti, vt in Ioannis Argenterij demortui, viri summi ac singularis locum sufficerer) committendum mihi non putaui, vt in tam illustri loco positus, non aliquid à me accederet, vnde tu cõiicere rectè posses me, si non ornamento, vsui tamen & commodo, aliqua ex parte Academiæ tuę huic nobili esse posse. Quam ipsam scriptis ac

 moni-

monimentis meis quantum mihi à Deo peruitę indulgentiam concessum fuerit locupletabo: atque omni mea cura atque studio præstabo, ut professioni meæ atq; officio in hac tua Academia prouehenda nunquam desim. Quę ut omnia glorię tuæ cedant: teque assumptionis meæ peniteat nunquam, ipse per me effi ciam atq; curabo. In id ego nunc quæ peperi rei literariæ monimenta, tibi summo & optimo Principi dicare, & sub tui nominis splendore in lucem emittere bona tua gratia in animum induxi. Quin & altera sum nec iniquiore ad id ratione inductus, quòd congruere maxime videbatur, ut qui de constitutione artis à summo autore Galeno esset conscriptus liber, ei item principi deberetur qui & summus ipse esset, & optimè constitutam Rempub. ditionem omnem suam haberet. Cumque tu (Illustriss. Princeps) is mihi præcipuè visus esses in quo harum virtutum lumina elucerent, minime veritus sum id quicquid esset operis a me elucubratum, tibi max. Principi nuncupare persuasum habens, non ex muneris exiguitate, sed donantis potius voluntate & animo (qui in tuam celsitudinem propensissimus est), esse te pro tua humanitate officium hoc meum æstimaturũ. Hę me rationes impulerunt (fortissime Heros) ut mea hæc tenuia & chartacea munera offerre tibi pia mente, & deuotissimo animo (tui nominis splendore mi nimè deterritus) auderem. Efficit enim animi tui candor suauitas, & perspecta omnibus bonitas, vt id a quo pudor me reuocabat, intrepidus aggrederer: id inquàm, ut recentem hanc meam fœturam, magnis à me laboribus elucubratam sub tui Augustiss. Nominis tutela in publicum exire finerem. vt hac ratione gratiam tuam demererer, & me haud omnino ineptum in eo explendo officio, quod à te mihi impositum est declararem. Quæ cum specto, mecumque cogi to, dignitatem hanc publicè in schola hac tua percelebri profitendi à te mihi delatam per literas, & eas literas quibus ut nihil humanius, ita nihil posit esse ornatius, quantum sit intelligo quod tu mihi humanissime detulisti: & quod à me tibi debetur. In quo tuendo augendoque rebus his que significationẽ habere poterunt obseruantiæ in te meæ, ac pronę propensęque voluntatis (quę iussis tuis parata semper et expedita erit) partes meæ non desiderabuntur. Tu velim existimes EMANVEL Princeps, nihil me aliud quicquam in oĩ uita co gitare, nihil aliud pensi habere, quàm vt me tibi omni officio probem, & in sinu tuo gratiosus conquiescam. Deus Opt. Max. celsitudinem tuam. Omni beatitudine florentem, honoribus & Trophęis ornatam, fartam tectam, & incolumen diutissime seruare velit. vt per te virtutum ornamenta foueri & incrementa in dies maiora suscipere queant.

# D. PHILIBERTI PINGONII IN SECRETIORE Serenifs. Principis concilio confiliarij, & relatoris primarij iurifconfulti doctifs.

*Ad Lectorem.*



*Aturæ; non Artis opus, Medicamina Quondam.*
*Credita: Naturam Præuia Fata necant*
*Ars Potior remanet, Natura Renafcitur Arte*
*Quod latuit Seclis, Pergama fcripta docent.*
*Ergo Galeniacis referas te viuere fcriptis*
*Perque Valeriolam fcripta valere putes.*

## Rodomontis Germoni Sallenfis Philofophiæ ac Medicinæ Doctoris, ad Francifcum Valleriolam Medicum Præftantifsimum Carmen Saphicum.

*Audiat Coelum, mare, Terra, & Aer,*
*Iam tuas laudes, meritosq; honores.*
*O Decus noftræ patriæ, tuæq;.*
*Gloria Gentis.*

*vidit haud unquam exoriens cadensq;*
*Sol uirum tantis ftudijs refertum,*
*Nec bonas artes tot adeffe quifquam.*
*Credidit uni.*

*Tu potes folus Ciceronis artes.*
*Tu uales Carmen Celebris Maronis*
*Solus & Romæ fapienter idem.*
*Gefta docere.*

*Plus docet artes Iuuenum fenemq;.*
*Quas tibi conceßit Apollo facras.*
*Artium primos nec habet fecundos.*
*Alter honores.*

*Quid uiget Coi, uiget & Galeni,*
*Qui facis clarum ratione nobis.*
*Sed labor præfens micat inter omnes*
*Nomine magno.*

Huic

*Huic enim lucem pariter dedisti,*
*Primus: hæc sit laus igitur Magister*
*Nunc tibi soli quam abolebit unquam,*

*Nulla uetustas.*

## D. Francisco Valleriolæ Medico Magno, Francisci Fortij Epigramma.

*Quis tecum Deus? O quisnam fuit ille Deorum*
*Qui tibi Naturæ prima elementa dedit?*
*Crescere qui potis es tantus? (res mira) putaris*
*Qui factus Genio grandior ipse tuo.*
*Pone tibi metas Naturæ, pone recessus*
*Astrorum, & quicquid Medicus esse potest.*
*Et quæ Pergameis confusa ambagibus extant*
*Tectaque concisis sensa profunda notis*
*Unicus è coelo cecidit, non tertius Heros.*
*Cui nec Mercurius se putet esse parem.*
*Quis nouus Archimedes? Naturę filius, artis*
*Constructor, qui sic temperat arte lyram?*
*Rerum & fatorum rarusque interpres Olympi,*
*O par magnanimo Dextera menque deo.*
*Gratulor ecce tibi mea Gallia, gratulor inquam*
*Vera nitet Franci gloria lausque soli*
*Quem colit Italia, Aerijs ceruicibus Alpes.*
*Et Padus, & quicquid Maximus orbis habet.*

## Eiusdem Francisci Fortij Iurium Doctoris ad Eundem D. Franciscum Valleriolam Medicum Clariss. & apud Augustam Taurinorum Professorem Primarium Epigramma.

*Excultum teneris animum tibi Phebus ab annis.*
*Fouit: Et Aonia sæpe rigauit aqua.*
*At (uenerandæ senex (medica nunc primus in arte.*
*Diceris: ut non sic clarus Athlantiades.*
*Hos, Hos, virtutum stimulos; hęc semina laudum.*
*Virtutisq; dedit penna beata tibi.*
*vt moriare tamen, remanebit fama superstes.*
*Magnaq; sic fugiet pars Acheronta tui.*

*Illustrans,*

*Illustrans, Narrans, Obseruans, Constituensq;.*
*Ingenio uiues, cętera mortis erunt.*

## Nicolai Valleriolæ Autoris Filij Philosophiæ, ac medicinæ Doctoris Ad Lectorem Carmen.

*Vt Cœlum Phœbus Purgat caligine nigra,*
*Soluit & obscuram radioso lumine noctem,*
*Vt Cœlum Boreas infenso liberat imbre,*
*Sicq; fugant crassam isthęc commentaria nubem,*
*Sic ingressus adest: non amplius ostia clausa,*
*Non tenebræ, non uenti, imbres, nullæq; Procellæ*
*Nam hoc opus & nubes, uentos, imbresq; Procellas*
*Discutit, infringit, Siccat, Placatq;, Galeni.*
*Dogmata: quæ cunctis nobis abstrusa uidentur.*
*Quid superest ergo? ni dicas candide lector,*
*Nestoreos homini huic concedat Iuppiter annos.*

## Ad excellentiss. Philosophum ac Medicum D. Franciscum Valleriolam vbertini Galiardi Albensis Carmen.

*Marmoreas moles, & ferrum marmora iungens,*
*Tempus edax delet, se quoque tempus edax.*
*At tua plus lapide, & ferro plus tempora dura,*
*Fama cadet vix, cum sydera celsa ruent.*

## Ad D. Franciscum Valleriolam medicum Clariss. Et apud Augustam Taurinorum professorem primarium Epigramma.

*Valleriola decus Parnasi montis, olimpo*
*Missus, quo tractet munus Apollineum.*
*Et merito, quoniam medicas ab Apollinis ore*
*Artes edoctus, mira docere potest.*
*Exeat in lucem ergo, Commentarius iste*
*Cunctis optatus Valleriola tuus.*

# QVAESTIONVM MEDICINALIVM HOC OPERE CONTENTARVM INDEX.


quadam

# IN COMMENTARIOS AD LIBRVM DE CONST. ARTIS GALENI PRAEFATIO, AD MEDICINAE STVDIOSOS

Eodem Francisco Valleriola Autore.



CVm omnia quæ natura genita sunt, Quæq; ui naturæ in lucem prodeunt, propagatione & cultu seruari, & ab interitu vindicari noua sobole, naturæ lege constitutum sit. Efficitur, ut hac seruata lege & quasi renouato in dies semper literarum serie, Immortalitate donari disciplinarum dogmata cõspiciamus. Quæ alioqui aut neglecta, aut vetustate consumpta interitura essent. factum inde est, ut assidua in literis ac disciplinis bonorum, ingeniorum cultura, disciplinarum semina quasi rediuiua facta nouam ueluti faciem ac formam accipere videantur. dum videlicet vnusquisq; bene in literas affectus ingenij vires in eo exerit omnes, vt nouæ prolis fætura; seminio bene posito, in uberem segetem disciplinarum iacta semina fœcunda proueniant. Hoc sanè agricultoribus solemne esse uidemus, vt effætas plantas rudeq; solum pastinatione, fossione, irrigatione, & cætero omni cultu lætificent. In id scilicet, ut solo bene culto atq; subacto, fructus nunquam desit. Atq; eo culturę genere id consequantur, ut quo ad fieri maximè potest perenne id & propè immortale propagatione efficiant, quod alioqui incultũ atq; neglectum breui esset tempore periturum. Quòd si in caducis rebus quas modo vitæ mortalium aliquid frugis adferre posse, speramus, tantum laboris & operæ impendimus, vt nos ipsos penè fructus cuiuspiam eliciendi & cõmunicandi amore conficiamus, (vnde alius agrum, vinetum alius aut hortum, mira & incredibili diligẽtia colit: assiduosq; seminum iactu lætificat, in quo quæso magis nos omnes (qui Apollini & Musis sacra facimus) exerceri conuenit, quàm ut assiduo improboq; labore, ita seminarij hoc virtutũ ac disciplinarũ mentibus nostris diuinitus insitum excolamus, vt culturæ ratio fructus elegantioris prouẽtu conspicua fiat. Quo cum nihil ad dignitatem hominis amplificandã illustrius, nihil ad vitam in vniuersum honestandã accõmodatius, aut ad famã cõparandam aptius haberi possit; Quid est cur ad hunc scopũ non omnes quicunq; sacræ Philosophiæ manus dedimus animum mentemq; conuertamus? In id toti simus, vt hac maximè laudabili inter omnes exercitatione nomina nostra Immortalitati demus? Hac vna itur ad astra via. Sed quid impedit quid in mora est, quòd paucissimi in hoc veluti stadiò currant & alia via progrediantur? Diuitiarum scilicet inexplebilis amor, & auri sacra fames: famæ neglectus, & gloriæ pro nihilo habita cura: quæ cuncta à recto tramite transuersos homines agunt, ac prorsus quominus quæ recta sunt, q̃ honesta, quæ laudabilia minus animo cernãt. Hinc illud Galeni, quj diuitiarum. Et inanis gloriæ cupiditate tenẽtur, ij nulla in re verum perspicere queunt. Et subdola boni specie irretiti longissimè à recto deflectunt. Contra verò, qui animum ad virtutem, ad literas, applicarunt, In id vt famam inter mortales & gloriam consequantur: ij in disciplinis augendis atq; locupletandis solida quadam ac intenta mente toti sunt. nihil non leue putantes, modo in disciplinis vigeat mens, modo aut in inueniendis theorematibus aut inuentis ipsis cum dignitate explicandis insignem operam ponãt. Hic in literas, affectus, & in propagãdis disciplinis amor atq; cupiditas, plurimos insignis notę viros ad varia pericula & damna perferenda; ad graues & difficiles obeundas peregrinationes, difficilimas & inuias prouincias adire induxit. Hinc Homerum, Hippocratem, Platonem, Pythagoram, Galenum, Democritum, Empedoclem, Anaxagoram, Apollonium thyaneum, & plerosque alios Aegyptum, extremos hominum Garamãtas, Indos, Babilonios, Persas, discendi studio magnis difficultatibus adijsse legimus. Nos

verò

verò quid in ſordibu s? Quid in cœno iacemus? cur nō in ditanda atque ornanda literis & virtutibus mente animum intendimus? Si quidem, cum, uideamus terram ipſam graue & inſenſile elementum, ſuſceptum in ſe ſemem fouere ac multo cum fœnore elicere, atque colono ſuo referre; Nos noſtri officii hoc ſuo ſeminis conceptu ac partu admonere planè videtur. Quomodo enim non turpe ſit ac homine prorſus indignum? vt cum terram videamus ſeminibus grauidam, maiore quàm acceperit menſura accepta ſemina reddere. Nos, quæ à Deo parente omnium accepimus virtutum ac diſciplinarum ſemina, torpore, neglectu, deſidia dilabi ac perire ſinamus. Hoc ab animo bene inſtituto alienum omnino eſſe debet vt cuius in eo poſita ratio omnis ſit; Vt ſeminarium hoc virtutum ac diſciplinarum, quod ab omnium bonarum rerum autore Deo accepit, ita excolat ac propaget, vt propagationis eius & cultus ratio ad omnes ex æquo perueniat. Et eius agricolationis fructum ſtudioſi omnes ſentiant ea me vna ratio impulit, ut in omni vitæ meæ curſu nihil aliud cogitarim, nihil aliud penſi habuerim, quàm vt mea, qualicunque opera & ſtudio Reipublicæ literariæ noſtræ prodeſſem. In quo vno mihi in omni uita propoſito ſcopo, ita animum adhibui, ut nullum tempus mihi ſine opera aliqua inutile abire paſſus ſim. Si quidem omne Ego id tempus hominibus perire arbitror, quod non aut in diſciplinis promouendis; aut in Republica adiuuanda Impendatur. In eam rem cum neruos ingenii omnes ætate florenti cum eſſem, exercendos duxiſſem (ex quo labore atque conatu, multa nō ſine genio in lucem protuliſſem quæ vſui eſſe poſſe ſtudioſis confidebam) Nolui in hac ætate iam inclinata mea ab officio deſciſcere, ſenilis officij eſſe arbitratus, vt cum corpus conſuetis laboribus exercere minime poſſem, animum ſaltem ſanctis meditationibus atque lucubrationibus occupatum in officio continerem. Siquidem ſenes decet, cum viribus corporis minus valeant, animo magis vigere. Et ea præſtare, quibus in ſenili animo robur ineſſe, bene nati homines exiſtimare poſsint. Eò effectum eſt, vt nunc in hoc extremo vitæ meæ curſu; ne vobis deeſſem, operam omnem meam atque conſilium, impenderem. Iniquum arbitratus, vllam aliquam vitæ partem ab officio ceſſare. Itaque commentarios hos ī librū Galeni de cōſtitutione artis Medicæ à me multis vigiliis elucubratos, vſui veſtro in lucem iam profero. In quibus uniuerſę artis quę de medendo eſt rationes omnes, methodo a Gal. tradita, repoſui atque locaui. non ex alieno pœnu quidquam, ſed ex meo (qualecunque id tandem eſt) omnia promens ea, quæ ad dilucidam atque planam Dogmatum Galeni interpretationem facere videbantur. Non vllius cuiuſquam ſcriptis in ea re adiutus (Nemo enim quiſquam noſtra hac ętate huic operi manum admouit, quod quidem in lucem prodierit præter tabulas quaſdam ab Germano quodam in eum librum æditas;) quæ cum neque autoris mentem cumulate explicent, nec commentarii vice eſſe poſsint; haud ita magni momenti eas eſſe cenſendum eſt. Scio quidem Ioannem Schyronium Medicum ſuæ ætatis omnium longè doctiſsimum, & de medica arte & linguarum peritia optime meritum, vel ſcholia, vel commentarios in eum librum ędidiſſe: Sed qui magno ſtudioſorum malo nunquam prodierint. Primus ego (quod ſciam) vaſtum hoc Mare ſulcaui. in quo omnem adhibui operam, ne quid quam quod uel ad explicandam Galeni mentem, vel ad locupletanda & amplificanda ea quæ conciſè, ab eo in hoc libro & ſub obſcure ſcripta eſſent vſpiam deeſſet. Qua in re ſi veſtro omnium voto ac deſiderio ſatisfeci, palmam ea in re aſſequtus mihi videbor: ſin minus, voluntas pro officio æſtimanda erit. In magnis enim, & voluiſſe ſat eſt, vt ille dixit. Vos autem Medicinæ candidati, hæc noſtra qualiacunque tandem ea ſunt. Leta fronte & parato animo (quo certe damus) accipite maiora in dies ſi vitam mihi ſuppeditauerit Deus accepturi Omnia autem mea in Dei laudem, & veſtros vſus conſcripta, & elaborata uobis grata eſſe percupio. Valete Medicinæ ſtudioſi animo meo chariſſimi.

# INDEX TOTIVS OPERIS IN QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM:

## Alter, Lineam indicat.

### A

Cur

## D



## E



Similitu-

F



G



H

## I



## L



## M



Magi-

N



Naturæ

O



Prin-

## P



## Q



Qui

R



S



Sursum

T



cauſæ,

F I N I S.

# IN GALENI LIBRVM DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICAE.

## Prolegomena.



Voniam hunc librum Claudij Galeni, Pergameni, mediorum vno excepto Hipocrate facilè principis: qui de constitutione Medicine inscribitur interpretandum enarrandumq; suscepi, plurimi autem referre putem, si de libri inscriptione, deque authore ipso, quæ sciri oporteat dixero, vt intellecto totius operis scopo atque argumento (quod ex ipsa inscriptione, & his, q̃ a me dicent, plenè intelligemus) cognitaq; authoris dignitate, pstantia, aut potius diuinitate quadã nos ad illius vitam, ac mores componere, illius doctrinam admirabilem omni nostro studio, industria, cura, atque opera, si non assequi: ad illam saltem contendere, & eniti valeamus. Cum ille plurimum se in medicina profecisse sciat, cui Galenus valde placuerit, vt de Cicerone io oratorijs, Fabius dixit. De inscriptione igitur prius hac lectione, deinde authore ipso dicam. Tum verò de scopo authoris, de ordine, ac methodo quam in hoc libro sequutus fuisse Galenus videtur, deque libri vtilitate verba faciam, inde ad libri explanationem progressurus.

Inscribitur liber hic Græcè, ΓΑΛΗΝΟΥ, ΠΡΟΣ ΠΑΤΡΟ ΦΙΛΟΝ ΠΕΡΙ ΣΥΣΤΑΣΕΩΣ ΙΑΤΡΙΚΗΣ. Quod est, Galeni ad Patrophilum de constitutione medicinę. Qua quidem inscriptione, & libri materia, atque argumentum, & libri author quis nam fuerit manifesta nobis fiunt. *De libri inscriptione.* Constitutio porrò, vt varium nomen est, sic variè quoque sumitur, interdum enim pro bona corporis compage & habitu, vt Gal. lib. de opt. corporis constitutione sumpsit, & Cicero in eo significato est vsus lib. officiorum primo. *Constitutionis varia significata.* Firma (inquit) corporis constitutio. Interdum verò, pro designatione, & institutione rei alicuius, vt idem Cicero libr. secundo de legib. cum ait, Religionum constitutio Reipub. necessaria est. In quem sensum constitutionis nomen hoc loco vsurpauit Gal. quasi dicere velit designationem, & institutionem vniuersę artis hoc libro se edocturum. Quę sanè constitutio, nihil prorsus aliud est, quàm institutio artis vera methodo constans. *Constitutio artis, & constituere artem qd.* Siquidem constituere artem est, cognito fine artis, viam certam inuenire qua ad eum finem peruenire possit. Qui enim vnum aliquid constituere apud se in animo habent, domum, bellum, ciuitatem, Remp. speciem sibi prius vniuersam eius, quod prius proposuerũt effingunt, à qua ceu ab exemplari quodam, conficiendæ rei vniuersam rationem sumunt. Constituere namque artem est, eam ipsam in quam meditate incumbimus, suis partibus omnibus absolutam, perfectamque reddere. Id fiet, cum præcognito fine ea omnia, quę ad eum finem consequendum perducunt, methodo quadam certa, & via inuenerimus. Ac proinde constitutio artis rectè dici poterit, illius absolutio, integritas atq; perfectio, methodo constans, vt hoc proem io testatur Gal. inquiens, vna methodo omnes artes constitui. Quæ sanè methodus a fine artis præcognito proficiscens, omnia inquirit ea atque inuestigat, quæ ad eum finem consequendum, facere satis possunt. Quomodo verò constituere artem quampiam oporteat, nos priore libro de hac ipsa re inscripto docuit eeactè Gal. qui sanè liber cum nobis magna rei medicæ iactura perierit (ex duobus enim qui de constitutione medicinæ libri scripti sunt, solus hic secundus nobis superest) ex his quæ hoc libro edocentur supplenda erunt, quæ nobis ex

priore deficiunt. Sit autem præcipuum caput hoc, quod axiomatis loco habere hac parte vult Gal. & veterum Philosophorum omnium communi assensu probatum, cuiuslibet artis constitutionem a finis notione proficisci: vt tum hic, tum libro primo methodi medendi dixit Gal. Et sic profecto se res habet, vt a finis notione artis cuiuslibet constitutio, ceu a principio pendeat. Nisi enim cognitum finem artis habeas, quo dirigere actiones tuas omnes posses, frustraneus est omnis labor, conatus omnis, atq; studium vanum: Eo enim artifex in omni arte animum intendit, vt finem artis cõsequatur, quem consequi nulla alia ratione potest, quàm si probè prius artis finem cognouerit, & ad eum consequendum, ea omnia methodo certa fuerit molitus, quibus adipisci finis præmeditatus, atque intellectus anima possit. Ergo qui eo certo, atque stato ordine progredietur, is vere artem constituere hoc est firmare, rectam, statam, rationemque construere vere dicetur. Perinde atque qui domum constituere in animum inducit. Primum quis eius ex ædificandæ finis sit consideraт, nempe vt a vento, frigore, imbribus, æstu, cæterisque incommodis domus incolæ tueantur. Quoniam verò eum finem consequi non est, ni prius materiam idoneam artifex nanciscatur qua id fieri probe queat, materiam sibi parat congruentem atque vsibus aptam lapides, arenam, calcem, aquam, instrumentaque accommoda quibus hæc recte parentur, quod vbi nactus est, loco idoneo fundamenta ponit, parietes substruit, lumina facit, ambulationes, cubicula, cænacula tandem contignationem, & imbricatũ superimponit, vt quod animo conceperat (nempe vt homines ab impendentibus malis tutos seruaret: qui finis artis animo conceptus atque intellectus erat) assequeretur. Hoc profecto artem constituere est, fine inquam præ intellecto, cum medijs opportunis, ac congruis nancisci. Sic in medicina quoque. Cum ars ipsa sit, vel Hipocratis lib. de lege, & de arte, & sexto de popularibus morbis testimonio, finem vnum quempiam habet. Cum omnis ars omnisque doctrina (vt Arist. ait) bono pro fine vtantur. Itaque sanitas, bonum præclarissimum, artis finis erit, vt Galenus libro de sectis affirmauit. Equidem cum ars medica a medendo dicta sit, quod est morbos tollere (nihil enim prorsus aliud mederi est) sequitur necessariò vt quod morbos tollit sanitatem inducat, Medetur autem ars medica, Ergo & ipsa eadem sanitatẽ inducet. Est igitur sanitas artis finis. Ex quo præintellecto sic artem ab eo inchoantes fine constituemus. Sanitas cum effectus sit secundum naturam: Eaque corporis affectus sit, corpora quorum est præcognoscere oportet. Sunt autem in triplici differentia corpora. Salubria scilicet, Insalubria & neutra, vt in arte medicinali Gal. Atque horum omnium rursus differentias omnes nouisse expedit, vt vnicuique corpori secundum sui naturam propria adhibere remedia quibus vel sanitas præsens in eo seruari, vel amissa restitui posit. Rursus quoniam sanitas hominis, vel in temperie similarium partium, vel in commoderatione organicarum, vel tandem in vnitate partium tum similarium tum instrumẽtariarum sita est, vt in arte medicinali Gal. omnes corporis partes adunguem medico tenendæ sunt, vt sciamus quonam pacto sanitas in simplicibus organicisq; partibus seruari, instaurari ve amissa debeat. quòd tum in arte medicinali, tum hoc ipso libro facit Gal. At verò quoniam partes fere omnes, & facultatibus, & actionibus preditę sunt, facultates, actionesque omnes tenendę nobis erunt. in id scilicet, vt quæ facultas, quæ actio lędatur scire possimus, cum fieri nequeat vt partis cuiuspiam actio lædatur, illæsa quæ ipsam efficit parte vt libro primo de locis affectis, & septimo meth. med. Gal. itaque & facultates, & actiones partium omnes scire medicum conuenit, sed non hæc solum, sed & amplius quonam pacto lædi, hoc est diminutè corrupteque fieri, aut omnino auferri actiones possint & id quoq; a medico tenendum, tum verò, quę diminutè, corruptæ & ablatę actioni medendi ratio debeatur, & hoc quoque scire medicus debet. Nec verò id sat est, in quæ cuique parti remedia quæ singulis affectibus debeantur probe norit, sed quoniam auferri morbi nequeunt ni eorum differentiæ omnes atque species præcognitę sint (quod affectus nullus curari vnquam possit ni qualis ipse sit præcognitum habeamus, vel Hipocratis testimonio lib. secundo de rat. vict. acut. textu. 38. & Gal. in comentario, tum & lib. Secundo methodi med. aduersus Empiricos inquientis, euerti funditus rationalem sectam, si ignorato affectu curationis facultatem sibi abunde superesse dictitent) sequitur oportere omnes morborum differentias atq; species nosse medicum. Cum verò & morbi omnes, productrices sui habeant causas (cum

Simile pulchrum.

Li. 1. Ethi. cap. 1.

Sanitas, finis artis.

Ars medica vnde dicta, & mederi quid.

nihil

nihil ſine canſa fieri exioma ſit medicum, vt Gal. libr. primo methodi veriſsime dixit) & morbum quoque cauſæ omnes medico tenendæ ſunt. tum præincipientes, tum antegreſſæ, tum & continentes Methodici namque medici morborum cauſas aſsignant, & inueſtigãt, inde præſidiorum copiam coniectantes. II. methodi proditum. cum auferri nequicquam affectus vllus poſsit manente quæ ipſum excitauit cauſa. lib. VII. methodi à Gal. aſſertum. Quoniam verò rurſus morbos ſymptomata ſequuntur velut vmbra corpus, lib. de Sympt. diff. & ſymptomata quoque tenenda erunt. vt illi mederi valeamus ſi quando curam deſiderent. Sed cum nec morbis mederi ſine medica materia, & congrua victus ratione poſsimus, omnis alimentorum, & medicamentorum ratio, quæ in vſus hominum tradita eſt agnoſcenda venit. vt quæ cui affectui remedia conueniant ſeligere valeamus. His ita methodo animaduerſis, & in ordinem poſitis, methodo reſolutoria artis conſtitutio planè firma manebit. hoc ipſum præſenti libro facere propoſuit Galenus, vniuerſam inquam medicinam ſub exemplari nobis in hoc opere propoſito quaſi penicillo quodam deſignare. Et propterea rectè de conſtitutione medicinæ huic libro inſcriptionem fecit. hoc eſt de conſtructione, & inſtitutione vniuerſæ medicinæ. In hoc namque libro bonæ frugis eruditioniſque pleniſsimo, medicinæ finis, partes, attributa omnia explicantur, edocenturque compendioſa: ſed vtili breuitate. vt ex libri ſerie conſpicuum nobis fiet. Nec ſolum conſtitutio inſcribi hic liber iure & ad Gal. mentem debet, ſed etſi pro ΣΙΣΤΑΣΕΩΣ, ΣΙΝΤΑΧΕΟΣ dixeris, hoc eſt pro conſtitutione, conſtructionem, non ineptè dictum putari poteſt. vt enim in exemplo conſtrui tum domum diximus, cum illius partes ordine iunguntur atque hærent: probeque conueniunt fundamenta, muri, lumina, tectum, & vt item conſtructionem Grammatici, rectam vocum inuicem coniunctionem cohærentiamque vocant, qua congruus redditur ſermo: ſic ſanè cum hoc libro medicinæ principia, ceu fundamenta parteſque omnes ordine quodam ſed compendioſa breuitate tradantur, & quaſi conſtructo domicilio cohærentes demonſtrentur, non minus herclè conſtructio medicinæ quàm conſtitutio iure inſcribi poteſt. Ad hunc itaque quem explicauimus modum medicæ artis conſtitutio parari debet. quod erat nobis ad libri inſcriptionem intelligendam in literas promendum. Sed de inſcriptione iam ſatis.

Ad authoris dignitatem aut maieſtatem potius explicandam (quod ſecundo loco me facturum ſum bona fide pollicitus) accedo vt tanti viri diuinitate perſpecta totos vos illi excolendos tradatis. illum diurna, illum nocturna verſetis manu, nec vnquam ab ore, ab oculis, à ſinu diſcedat. quod de Ciceronis officijs faciendũ Plinius præcepit. Siquidẽ ex nullo authorum alio quod concupiſcitis (principes inquam vos in medicina fieri atque ſummos) conſequi, quàm ex vno Galeno poteritis. Ergo antequam de ipſo dicere ingrediar illud vobis præſciendum eſt, Deum opt. max. ad ſui numinis immenſam potentiam declarandam, diuina quædam in hoc terreno domicilio ingenia protuliſſe, quæ diuini numinis vnde manarunt (vt datum eſt homini) maieſtatem referrent. eſſentque numina quædam terreſtria, tantò cæteris hominibus excellentiora quantò homines beſtijs antecellunt, quæ inſtar idearum cœleſtium quarundam haberi meritò poſſunt. tanta excellentia, tanto diuini numinis ſplendore illuſtres, vt admirari quidem omnes: aſſequi eorum virtutem atque præſtantiam nemo quiſquam hominum queat, ob idq; ſummi ac princeps iure cenſentur. Eius notę in ſacris Moſes ac diuus Paulus fuere, in medicina Hipocrates atque Gal. in omni Philoſophia Plato, atque Ariſtoteles. In dicendi arte Demoſthenes, & Cicero, In Aſtronomicis & Coſmographicis rebus Prolomeus, in Geometria Euclides, in Arithmetica Iordanus, in Architectura Nico: Gal. pater & Vitrunius, in Pictura Apelles, in Plaſtica Phydias, in Muſica Amphion. Igitur Gal. noſter, Deus medicinæ numeraris, Deo opt. max. acceptum referens, q; ars medica inuenta eſſet ad hominum ſalutem (quum artium inuentiones vel Dijs ipſis, vel Deorum filijs, aut his proximis iure aſcribi debeant vt idem Gal. libro qui Medicus inſcribitur ſcire dixit) in illam ſe totum dare voluit, quæ eſſet vniuerſo mortalium generi maximo vſui futura, & quæ diuinitatis pleniſsima ipſa eſſet, de qua rectè illud à ſapientiſsimo Ecclesiaſte dictum eſt, creauit Altiſsimus medicinam: & vir prudens non abhorrebit illam. Et item Regius Propheta Dauid, pſal. 102. Qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. Quod & diuus Meſueus initio ſui

In Præfat. ad Lib. natur. criſt.

Eccle. ca. 38.

Solus Deus languores sanat.

Grabadin appositissimè confirmauit, inquiens, Sanat solus languores Deus, & de frugalitatis solio produxit in largitate sua medicinam. Natus est porrò Gal. Olympiade ducentesima vicesima quinta. Anno autem post Christum natum, centesimo quadragesimo octauo vel circiter. in oppido Pergamo Asiæ, ciuitate in phrygia sitæ. cuius longitudo, id est, ab occidente versus Orientem distantia, est 57. graduum cum dimidio: Latitudo verò, id est, distantia ab Aequatore versus polum Arcticum 39. gradum & dimidij. Vt Ptolomeus libro quinto Geographię, cap. secundo, in tabula prima Asiæ testatur. Patrem habuit Niconem, Geometram, & Architectum nobilem, diuitijs affluentem, sed in primis disciplinis, & in Philosophia, Geometria, atque Astrorum peritia insignem vt libro octauo Methodi, & libro de Pulsuum vsu secundo, & libro de boni, & mali succi cibis idem testatur Gal. Patris autem in somnio admonitus cum iam Philosophiæ esset initiatus, ad medicinæ studiū inductus est, vt libro nono methodi medendi idem scribit. Vixit autē sub Cæsaribus, Adriano, Antonino Pio, Marco, & Commodo: subque Antomino, primum Romam profectus est, vt idem ipse in proemio Anatomicarum administrationum testatur. Prima sua ætate ad annum vsque decimum septimum, primis disciplinis imbutus, Philosophię posteà insignē operam dedit, sub pręceptoribus varijs: Nempè Philopatoris Stoici, discipulo quodam, sub quo satis diu militauit. Caium Platonicum itē, & Aspasium Peripatheticum magistros in Philosophia habuisse dicitur, sub quibus mirè profecit. Moxque decimum septimum egressus annum, a patris insomnio admonitus, ad medicinam se cōtulit vt lib. nono methodi, & libro de ordine librorum suorum idem ipse scribit, in qua sub pręceptoribus Satyro primùm, dein de Pelope apud Smyrnam, qui Quinti discipulus fuit, magnos fecit progressus, vt in Com. ad lib. de nat. hum. & lib. de atrabile testatur. Post hos Numesiano dedit operam Corynthi. Vsus quoque est Feciano præceptore, vt Com. 1. ad lib. 3. de popularibus morbis idem affirmat. Pergami verò Stratonicum Sabini Hippocratici discipulum audiuit, vt lib. de atra bile scriptum est. Smyrnę Albinum Platonicum: & hos quidem habuit pręceptores atque magistros, qui cum se demonstratiua methodo in Theorematis edocendis vsuros polliciti essent, nihil studiosius, aut prius hac demonstrandi theoriaediscendum sibi proposuit: cuius ipse quindecim libros edidit, quorum iacturā magnam cladem medicina accepit. Præceptorum suorum & si amantissimus esset, addictior tamen nemini cuiquam magis, quàm vni veritati voluit esse. Nam aduersus Pelopem de vasorum a cerebro origine stetit, vt libro tertio de anatomicis administrationibus, & libro sexto de Hipocratis, & Platonis decretis idem scripsit. Aduersum Quintum item de nominibus qualitatum libro septimo methodi medendi disputauit, nullius addictus iurare in verba magistri vt Flaccus ait. Alexandriam, locaque permulta alia peragrauit vbi esse aliquem Quinti discipulum intellexisset. Et ex Alexādria annos natus octo, & viginti in patriam reuersus, omnia quę cognouerat pharma ea amicis Medicis dedit, vt ea per experientiam confirmaret, quæ ab alijs didicerat, vt lib. 3. de medicamentis secundum genera, & lib. nono de Simplicium facultatibus idem testatur. Gladiatorum a Pontifice suæ ciuitatis curationi solus pręfectus fuit, vt lib. 111. de medicamentis secundum genera scriptum est, in quo sibi adeò fœliciter successit, vt omnes suæ curæ demandati, seruati sint. Non diu verò in patria commoratus, seditione in ea oborta, Romam iter iam secundo contendit, vbi plurimorum atque pręstantium virorum amicitia, ac consuetudine potitus est. Eudemi Peripathetici, & Alexandri Damasceni, Sergij item Paulij consularis viri, & Prætoris vrbam insuper Boethi hominis singularis, cui multas humani corporis consectiones ostendere solitus fuit, quo tempore anatomicarum administrationum libros primum adornauit, vt lib. 1. anat. administrationum, & [illegible] de præcognitione ad posthumum, idem Gal. testatur. Quibus verò operibus tum ex Anatome demonstratis, tum ex pręsagiendi scientia palam factis claruerit Gal. dicendum iam est. Aemulos habuit, Martianum, & Antigenem in anatome peritissimos, ob prædicendi artem, ꝙ de Antigene triplici quartana laborante quid futurū esset, & quoto quoque die quartanarum vnaqueque solueretur, verè prædixit, vt eodem lib. de Prædictione habetur. Vt ne quis mirari possit bonis iuris emulos non deesse. Cum sola virtus nunquam emulo careat, quod virtutis proprium esse Philosophi, & Poetæ pariter censent, testante Ouidio libro primo de remedio amoris, dum ait.

Summa

*Summa petit liuor, perflant altissima venti.*

Vnde est illud item Ciceronis libro. 4. ad Herennium, virtutis comes inuidia plerunque bonos insectatur. Hic namque mos est hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere vt idem libro de claris oratoribus dixit. Cum Eristratijs contentionem de sanguinis missione habuit, vt lib. de libris à se editis, & libro aduersus Erasistratios scripto, idem affirmat. Quorum delationibus apud proceres factum est, vt in suspicionem mali medici venerit, dum alij ipsi detrahentes, varia de illo spargebant: alij casu illum quempiam sanasse, periculosoque admodum curationis genere, alius diuinatrice peritia, non medica scientia quid in morbis futurum esset prædicere, vbi iusti vxorem amare, & quem amaret deprehendisse Gal. intellexerunt, vt libro de præcognitione ad Posthumũ, recẽsita historia scribitur. Quid Atriensis serui moestitia laborantis agnitionem prætereo? Quid Glauci Philosophi, hępatis phlegmone affecti pręcognitionẽ? quod libro quinto de locis affectis cap. septimo insertum est. Quod si certas in morbis difficillimis curationes nobis proponimus, quis eo in curandis eiuscemodi morbis accuratior, doctior, vel aptior? Boethi vxorem fluore muliebri laborantem fœliciter curauit: ob idque quadringentos aureos nummos à Boetho accepit, ingentis curationis ingens premium, vt libro de prædictione ad posthumum idem Gal. testatur. Theriacem magna diligentia, atque cura Cęsaribus Romæ composuit. Antonino antidotum Galeno parare iubente, vt lib. de Theriaca ad Pisonem, & lib. primo de antidotis Gal. scribit. Quin & à Seuero post commodum imperij habenas suscipiente, idem antidotum denuò componere iussus fuit. Vt autem simplicium vires & naturam omnem figurasque nosset, varias peragrauit regiones, Alexandriam petijt, Lemnum Insulam ad terrã Lemniam noscendam, dein Cyprum ad metalla dignoscenda, vt lib. nono de Simplicium facultatibus ipse de se testatur. Quòd verò ad vitæ eius rationem attinet, morbis obnoxius in adolescentia fuit, ob horariorum fructuum immodicum esum. Postea cum sciret artem esse sanitatis tuendæ, huic intentus, salubri deinceps corporis statu vsus est, vt lib. de boni & mali succi cibis, & lib. v. de sanit. tuenda idem affirmat. Tanta insuper fuit rerum despiciẽtia, gloriæque contemptu, vt ne nomen quidem suum tot librorum centurijs à se æditis (sexcentos si quidem & octo libros illum conscripsisse ex libro de libris proprijs constat) scribi sit vnquam passus, vt libro septimo methodi ipse testatur. Mores habuit sanctos, & tali viro dignos, ab omni obscenitate, ridiculoque prorsus alienos, mites, minimeque iracundos, vt neminem seruorum suorum nunquam percusserit, vt ipse de se testatur. Extant pietatis eius in Deum, amoris in parentes, in patriam, in Præceptores, in amicos, in artem ipsam testimonia multa. Nam quanta religione Deum veneretur & colat, libro tertio, & decimoseptimo de vsu partium, tum libro de fœtuum formatione, & infinitis alijs locis fit manifestum. vt parentis sui summo semper cum honore meminerit, libri de boni & mali succi cibis & quintus de sanitate tuenda, & nonus methodi, & libri de alimentorum facultatibus fidem faciunt. In patriam adeò pius, vt vnius illius amore imperatorum gratiam recusarit, opesque immensas, vt libro de Antidotis patet. Antonino namque Cesare vt secum in Germanicam expeditionem iret vocante, id recusauit, & in patriam est reuersus. Amicorũ fuit obseruantissimus, quibus sua opera dedicare non dedignatus est. Hieroni methodum medendi, Glauconi duos de curatione libros, Pisoni & Pamphiliano librum de Theriaca, Patrophilo hunc de Constitutione medicinæ librum, Paterniano librum de Simplicibus. In amicis porrò curandis, summa charitate ac diligentia est vsus. Præceptores in magna semper veneratione habuit, præsertim Hippocratem, quem omnium nobis bonorum authorẽ & ducem vocat libro tertio de Crisibus: & si ab eo quandoque dissentire videatur vti & à Pelope & Satyro Præceptoribus. Quantum verò illi ars medica debeat, norunt hi qui ex eius vberrimis fontibus purissimas delibantes aquas, in summos viros euadunt. Mortuus tandẽ est sub Seuero Imperatore Romano, annum agens secundum supra septuagesimum. Hæc de Gal. vita, monumẽtis, ac virtutibus dixisse libuit auditores, vt ad huius normam animos componentes vestros, illius imitari virtutes, illius sequi doctrinam, improbo labore, & summa animi alacritate nitamini. Sed iam de scopo authoris, deque ordine ac methodo qua in hoc libro vtitur Galenus, tum de libri vtilitate atque difficultate verba faciamus.

De scopo & intẽtione authoris.

Cum ex scopo, quid propositi habeat author in tractatione aliqua notum fiat, quis fuerit Galeno in hac parte propositus scopus intelligendum venit. Est autem scopus id quod sibi artifex faciendum in mente prius proponit, ad quem respiciens actionem omnem suam, illum vt consequatur dirigit. Porrò eum scopum in hoc de medicinæ constitutione libro Galeno propositum fuisse, vniuersam medicinam methodo quadam constituere, summatimque totam medicinæ rationem tradere, ipsemet Gal. locupletissimus nobis testis erit, qui

Scopus Galeni in hoc lib.

huius libri capite primo ad Patrophylum scribens hæc protulit. Et quia (inquit) medicinam methodo quadam constituere tibi propositum est, inspice primum ex quo artium genere consistat. Et rursus cap. secundo. Igitur (ait) quam superiori libro methodum artium didicisti eam modo tibi ad artem quam constituere conaris transferre tempestiuum est. Ex quibus Gal. locis euidentissimè quis nam fuerit illi propositus scopus, patere potest, nempè artem medicam vniuersam methodo quadam constituendi. Quòd verò vniuersam medicinæ rationem tradere methodo eadem proposuerit in hoc libro, testatur idem cap. vltimo huius tractationis inquiens; Institueramus non de omnibus medicinæ partibus in transcursu percensere, sed quemadmodum aliàs artes, ita & hanc à finis notione constitutam esse demonstrare, quod cum iam perfectum sit, summatim totam medicinæ rationem reperamus. Hæc eo loco Galenus. Ex quo profecto abundè patet, vniuersam medicinæ rationem hic tradere velle sibi propositum fuisse. cum summatim, hoc est compendio quodam ac veluti per capita, medicinam omnem hic repetendam censeat. vt quod in arte medicinali sub doctrina deffinitiua fecit, id ipsum in hoc libro sub resolutiua doctrina faciat: quod reuera pręstitit vt in cõmentatione ipsa sumus dicturi.

In Argenterium. Pag. 5. ad initium.

Nec hac in parte argenterio viro alioqui doctissimo assentiri possum, qui in sua in artem medicinalem Galeni præfatione, dicit Gal. in libro de constitutione, se non medicinam, sed quomodo illa per doctrinam resolutiuam constitui possit demonstrare velle. Cum toto in progressu libri eius, nihil aliud agat Galen. quàm medicinam omnem sub compendio, & doctrinæ resolutiuæ methodo tradere. An non hoc est docere medicinam? tractare de corporibus, de partium humani corporis constitutione & differentia, de partium actionibus atque facultatibus, de morborum differentijs, de elementis, de tuenda sanitate, methodoque per contraria medendi: quæ ad morbos cognoscendos ac discernendos necessaria sint. Ex quibus præsagire liceat, Excrementorum ratio quid nobis ostendat, Vnde & quomodo vacuãdum, vt concoquenda excrementa, Vt conualescentes tractandi, Vt in morbum casuris prospiciendum, Vt sani seruandi. Quæ cum omnia compendio quodam eo in libro tradantur, planè constat doceri ibi à Gal. medicinam. Firmum igitur maneat scopum hunc in hoc libro esse Galeno propositum, artem medicam uniuersam vt constitui debeat demonstrare, quod & ipsum resolutiua methodo docere aggreditur. De scopo satis, De ordine iam quo vsus est in hoc libro au-

De ordine Libri. Ordo quid

thor, dicẽdũ. Ordini porro inniti doctrinam omnem debere scite in arte medicinali à Gal. dictum est. & meritò quidem, cum sit ordo, digestio quædam, qua quodque in suo loco collocamus. seu prioris ad posterius congruus quidam responsus atque collatio sine qua nulla docendi ratiõ, ars nulla, artificium nullum, constare potest. Si quidem si intueri placet artifices omnes, pictores, & architectos, & fabros nauium (inquit in Gorgia Plato) qui uis eorum

Plato.

in ordinem quendam singula ubique disponit, cogitq; alia alijs conuenire atque congruere donec totum cõstituatur quodam ordine exornatum. Id ergo omnes agunt artifices (subdit idem) atque hi, quos in superioribus dicebamus pędotrię & medici similiter faciunt circa corpus. Hactenus Plato. Ergo cum constituere uniuersam artem, ceu domum quandam suis omnibus partibus constantem Galenus uelit, omnino ordini cuidam fuit illi insistendum. Est autem hic ordo quem sequutus fuisse uidetur, ut priore libro (quo iniuria temporum destituimur) doceat qua methodo constituendæ artes in uniuersum omnes sint. Hoc uero (qui totius tractationis alter est) hanc ipsam methodum priore libro traditam, ad artem medicam accommodat. indicans eadem prorsus uia ac methodo medicam artem constitui qua & reliquæ omnes. nempe à finis notione progressione facta, ad ea per quæ hunc præintellectum finem consequimur? Exorditur autem, ab ipsa rei essentia (Sic enim decet eos, qui cum demonstratione quippiam sunt dicturi) vt idem lib. 5. de Sympt. caus. lepidissime dixit. Ita-

Cap. 5.

que, è quonam genere artium medicina sit statim in initio docere aggreditur, indicans, è fa

ctiuarum

ctiuarum ordine vnam esse; tum uerò cùm circa corpora ea ipsa ars versetur, sanos homines & ægrotos cognoscere ex eorum actionibus item docet. inde, ad partium humani corporis cognitionem sensim nos deducit, vt illis cognitis, quæ earum facultates sint, quæ actiones, & vt lædi possint, vt corrigi & emendari, vt etiam sanæ seruari demonstret, vt tandem per hæc optatum intellectumque finem consequi artifex queat. Porro diuiditur totus hic liber in prohœmium & tractatum. Procemio, æditionis libri causas reddit, vt inquam Patrophilo veritatis studioso & Galeni amantissimo, viam sibi monstrari cupienti qua artem constituere posset, faceret satis: tum uerò etiam, ut quod á nemine eorum, qui se medicinæ professores iactabant esset adhuc factum, vt inquám methodum traderent, qua artes constitui possent, id Gal. ueritatis summus cultor, & inueniendi optimus artifex præstaret, Gloriatur siquidem ipse, methodum primùm à se inuentam, qua nemo antecessorum esset hactenus vsus, aut inuenire potuerit. Ordine igitur proposito, a rei tractandæ essentia (vt antea diximus) ducto principio, incedit Galenus, nec aliter est in scientijs quàm ordine progredi. Vt mirari subeat Virum quendam magni nominis in id erroris incidisse, vt dicat ordinem quendam accidentalem esse, eoque ordine conscriptos Aphorismos fuisse, cum illud constet, ordini ipsi suam perpetuò seruari essentiam necesse esse, si ordo sit futurus alioqui certè si ab hac deficiat, ordo non erit. Est autem ordinis essentia hæc, vt in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, tertium, & sic deinceps donec ad vltima sit peruentum vltra quæ non est progredi amplius, & vt quæ præcedere debent ea præponantur, quæ subsequi, serie quadam suo loco disponantur ut prioris ad posterius debitus responsus insurgat. à quo si discessum fuerit nullus ibi inerit ordo, nulla continuata & proportionata series, connexio nulla. Non contingit igitur ordinem aliquem accidentalem esse posse, alioqui cùm accidentis sit adesse & abesse posse, ex Porphyrio cap. de accidente, si ordo ullus accidentalis reperiretur, posset ordinis ratio ab ipso ordine abesse quod omnino fieri nequit, & naturæ repugnat quidquam à sua ipsius essentia desciscere. cum esse & non esse eodem tempore nihil quicquam possit. Eumque accidentalem ordinem desfinit, qui sit temerè id est (subdit idem) quũ non habetur certa ratio prioris & posterioris, sed casu aliquid » sequitur aliud (Hæc enim authoris ipsissima verba sunt, quæ ille pag. 12 suorum commenta » riorum in artem medicinalem Gal. conscripsit (At quælo id nc quod temerè fit, quod casu » ad aliud sequitur, ordine ullo constare aut ipse aut alius dicere poterit? An nescit, methodo aliquid inuenire opponi ei quod est fortuito & temerè? vt Gal. lib. 1. meth. dixit? Itaque & vulgus quoque id duod temere fit, sine ordine factum ait: & quisquam doctus homo id ordinatum dicet? in quo scilicet nulla prioris aut posterioris ratio, cohærentia nulla, aut nexus sit? Quis hæc credat? Et cur quælo Aphorismos ordine accidentario conscriptos dicit? Profectò si nomenclaturæ Aphorismorum memor fuisset, talia minime dixisset. Dicuntur nempè Aphorismi separatæ scententiæ à uerbo Greco ἀφορίζω quod proprie significa: segrego, separo, secerno, ut apud greci sermonis peritissimos quosque liquet, unde ἀφορισμὸς separata sententia, dicitur. Itaque cum segregati ab inuicem aphorismi sint, sententijs diuersi, nec cohærentiam, aut responsum inter se habeant ullum, nec prioris aut posterioris rationem. (cum segregati sermones sint) constat profectò nullo ordine eos conscriptos esse. ita namque scripti sunt, vt mens Hipocrati Aphorismo aptam materiam nullo seruato ordine suggerebat, Equidem nullam est præcedentium Aphorismorum ad sequentes præterquam in in admodum paucis consequutionem videre eam quæ ex ordine sit, vt alter alteri debita ratione respondeat. Sed cum Galeni sensa nunc explanare, non aliena conuellere nobis animus sit, in viam redibimus, quod superest attexentes.

De ordine sat multa diximus, de methodo qua vsus est in hoc libro Galenus pauca docenda. Varijs methodis disciplinas tradi, vnum est ex publicè in omni Philosophia confessis, & est à Galeno, tum primo methodi, tum in arte medicinali proditum. Cum interdum resolutiua methodo quæ ex finis præcognitione incipit artium constitutiones fiant vt hic Galenus: Alij compositiua vtuntur, vt Aristot. in libris de Phisico auditu: Alij diffinitiua rem aggrediuntur, vt Galen. in arte medicinali; hic verò Galenus resolutiua incessit methodo. quoniam à fine artis (qui sanitas est) ad partes & sua, quasi principia progressionem facit, vt in libri serie est apertè uidere. At quoniam de methodo reso-

lutiua

Lib. diuisio.

Libri ix. meth.

De methodo huius libri.

lutiua, sermonem fecimus, quid methodus, quid resoluere sit, æquum est explanare, sic namque melius quid resolutiua methodus sit intelligetur. μέτοδος grecis id est quod latinis uia breuis, ac disciplinæ ratio, ob id Gaza methodum, uiam rationemque docen-
M.thodus quid. di transtulit. Quintilianus μέτοδον appellat, quam Cicero uiam, artem, & rationem. Idem Quintilianus etiam alibi breue dicendi compendium vertit. Est autem methodus
Lib.4.met. definiente Galeno, una quædam vniuersalis via, quæ omnium particularium sit communis, eorum inquàm, quæ sub ea continentur. ex eo uidelicet quod unum sit in omnibus curandi
Lib.2.met. principium, nempè ipsius morbi cognitio. Siquidem authore Galeno, principium methodi medendi morbi est cognitio, à quò exorsi, via quæ ab eo principio ad finem vsque ducit similis in omnibus particularibus est. Cuiuscumque enim particularis morbi curandi hoc
lib.2.de ra. vic.acu.38. principium est, vt dignoscatur in primis morbus, id est quod dicebat Hippocrates, in singulis perpẽdendũ vim, & speciem morbi. Ab hoc principio inchoantes, & ad causarum cognitionem subindè proficiscentes, foeliciter finem, qui sanitas est, consequemur optatum. congruis remedijs adinuentis, quæ morbo leuando propriã sint. Hæc sa.è uia illa est ab
Sectione 3 Aph.20. Hippocrare libro sexto Epidemion tantopere laudata cum inquit. Sic utique sit uia, sic & rectè se habentium approbatio, & non rectè se habentium redargutio. Quem locum exponens in commentario Galenus vult hanc Hippocratis mentem fuisse, Vt uia hęc recta, ea sit, quę in omni artis constitutione suppetias ferat, quam & ipsam posteriores Hippocrate, non uiam, sed methodum appellauere ex qua rectè inuentorum & factorum in artibus approbatĩo est, non recte autem se habentium redargutio. Hæc Galenus, quæ merito quidem dixisse uisus est, quòd sine uia recta, uniuersali, & rationi subnixa nullatenus artes constare possint. atque ob id in singulis artibus necessarium esse, ut Plato in Philebo, & Phædro plenè demonstrauit. Quę enim methodo carent, nullatenus scientiam pariunt. quòd sine ratione,
Lib.1. met. sine ordine, temerè iactentur, ac proinde rectè Galenus methodo quidpiam inuenire aut in quirere, ex aduerso opponi ei quod est fortuitò, scitissimè adfirmauit, tum verò quippiam methodo inuenitur cum in disquisitione uia quadam & ordine, aliquid primum statuitur: ab hinc secundum, tertium, & quartũ, atque deinceps donec ad ipsum quod ab initio est
Plato. In Philebo. Gal.1.met. propositum sit peruentum. Hæc enim & Platonis & Galenj scententia est Quam quidem & ipsam methodum sine diuidendi ac componendi ratione constare non posse, plurimaque in his exercitatione, & Plato in Philebo & Ciuili de regno ac Phędro, Et Galenus libro nono de placitis Hippocratis & Platonis ediderunt, Quo quidem in loco duplici uia in ea exercendi nos debere Galenus docet, una quidem, ut à primo, maximeque summo ad ea quæ nullam amplius diuisionem sustinent descendamus per medias differentias, quibus desfinitiones specierum constare Plato in Sophista & Ciuili monstrauit. Altera, vt ab specialissimis (quæ multa sunt) ad primum genus componendo ascendamus. atque vt hæc compositiua methodus est, sic altera prior resolutiua. Siquidem resoluere propriè est rem com plexam ac potestate multiplicem in sua membra ac partes diducere donec ad prima principia deuentum sit, vt cum à compositis ad simplicia, à toto ad partes, à fine ad principia progredimur; vt antea à nobis plenè est exemplo demonstratum. cum finem artis in sua principia diduximus. ostendentes ex Galeni in hoc loco, & in arte medicinali sententia, quę scire medicum conueniat, qui finem artis in ea dissoluere velit ex quibus finis ipse con stat, & per quæ tanquam per media congrua necessaria ipsum adipiscimur. Hoc profecto Resoluere iure dicimus, nempè rem soluere & per capita ordine quodam separare, & secernere ab his ex quibus constat, ut cum totum aliquid in partes diducimus, aut ea quæ ex suis principijs constant ad eadem ipsa principia reuocamus, sensim ab summis ad ima progredientes. Atque hæc illa est resolutiua methodus qua in hoc libro est usus Galenus à fine artis ad principia uiam instituens. Vt autem rem totam paucis concludam, dico ea methodo tractationem hanc perfecisse Galenum, quę ordinem resolutorium sequitur. à finis notione ducto principio, ut & antea quoque explicauimus, Itaque prius quam resoluere sciamus, notum esse nobis finem necessarium est, alioqui quomodo ea quæ in ipso fine quasi in ipso toto comprehensæ sunt dissoluentur si ignotus sit finis? Atque hæc est resolutiuę methodi summa perfectio, quòd quæ in ipso fine potentia continentur, ea omnia hac ratione commode explicantur & nota sunt. Nam cum sit finis, & maximum, & opti

mum

mum rei, profectò artis finis ea omnia potentia complectetur quæ tota ars. Atque hęc sunt quæ per hanc methodum resolui dicuntur, nempè quæ in arte continentur corpora, signa, causæ. ab artis fine ducto resoluendi principio ea inde inquirentes, quæ ad hunc consequendum finem ita necessaria sunt, vt sine illis finis nullatenus attingi posśit. Hic ergo huius resolutiuæ methodi usus est, hæc vtilitas.

De operis vtilitate.

Nunc vero iam de operis vtilitate dicendum, vt attentum & docilem auditorem reddamus, quòd sanè fiet cum magnam se ex huius libri lectione frugem consequi posse intelliget, & magnos in medicina facere posse progressus. Liber porrò hic, cum vniuersam medicinæ rationem methodo resolutoria sub compendiosa breuitate tradat, mirificam profectò vtilitatem legentibus, atque ad artem contendentibus adferre videtur. Siquidem, cum vel Hipppocratis testimonio ars longa sit, quòd in ea (vt Damascenus tradit) immensa sit profunditas, magna certè cautione factum videtur, vt hæc artis immensitas ad summa quædam capita quæ vniuersam artem complectantur redacta sit: fecitque hoc in libro Galenus atque in arte medicinali, quod Cosmographi solent, qui cum sciant nemini cuiquam datum esse vniuersum peragrare orbem, illiusque singulas partes, regiones, regna, Insulas, Promontoria, Portus, Sinus, Maria, Continentem omnem, Planicies, conualles, Montes scrutari, vniuersum orbem suis partibus omnibus perfectum nobis in tabula expressum ad viuum delineatum representant, in id, vt vno oculi ictu orbis situm in vniuersum tenere posśimus, & quod pedibus cõsequi non possumus, oculis subiectum consequamur, eaque difficultate hoc commento leuemur. Simile quid nunc & in arte medicinali & in hoc de Constitutione Medicinæ libro fecisse Galenus videtur, qui vniuersæ medicinæ quasi in tabula quadam speciem & formam graphicè depinxit. vt hanc tabulam spectantes, & in eam intenti, totius medicinæ ideam, veramque rationem habeamus. An non igitur studiosis id maxime vtile fuerit, longi temporis vsuram quod in vniuersa medicina contemplanda ac perdiscenda impendere eos oportebat, modico tempore redimere, & quod magno labore adepturi erant, modico consequi? Ergo cùm summo compendio medicina hic tradatur, amplectanda hæc medicinæ pars atque tractatio imprimis medicinæ studioso erit atque inter primos Galeni libros hic & ars medicinalis tyronibus à professoribus explanari quàm diligentisśimè debent. quòd ambo isagogici seu introductorij sint, & ad reliquam medicinam perdiscendam quasi uiam præstruant facilemque aditum prebeant. Perinde enim atque qui inuias & incognitas semitas, inaccessasque ingreditur, aut sinuosum aliquem labyrinthum, qualis ille in Creta à Dedalo Minoris iussu factus fuisse dicitur, permeare cogitat, filio ductore est illi opus, sic profectò qui immensum medicæ artis pelagus. ingreditur, anfractuosum planè & vorticibus plenum, per hæc compendia introduci vt rectam teneat viam debet: sic enim & spectata artis per hæc pulchritudine & maiore animi impetu ad studia medicinæ, feretur, & vberiorem fructum ex studijs impensoque labore reportabit, dum & huius compendij lectione atque intelligentia quasi filum manu tenens, cætera vniuersæ artis theoremata leui negotio complecti atque attingere poterit, ac proindè meritò hic liber inter isagogicos Galeni est collocatus, vt ex ordine librorum suorum est videre, in Grecè enim scriptis Galeni codicibus, tum & latinis eorundem versionibus liber de Constitutione medicinæ atque ars medicinalis inter Isagogicos collocantur. In hoc itaque perdiscendo ut bonas horas medicinæ studiosi ponant moneo, hortor, atque suadeo, De operis igitur vtilitate tantisper hæc nobis dicta sint.

Libr. 1. Apho. 1.
Dam. lib. 1. Aph. 1.
Simile pulchrum.
Pli. lib. 36. nat. Hist. cap. 13.

De difficultate operis

De difficultate uerò, id studiosum scire volo, breuitate nimia librum hunc paulò obscuriorem redditum esse, iuxta illud Flacci, Dum breuis esse laboro, obscurus fio. Quamobrem cum quæ difficilia sunt, maiorem operam desiderent, insudandum medicinæ studioso toto pectore erit, vt ad hæc capescenda sese componat, vt per quæ ad reliquum artis facilior illi pateat aditus, & certè (si verum fateri liceat) multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, plurimis experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars medendi. Quæ me una ratio maxime impulit, ac vehementer est cohortata, ut cum summa animaduersione librum hunc dignum ducerem, nec quemquam nostrorum (quod sciam) adiutrices hactenus huic operi porrexisset manus, uolui ego meo priuato labore, me sortis hominibus (hoc est medicis omnibus) mea hac commentatione consultum

esse,

esse. Quod à me profectum officium ut exporrecta fronte, ac læta, medicinæ studiosi accipiant quæso ac rogo. Nunquam enim profectò meo in exoneranda & locupletanda medicina studio atque officio sum in tota uita defuturus, quin (quantum quidem mihi à Deo temporis ac vitæ in eo præstando natum fuerit (id omne in eo expleam vt per me locupletior fieri medicina possit, si modo quid tanti à me exiguis meis & ingenij & iudicij uiribus præstari poterit. Sed imbecilitatem meam promouebit fouebitque Deus, opt. max. in cuius nominis gloriam quæ de sinu bonitatis suæ accepimus, ea in communem omnium vtilitatem libenter proferimus, ne talentum abscondisse & in terram defodisse videri possimus,

Sed iam de his quæ tractationis futuræ explanationem præcedere debent (quæ & ipsa Græci προλεγόμενα uocant) dictum satis, et ad libri seriem explicandam fœliciter accedamus?

## PROOEMIVM.

Text. Quando quidem diuino quodam præditus affectu, Patrophile, mihi videris, vt qui omnia cum demonstratione & methodo indipisci desideres, statui alacritati tuæ obsecundare, & de ijs quæ audisti vel quæ te in dubium vocarunt, commentarios præscribere.

Com. HOC procemio, causas editionis huius libri omnes, luculenter exprimit Galenus, in id eum se confecisse testificans, vt amico diuina quadam virtute & sciendi cupiditate prædito gratum faceret, qui cum esset in literas summè affectus velletque omnia sibi methodo quadam, & demonstrationis via monstrari, id vt à Galeno ceù viæ eius ductore atque magistro optimo, sibi impartiretur rogauerat, cuius uotis annuere volens Galenus, libros hos de constitutione artis (tres enim de hac re à Galeno uel ipsius met testimonio conscripti sunt, quorum vnus tantum superest) confecit, & tanto amico Patrophilo consecrauit, hac ratione docens, & nos amicis honnesta postulantibus, omni studio, alacrique animo gratum facere debere, & illis etiam nostros fœtus consecrare. Siquidem cum authore Platone in Lyside qui de Amicitia inscribitur, sit amicitia, honesta perpetuæ voluntatis communis: sitque etiam eadem ipsa diffiniente in Lelio Cicerone, omnium diuinarum, humanarumque rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio, quid homine dignius esse quicquam potest quàm amicis perpetua voluntate atque consensu sua communicare? egentibus impartiri quibus indigeat? recta postulantibus & honesta assentiri? & nihil non amici causa facere? Si quidem amicum qui intuetur, tanquam exemplar quoddam authore Cicerone intuetur sui, cum sit amicus alter ipse. Quòd si nobis benè velimus, & omnia nostri causa quæ honesta, quæ recta sint faciamus, quid in amico à nobis opem petenti auxiliabimur & illi manus adiutrices feremus? Nam his finibus vtendum in amicitia est, vt neque rogemus amicos res turpes, nec faciamus rogati, sed ab amicis honesta petamus, & amicorum causa honesta ipsi faciamus, vt cum emendati mores amicorum fuerint, cum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, & voluntatum sine vlla excusatione, aut exceptione communitas. Equidem studijs amicorum in re bona cum difficile est tum ne æquum quidem obsistere, vt recte Cicero dixit. Quamobrem rectissimè illud Plato dixisse est visus amicitiæ cum finem esse vt è duobus animis vnus voluntate fiat; ex vna voluntate uita vna, ac demum ex vna vita numinis vnuis eiusdemque Ideæ fruitio vt Ficinus interpretatur, Quod à Platone mutuatus Cicero libro primo officiorum scitissimè dixit, omnium societatum nullam esse firmiorem, nullam constantiorem quàm cum boni viri moribus similes, familiaritate coniuncti sunt in quibus enim (subdit) eadem studia, eædem voluntates sunt, in ijs fit, vt alter altero æque ac seipso delectetur, sicque ex pluribus vnus fiat, ac proinde sapientissime Plato amicorum omnia communia esse debent dixit. Τῶν φίλων πάντα κοινά. quòd vbi animis consentiant, fieri non potest quin omnia amicus amico cõia faciat. facultates, opes, officia, studia, & quicquid in se habet, beneficium se accipere existimans, cum amico dat, sic est profectò, ut nihil non amici causa velit vere amicus: quod est a Plauto his uerbis

In Lælio. | In Lelio. | In Lyside.

in Epidico dictum.

*Is amicus est, qui in re dubia re iuuat cum re opus est.*

Hoc Galenus noster, verus amicorum æstimator, & summus amicitia cultor, Patrophylo præstitit, dum illius precibus intentus vltrò in vota amici concessit, illi librum hunc componens ac nomini suo dicans. Tres autem ob causas potissimum magnis viris nostra dicamus, aut vt eorum gratiam demereamur, aut vt eorum præsidio à vitilitigatorũ morsibus, & inuidorum petulantia tueamur, aut denique vt nostra quæ sunt ea ratione commendabiliora efficiamus. Dum enim magnis viris fœtus nostros consecramus par est & illos quoque in magnis haberi quòd magnatibus sint dicati. Ob id Maronem Augusto, Ouidium eidem sua carmina, Horatium Męcenati suo, Plinium Vespasiano, Plutharcum Traiano, Platonem Hiparco, Memnoni, Theagi. Phædoni, Gorgiæ, Alcibiadi, & Thimeo Locrensi quæ de Philosophia conscripsisset dicauit. Vti Aristoteles Alexandro, & Theodecto libros Rhethoricorum & de Pisico auditu consecrauit. Cur? in id certè vt dum nostra ceu donaria quædam principibus viris consecramus, sua illorum efficiamus eorum gratiam demereamur, illique nostra laudantes in magnis & nos quoque habeamur, tum etiam ob id nostra interdum amicis vouemus, vt gratum illis facciamus præsertim si eorum precibus inducti in id fuerimus. Qua certè ratione in præsens Galenus noster Patrophilo suo hunc librum dicauit. Quis autem Patrophylus hic fuerit, non satis ex historia constat. Quòd si coniectura assequi id liceat, ex nominis ethymo, ex his quæ de eo Galenus in hoc procemio scribit, censendum, magnum quempiam virum virtutis & literarum amantem, & doctorum hominum obseruantissimum fuisse dicemus. Si quidem πατρόφυλος græcè patrum amatorem id est maiorum, seniorum, atque prudentum (qui patres vocari solent) significat, vel etiam, patriæ amatorem, vtrumque enim commodè dici potest. Vnde Lucianus dialogum quendam suum Phylopatro cuidam patriæ amanti, dicauit. Egregium porrò virum Patrophylum fuisse hunc, Galenus hoc loco testatur dum illum diuino præditum affectu, & ad demonstrationis methodum anhelantem ostendit.

Dedicationis vestrarum rerum viris magnis tres causæ.

Cur autem non hoc laboris mihi iniungerem, cum te videam principium quoddam viæ ad veritatem ducentis inuenisse, sed propter sublimitatem longitudinemque & asperitatem, sine ducis auxilio haud posse ipsam contingere?

PRINCIPIVM viæ ad veritatem ducentis est in primis disciplinis sed præsertim in dialectica versatum esse. Hæc namque vna vt Aristoteles tradit, per decem illa attributa seu prædicamenta quæ vocantur per Sylogismos, communes locos, & tandem demonstrationes, veritatem inuenire docet. Proptera rectè dixisse hoc loco Galenus est uisus, Patrophylum principium quidem viæ ad veritatem ducentis inuenisse. quòd esset in Dialecticis & demonstrandi scientia versatus, sed tamen ob sublimitatem rei longitudinem, & asperitatem (præsertim in Medicina) sine ducis alicuius præstantis ope qui eum manu duceret, non posse illam assequi. Hoc ipsum Hæsiodus in libro cui titulum fecit opera & dies, Et Lucianus in Hermotimo de sectis, lepidissimè dixerunt. sine duce neminem quemquam viam rectam tenere posse. Sic profectò res est, magnum quippiam esse scire demonstratione ac methodo res ipsas docere: & perito atque exercitato indiget artifice atque magistro, qualis Hippocrates fuit, qualis Plato, Aristoteles, qualis denique Galenus, qui tam benè demonstrandi viam tenuit, vt de demonstrationibus quidecim integros libros confecerit, quos iniuria temporum magna literarum iactura amisimus. Nimirum igitur si Patrophylus per se id non potuit assequi, quod illi principes viri vix summo labore assequi potuere. Siquidem sunt disciplinarum radices amaræ, ut Aristoteles in quæstionibus naturalibus dixit, fructus autem suaues. Hoc cecinit doctus Maro de litera Pyttagorę inquiens.

*Litera Pittagoræ discrimine secta bicorni.*
*Humanæ uitæ speciem præferre videtur.*
*Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem.*

*Difficilemque aditum primum spectantibus offert,*
*Sed requiem præbet fessis in uertice summo.*

Demonstrandi uia sanè difficilis est difficilemq; aditum habet, quod ad eam consequendam multis sit opus, nempè uniuscuiusque rei essentia atque naturæ, proprietatumque rebus inhærentium cognitione. Quæ cum etiam magnis uiris negocium faciant, mirandum non est, si ducem in hac peragranda difficili uia quærant. Ob id certe multi etiam magno ingenio præditi rerum difficultate sæpe absterrentur ne ad summa contendant, ne in altissimis speculationibus in naturæ sinu reconditis pedem figant, & nisi improbo labore & firma animi constantia persistant, viam virtutis ac ueritatis quam cæperunt insistere, nunquam ad disciplinarum culmem perueniant. Hac rerum difficultate perterritus Patrophylus, ducem merito querit Galenum, qui viæ ad methodum perficiendam ducentis ductor sit atque monstrator, nam & si principium eius viæ tenere se profiteatur, finem tamen siue duce aliquo consequi posse diffidit. Sed tamen magnum est principium viæ tenere. Nam ut Flaccus dixit.

Quæ ad demonstrandum necessaria.

*Dimidium facti qui bene cœpit habet,*

Et profectò si quis rerum principia teneat, si & ingenio ualeat, & veritatis studio flagret, poterit ex seipso finem uel leui negocio contingere.

Text.

Etenim plerosque ne monitos quidem illuc contendere conspicor. quæ est ipsorum pigritia, sed aduersari ac alio se conuertere à quorum animo tam abes quàm qui maxime, Quippè cum omnes in hunc usque diem ueritate spreta, alia quæsierint diuerticula tu quasi ex specula quadam sublimi dispiciens, flagrantissimus pulchritudinis ipsius. amator esse depræhenderis. nec iter detrectare, quamquam solus id ingredi ac tibi permittere non audeas.

Com.

ARistoteles primo Ethicorum cap. quarto, ostendere uolens qui nam sint Ethices idonei auditores, eos uult esse moribus bonis præditos & institutos. qui uel ex se ipsis bonitate ingenij percepta habeant artis principia, uel à præceptoribus admoniti alacriter discant. Qui verò nec ex se nouit quicquam, nec recta monenti paret. aut discere uult, hic in malis habendus est, vt lepido carmine cecinit Hesiodus.

In li. cui titu. opera & dies.

*Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.*
*Et duris optata tulit solatia rebus.*
*Fortunatus & ille, alium qui recta monentem.*
*Audit: & inuentis ponit vestigia lætus.*
*Qui rebus non consulit ipse cadentibus ultro.*
*Inducitque animum uoces contemnere ueras,*
*Ille quidem inuisus diuis, & inutilis orbi est.*

Hoc ipsum hoc loco de quibusdam malè feriatis ingenijs testatur Galenus. esse quosdam qui ne à præceptoribus quidem admoniti speculari scientiarum dogmata uelint, socordia, pigricia, & animi pusillanimitate deformes, qui ne digni quidem sunt qui in adyta Philosophiæ admittantur. Sed quę eius socordiæ causa? quòd omnes, vt ait Galenus, in huncusque diem spreto veritatis studio voluptatibus addicti iter veritatis detrectent. Vetus namque hęc querela est, ut plerique omnes uirtute & ueritate longum ualere iussis, corporis uoluptatibus mãcipati in omnem sese spurtitiem dedant, ut nisi deus aliquis pręsens opẽ ferat, actum de studijs esse unà cum Gal. dicere possimus de qua refusissime idẽ autor li. primo & secundo methodi medendi egit. Quid porrò si nostri temporis mores, iuuentutisque corruptelam uidisset dicturus fuisset, bonis ac doctis uiris congitandum relinquo. Vbi uero Patrophilum quasi ex specula quadam sublimi prospicientem facit. flagrantissimumque pulchritudinis amatorem, hac sanè parte ab animi constantia ac firmitate eundem commendare

lib. 2. met.

mendare

dare videtur, quòd calcatis laboribus ad perquirendam veritatem necessarijs, perarduum virtutis callem conscendens, voluptatesque omnis generis omnes spernens, culmen attigerit, duro quidem ascensu, sed in fastigio tamen positus, ceu è sublimi specula quos pertulerit labores prospiciens valde lætatur, & summa perfruitur voluptate, Illud Phylosophi in ore habens. Labor abit, voluptas manet: Labor breuis gloria immortalis. Hi namque profectò qui multis sudoribus, vigilatis noctibus, & indefessis laboribus veritatis viam tenuerũt pulchritudinis, veritatis amore flagrant, & è sublimi specula veritatis, è summo vertice dispicientes, eos auersantur qui voluptatibus irretiti, aut ignauia depressi, & socordia in radice montis constiterunt, in altum veritatis culmen sese attollere non potentes. De quibus id appositè ab diuino vate dictum est,

*At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,*
*Dum fugit oppositos incauta mente labores,*
*Turpis inopsque simul miserabile transiget æuum.*

Verg. in litera Pytagore.

Hi profectò qui durum virtutis callem multis exantlatis laboribus ad suauem illam veritatis viam perueniunt, quo ubi peruenerint, ceu è sublimi specula spectantes, eos despiciũt qui in imo positi mentem erigere, pręsocordia sursum nequeunt. Et profectò, si Galeno creditur, hoc sursum aspicere est, lumen veritatis (quòd de sursum venit, a Deo inquàm, & à mente nobis ab eo insita) speculari ac penitius contemplari. Vt enim qui locus speculatoribus debetur sublimis esse debet, hoc est magnis rebus contemplandis aptus: sic quoque decet magno ingenio præditos, & ad veritatis viam anhelãtes ex specula quadam sublimi. nempe veritatis arce, hominum errores & in quibus inscitia, vel ignauia falluntur despicere. Hoc sanè est (quod hic ait Galenus) Flagrantissimo pulchritudinis amore teneri. Siquidem vel authore Platone, Pulchritudo summa ipsum bonum, ipsum verum est. ad quod cum boni omnes ceu ad signum propositum contendere debeant (ut quod totius Philosophię finis sit) fugienda fallax omnis doctrina, fucata, mendosa, sophystica est: contraque amplectenda simplex, vera, minimeque mendosa venit. Eo enconio suum Patrophilum cõmendare hoc loco videtur Galenus, quòd esset flagrantissimus eius pulchritudinis amator, quæ splendore; ac lumine veritatis nititur. Hanc quisquis amat falli, errare, ac decipi minimè potest.. quod ducem veritatem sibi proposuerit. Quod intuens in Patrophilo suo Galenus, illum mirificis laudibus extollir, & postulara sibi ab illo vltro concedit. Hic autem illud obiter norãdum, Andernacum libri huius interpretem satis ineptè pro pulchritudine venustatis nomen vsurpasse: cum ait in versione sua (uenustatis ipsius amator esse depræhenderis) cum tamen venustas ad corporis formam pulchritudo ad animum magis pertineat. Et Grecè quidem sic scriptum est, καὶ τὶ κάλλους αὐτῶ. Seruauda itaque verborum & sensus proprietas est, nec ad corpus detorquendum quod animo debetur. Reliqua verò quæ seriem consecuntur vsque ad illam partem (Quare multas ordine artes) Satis per se patent nec commentationis egere mihi videntur, quòd Asianum pro more suo agat Galenus. Eam igitur partem cum altera quæ proxime sequitur, quæque ex Procœmio residuæ sunt explanabimus.

Libr. 3. de vsu partiũ. Simile pulchrum.

In Phędro de pulchro

Andernacus notatur

**Quare multas ordine artes similiter contemplatus, prescrtim quas gręci ποιητικὰς quasi factiuas appellant (quandoquidem ex hoc genere, sanitatis tuendę scientia consistat) iam tunc ad ipsam transcendisti quam initio ardentissimè affectabas.** Tex.

ARtium plura esse genera, tum à Platone in Gorgia de Rhetorica, & Philebo de Summo bono, tum ab Aristo. libro sexto Ethicorum, & libris Rethoricorum ad Theodectem, tum à Galen. hoc loco, & libro de optima Secta, & pluries alibi dictum est. Siquidem quædam sunt, quæ in sola earum rerum quas contemplantur inspectione & veritate versantur, vt Mathematicæ omnes, quarum finis Com.

est perinde atque physiologiæ veritatis solius adeptio: & hę quidem θεωρητικὴ Gręcè vocantur. Aliæ actiuæ quidem dicuntur, quæ aliquid quidem operantur & agunt, sed post actionem nihil operis relinquunt, vt saltatoria, Musica, & pręconum ars. Et hæ quidem Græcis πρακτικὴ dicuntur. Aliæ rursus, quæ post actionem opus conspicuum relinquunt vt Medicina Fabrilis, & Aedificatoria, quæ post actionem opus relinquunt Medicina, sanitatem, Fabrilis seram, aut clauem, aut quid simile, Aedificatoria domum, & hę Gręcis ποιητικαὶ dicũtur id est factiuę, quarum effectis opere relicto monstretur. Medicinam verò in genere factiuarum reponit meritò hoc loco Galenus, siue sanitatem tueri conseruando, siue ademptam resarciendo recuperare studeamus. Sanitatem, namque & conseruat, & efficit ars, vt idem Gal. Com. 5, ad lib. sextum Epidemiorum conceptis verbis affirmauit. Nec immeritò Galenus Patrophilo suo gaatulatur, quòd ad eam quã, ardentissimè affectabat sanitatis tuendæ scientiam transcendisset: siquidem nihil præstantius, nihil in vita vtilius, quàm tuendę sanitatis studio niti. Est enim sanitas thesaurus optimus, sine cuius fruitione nulla est reliquarum rerum omnium, (vt Hippocrates dixit) ant voluptas, aut fructus. Quid nimirum igitur si illam ardentissimè Patrophilus affectabat? cum eos qui eius studio teneantur ne bubone quidem laboraturos per omnem vitam Galenus affirmat. Qui cum alioqui esset ab ipsa vsque pueritia morbis obnoxius. posteaquam intellexit esse quandam tuendę valetudinis artem, illam obseruans, salubrem in posterum & incolumem vitam induxit, vt ipse de se in libris salubrium & pluries alibi testatur,

lib. 1. de victus rat. lib. 5. de sanit. tuenda.

Text. Adhæc cum intellexisses vnam eademque rationem ac viam esse ne tibi dicta aliquando à me memoria exciderent, voluisti commentarios quosdam de his exarari. Atque nos tuo veritatis indagandæ studio gratulati, duos hosce libros composuimus. Priore, in quo artifex quicunque futurus est, exerceri debet, docemus, quod veteres Philosophi dictitant cuiuslibet artis constitutionem à finis notione proficisci. Diuisus est autem propter magnitudinem in duo volumina. Altero hoc est secundo, quem nunc paramus indicabimus quomodo una eademque methodus ut uniuersas alias artes, ita medicam quoque constituit. Ac iam librum exordiemur.

Com. QVam esset eius uię perdiscendę qua constitui artes possent. studiosus Patrophilus, ex hoc loco plannm facit Galenus, qui cum intellexisset maximè illi curæ esse, vt hanc rationem ac viam perdisceret, quam illi Galenus sermone monstrauerat, ne illa memoria exciderent (facile enim sermone prolata, ni scriptura & commentarijs tanquam fido memorię conditorio asseruentur, nullo negocio, pereunt ac dilabuntur (Ob id Patrophilus cõmentarios sibi de ea re á Galeno exarari petiit. Cuius notis annuens Galenus, quod illum uideret veritatis indagandę. summo studio teneri, Illique eam rem gratulatus, duos de Constitutione Medicinę libros in illius gratiam conscripsit, hoc nos docens exemplo, ijs qui ueritatis studio tenentur, nos maximè gratulari debere, quòd rectam uirtutis uiam teneant, & ad adipiscendam sapientiam toto pectore nitantur. Quorum in gratiam omnia nostra liberaliter fundere, & beneuolè cõmunicare debemns. quod Galenus in Patrophilo suo ornando, atque doctrinis locupletando fecit. Priore autem libro illud se docuisse testatur, in qno artifex quicunque futurus est exerceri debeat. nempè in eo, cuiuslibet artis constitutionem (quod veteres Philosophi omnes dictitant) à finis notione proficisci debere. Et profecto sic se res habet ut à finis notione artium constitutio pendeat. Nam cum artes omnes finibus suis non materia distinguantur, ut Galenus lib. ad Trasibulum dixit, finis omnino cuiuslibet artis cognoscendus est. si modo illa constituenda venit. Siquidem nunquam Architectus domũ rectè construet, ni prius finẽ in quẽ domũ construit intelligat. In id autem domum construit, vt ab imbribus, frigore, ventis, sole, & alijs iniurijs protegamur quod vbi nouit, ita domum construit, vt ab his omnibus iniu-

rijs

rijs tutissimus. Ob id rectè fundamenta ponit, parietes substruit, lumina figit, tectum & imbricatum superimponit, sic nauium Artifex, fine suæ artis præcognito, vt commodè exportari transfretatione possint, firmam compingit nauem, carina, lateribus, costis, puppi, prora, laroque sinu uberem ac capacem, velis, antennis, malo, temoneque constantem. Sic & in Medicina quoque, vt cuius constitutio à finis notione tota oritur. Est autem Medicinæ finis sanitas, vt in lib. qui Medicus inscribitur, in lib. de Sectis, & de optima secta ad Trasibulum, & pluries alibi Galenus testatur. Quomodo autem fine præcognito artem constituere liceat, & paulò antè obiter diximus, & fusius in processu sumus dicturi. Constat autem, à fine præcognito, ad ea quę ad finem consequendum pertinent si progressus fiat, nullis relictis medijs quę ad finem ducunt si appositè quis ea in sua capita atque principia resoluere sciat, artem hunc planè constituere. quod in hoc libro se facturum bona fide, certaque methodo pollicetur Galenus.

# CAPVT PRIMVM.

Tex. Quoniam artes quædam in sola rerum quas contemplantur inspectione finem habent, vt Arithmetica, Astronomia, & Philosophia. Quædam actiones nonnullas obeunt, vt saltatoria & pręconum ars. Vbi vero ab actione cessauerint nullum ex se opus possunt ostendere. Nonnullæ contra quid effecerint postea indicant quemadmodum ędificatoria & fabrilis. Aliæ nihil ipsæ quidem efficiunt, uerum res quasdam uenantur ac conquirunt operis loco, qualis est ars piscatoria & ars feras canibus insectandi: in summa, quæuis ars uenatoria.

Com. ARtis medicæ constitutionem edocturus Gal. rectissimè ab artium differentijs enumerandis exordium sumpsisse visus est. Nam cum quod multiplex est in suas partes atq; membra diduci debeat si veram artis constitutionem nancisci volumus, operęprecium est, vt artium distinctionem prænoscamus, vt è quo genere artium Medicina sit intelligi possit. Itaq; artium quædam pro fine inspectionem veri & contemplationem habent, vt Mathematicæ omnes Arithmetica, Astronomia, Geometria, Optice, & Musica, tū vero & Physiologia quæ de rebus naturalibus tractat. Hæ enim sola veri contemplatione quod pro obiecto habent, & demonstrare illud possunt suis axiomatis, petitionibus, & definitionibus contentæ sunt. nec aliud quicquam inquirunt nō actione ulla, non opere, quod post actionē relinquāt nituntur. An verò veræ artes hæ sint, paulò post discutiemus. Quędam vero totæ in actione positæ sunt, nec quicquam operis post obitam actionem quod ostendatur reliquunt, qualis est saltatoria, cytharistica, & pręconum ars, hæ etenim omnes, vbi ab actione destiterint, nihil operis quod conspicuum sit ostendere possunt, ꝗ actioni tantum, non operi incumbant. Quædam verò artes sunt, quæ in id actionem edunt, vt opus aliquod ex actione reliquant, in quo genere ædificatoria & fabrilis reponi meritò possunt, tum verò etiam & Medicina. hæ enim omnes opus post actionem conspicuum relinquunt. architectonicæ Domum, Fabrilis seram, aut clauem, malleum, serram, & eius generis similia. Medicina sanitatem. Artium verò quædam nihil quidem efficiunt, eorum quæ ipsę venantur, venandi tamen & acquirendi industriam operis loco sibi sumunt, vt piscatoria, venatoria & aucupium. Ea enim quę his artibus sibi artifices acquirunt nihil eorum efficiunt. Piscator enim venator, & auceps, pisces, feras, aues ipsi quidem non efficiunt, sed ea captant industria sua, & arte. Verum scrupus hic maximus incidit quomodo hoc loco Galenus Arithmeticem, Astronomiam, Physiologiam artium nomine dignetur, quod ineptè & impropriè artis nomine hoc loco vsus videatur esse Galenus. Non enim artes hę sunt, sed scientię potius, eaque om-

An physiologia & Arithmetice atq; Astrologia artes sint.

omnium certissimæ, atque verissimæ, quòd demonstrationibus constent. Ob id eas Aristoteles in primo gradu certitudinis collocauit, vt quarum sit finis sola veritatis per demõstrationem habita cognitio, nec aliquid agant, aut efficiant & eorum sunt quę aliter se habere non possunt, quòd ad scientiam requiri Aristoteles libro sexto Ethicorum. cap. 4. docet. Eò .n. ars à scientia differ ꝙ scientia eorũ sit, quæ aliter se habere non possunt: Ars verò eorũ quæ & esse, & non esse, & aliter queunt hoc est quæ aliter se habere possunt. Quin & scientiam (vtpote quæ circa necessaria versetur (nunquam frustrari fine suo contingit, vt quæ demonstrationibus nitatur cuius finis sola veritas rerum est. Artem ab scopo aberrare, vel materiæ vel artificis vitio sæpe contingat & suo fine frustrari. Siquidem nec semper medicus sanat, nec faber semper rectè opus fabrile conficit. Cur ergo artis nomine scientias has nuncupauit? Et profectò vix erroris conscium Galenum hac parte saluare poterimus, quin calumnię subijciatur, & improprietatis argui possit, qui artis nomen veris scientiis accommodarit. Nisi quòd ab eo edocti lib. 2. de Symptomatum causis capite quinto: antiquorum placita qui enarranda suscipit ea amicè magis definire quàm morosè redarguere debet. Idipsum & nos quoque in interpretando Galeno, & à calumnia vindicando nunc faciemus. nec protinus cum eò lege agemus, aut summo iure ad tribunal vocabimus (Siquidem summum ius summa iniuria) Sed candidè eius dicta interpretantes, eum ab erroris, & mendacij culpa vindicabimus, dicemusque eum hic artis nomine in suo lato non proprio significato vsum esse. Nam quòd scientię nomen latè sumitur, & ab eodem Galeno alio loco vsurpatur: sic & artis nomen lato quodam modo hic sumpsit Galenus, pro collectione pręceptionum, ad vnum quempiam vitę finem spectantium, siue is finis actio sit, siue contemplatio, aut effectio: quo in significato Astronomia Geometria, Arithmetica, Physiologia, & cæterę disciplinę inspectiuę omnes, artes quodammodo dici possunt, cum sint singulę earum pręceptionum quarundam collectio, quibus sua Theoremata firmant, & si ad actionem aut effectionẽ non dirigantur, sed ad solam contemplationem eius quod inquirunt. propriè tamen artes non sint sed merę scientię, quarum finis sola veritatis adeptio est, Quod & ipsum ex artis definitione ab Aristotele posita libro sexto Ethicorum probari apertissimè potest, cum sit ars habitus recta cum ratione in efficiendo positus & sit ars eorum quę aliter se habere possunt, vt eodem ipso loco voluit Aristoteles. quod scientijs conuenire nullo pacto potest, quòd habitus tantum sint in sola veritatis contemplatione, non in actione aut effectione positi. Atque hoc pacto Galenus à calumnia & errore vindicari potest.

Galen. notatur & à nota vindicatur.

Quęstionis solutio. In arte medicinali.

## CAPVT SECVNDVM.

Tex.

Igitur quam superiori libro methodum artium didicisti eam modo tibi ad artem quam constituere conaris transferre tempestiuum est. Idem hic quoque orationi principium statuendo, quod in illis omnibus: nimirum finis notionem quam vnde consecuti simus dicere tempus præsens postulat.

Com.

DVos libros de artis medicę constitutione edidisse Galenum, tum ex hoc loco tum ex fine procemij huius libri videre est. Prior nobis iniuria temporum excidit in quo omnium artium constitutionem à finis notione proficisci debere Galenus docuerat. methodumque in eo tradidit, qua artes omnes constitui iure possent à finis scilicet notione incipientibus nobis (si quidem sine finis pręcognitione, cuius gratia ars constat) constituere artem nullatenus possumus. Hoc siquidem est artem constituere, inuenire pręcognito fine methodum, ac viam qua ad eum finem perueniri possit. quæ cõis est omnium constituendarum artiũ ratio) Posteriore hoc libro, quasi exemplis nos manu ducens (cum optimã esse exercitationem illam quę exemplis fit Gal. ipse lib. 9. meth. affirmarit) vt cõstituenda sit

Artem cõstituere qd.

ars

ars medica, & per quæ docet: nempè à quæ secundum naturam sunt, ad ea quæ præter naturam progredientes. Non enim quæ præter naturam sunt cognosci incognitis his quæ secundum naturam sunt, possunt vt doctè Galenus libro secundo methodi medendi scripsit. Nam quæ præter naturam se habent, eò sic habere dicuntur, quòd à naturali constitutione deflexerint, ob id prius quę secundum naturam se habent, vt se habeant, scire est operę pręcium, nempè nos ipsos sanos primùm cognoscere, tum & alios homines quoque, vt non solum nostram ipsorum, sed & aliorum quoque naturam noscamus qua sani degimus. Hoc namque medici proprium munus est, omnium hominum naturas propius nosse. Siquidem cùm ad medicum pertineat morbos tollere (quod est ab Hippocrate proditum) tolli verò morbi necquicquam possint (vtpotè pręter naturam cum sint) nisi quę secundum naturam sunt probè dignoscantur, illa pręscire necessarium est. Nam cum varię sint hominum naturæ status, conditiones, habitus, ętates, variaque temperamenta, hæc omnia à medico dignoscenda sunt, vt curare methodo & artis constitutionem consequi possit. Nec solum hæc nosse sat est, sed & cuiusque partis substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, & connexionem cum reliquis partibus scire oporteat (si rectè medici munere fungi, volumus) hæc omnia spectanda diligenter medico sunt non solum in nobis ipsis, sed in alijs quoque omnibus hominibus, quod publicus salutis omnium hominum minister medicus sit, atque curator. Nam etsi hominem in communi non curat medicus, sed Galliam vel Socratem, ob id singulorum notitiam habere medicum oportet. si omnes rectè curare velit, quod est id quod à Galeno hoc loco dicitur: si artem constituere velimus, nos ipsos sanos primùm, tùm & alios homines cognoscere debere nec solum sanos, sed etiam ęgrotos. Nam non una eadéque rõne oẽs ægrotãt, alius à pituita, alius à flaua, ab atra bile eius aut sanguine ægrotat. Per hęc enim & ægrotant homines, & valent, vt docta Hippocratis libro de natura humana sententia est. ob id igitur, vt quantum à naturali commoderatione dicessum sit sciamus, cuiusque hominum temperamenta, humores, facultates, & actiones & cętera quæ secundum naturam sunt præscire oportet Rectè igitur hoc loco Galenus nos ipsos sanos præcognoscere & alios item, tum postea ægrotos, necessarium esse rectissimè affirmauit, quòd non omnibus eadem sanitatis ratiò, eadem morborum in specie ratio constet. Quorum omnium formas atque rationes scire eum conuenit, qui artem medicam methodo constituere velit. Vnde sanitatis desiderium artisque constituendæ quæ illam tueatur (quod hic ait Galenus) nobis aduenit.

Medici proprium munus.

At si valetudinem secundam efficere cogitamus, vna nimirum ex factiuarum artium genere fuerit, quam constituere cupimus. Quum verò duplices factiuæ sint, vt diximus hęc ex earum numero censebitur, quæ iã factum opus instaurant, corriguntque, non ex illis quæ nouum efficiunt. Nonnullæ siquidem artes, ipsas res operantur, velut textoria & coriaria. Quædã uitiata corruptaq; resarciũt sicut quę laceras uestes, & dirutos calceos consuunt, reficiuntque. quod in arte ędificatoria ita se habere demonstrauimus. Cuius quoque opera duplicia sunt, domum videlicet ex integro constituere, & collapsam reparare ostensum quoque est. ad vtranque actionẽ omnes domus particulas cognoscere, artificiei esse necessarium qua videlicet substantia sint predite, quali figura, quanta magnitudine, quot numero existant, & quomodo inter se compositę. Itaque constituenti artem corpori nostro dicatam (quam in presentia tum medicinam appellare, de nominibus contentiosi nobis concedant) necessaria est cuiusque simplicis particulę cognitio qualem substantiam habeat, figuram, magnitudinem. adhęc omnium earum numerum, ac mutuum inter se connexum intelligere ex usu est.

Text.

Indicatio- [illegible]

Com. DVAS hic medicinæ partes ex quinque illis in quas medicina diſpertitur commemorat Galenus: alteram quam ὑγιεινὴ Græci vocant, id eſt ſalubrium ſcientiam alteram quam θεραπευτικὴ, id eſt curatricem. Equidem, vt hoc loco Galenus, aliud eſt ſanitatem tueri, aliud ſanitatem efficere. Qui enim tuetur, nihil noui facit, ſed quod à natura factum conſeruat ipſe ac tuetur, ea methodo quæ in libris de ſanitate tuenda tradita eſt. Qui vero curat, noui aliquid molitur, ſanitatemque ipſe auxilijs artis efficit, ſanguinis miſſione, purgatione, cucurbitulis, ſectione, actione, & alijs artis præſidijs morbo contrarijs morbum enim pellens medicus, ex conſequenti ſanitatem inducit, quæ poſt congrua adhibita auxilia parta, medici opus dici debet. vt Gal. Com. 5. in lib. 6. Epidemiorum Hippocratis conceptis verbis aſtruxit, & propterea medendi artem tum cum ſecundam valetudinem facere cogitamus (quòd morbis medendo fit) è factiuarum numero eſſe hic Gal. meritò voluit, atque ex earum albo quæ iam factum opus inſtaurant, atque reſarciunt vt meritò non ſolum factiua ars medicinæ dici, ſed refectiua etiam iure debeat, cùm non ex illis ſit artibus, quæ nouum opus efficiant, ſed ex illis potius, quæ corrupta, ac vitia- 19 ta quæ ſunt reſarciunt ac concinnant, vt eæ ſunt quæ laceras veſtes, diffractos calceos, vetuſtas ac collabentes ædeis inſtaurant, vt exemplo de ædificaroria artè apertè hic docet Gale. Cùm verò vt id fiat, ſiue nouum opus conficere, ſiue iam factum inſtaurare velimus particulas omnes cognoſcere artifici neceſſarium ſit, ex quibus opus confici, vel collapſum refici debeat qua videlicet ſubſtantia, quali figura, quanta magnitudine, quot numero exiſtant, & vt inter ſe mutuo nexu iunctæ ſint, aut eſſe debeant, ſic ſanè in medica facultate, res ſe ad eundem modum habet. Siquidem ſi ſanitatem. (quæ finis artis eſt) vel ſeruare in partibus ſeu ſimilaribus ſeu etiam diſſimilaribus velis, neceſſarium quidem eſt cuiuſque particulæ, aut ſimplicis aut organicæ notionem habere qua ſubſtantia prædita ſit, quali figura, magnitudine numero, poſitu, atque connexione, ſine quibus exactè perpenſis, nec præſens in partibus ſanitas conſeruari, nec amiſſa reſtitui poteſt.

Text. Quemadmodum igitur qui factam iam domum, qualis ſit ad amuſſim noſſe cupit 20 ex reſolutione ac diſſolutione eam deprehendet: ita ex anatome corpus humanum cognoſcemus.

Com. SImilitudine apta quid ad medicum artem conſtituere volentem pertineat docet hoc loco Galenus, vt enim propoſitum illi in hoc libro fuit reſolutiua methodo artem vniuerſam tradere, ſic ſanè analogia quadam quæ in artificijs ex reſolutione & diſſolutione deprehenduntur: ſic quoque in medicina fieri affirmat. Si quis enim conſtructam iam domum qualis ſit intelligere cupit, vt partes domus diſſoluat neceſſarium quidem eſt. ex quarum diſſolutione partium, ex quibus conſtructa domus ſit facilè intelligetur: ſi enim imbricatum, tectum, parietes, lumina, cubicula, cœnationes, ambulationes, demumque fundamenta diſſoluendo comprehenderis, vniuerſæ iam domus ſtructuram hac via tenere poteris. Ad eundem ſanè modum, corporis huius noſtri (quæ domus quædam terrena eſt & animi diuerſorium) ſtructuram omnem ſi noſſe cupis, ex anatome illam deprehendes, vt per quam partium vniuerſi corporis omnium, internarumque præci- 30 puè ſedium naturam omnem, hoc eſt ſubſtantiam, figuram, magnitudinem, numerum, ſitum atque connexionem deprehendas: ex quibus quid commodi ex harum inſpectione partium toti arti oriri poſſit planum fiet. Cognitis namque his quæ ſupra diximus (quæ quidem ex anatome ſingula patent) veræ de medendo ſumentur indicationes, quas inde petendas, nempe à partis ſubſtantia, poſitu, figura, facultate & actione Galenus in medendi methodo & paſſim vbique docuit. Rectè igitur ſi quis medicam artem reſolutiua methodo complecti velit, illius partes diſſoluat omnino oportet, ex qua partium diſſolutione ſi rectè & ordine fiat, à finis notione inchoando & ad principia deſinendo nihil eorum prætermittendo, quæ in fine poteſtate concluſa ſunt, hic ſanè & vniuerſam artem conſtituet, & conſtitutam probè tenebit. Quod cum reſolutoria methodo perfici quàm optimè poſſit, vt cuius vnius ductu à fine artis reſoluendo cuncta extrahuntur ob id in hoc opere Gal. methodum eam inſtituto ſuo aptiſſimam de induſtria ſequi voluit ad artis notionem complendam.

Indicationis ex partibus vt ſumendæ.

Nam

**Nam Deus & natura, vt ille qui domum primum extruit, sic partes corporis prænoscunt vsu videlicet ipsis exemplum supeditante.** Tex.

Com. VT Deus & natura partes prænoscant, vt verò nos item partes noscamus, docet hoc loco Galenus, aliam quidem dei & esse naturę de partibus notionem, aliam quæ à nobis fit. Notio autem est (quam Greci ἔννοιαν tum πρόληψιν uocant) insita & ante percepta cuiusque formę cognitio enodationis indigens, vt Cicero libro Topicorum, Deus namq; solus sapiens, & in quo sunt omnes thæsauri sapientiæ & scientię recōditi, seipsum intelligendo omnia intelligit. Qui cū sit omnium opifex, qua arte vnumquodque effecerit, qua ratione, in quem vsum, qua substantia, qua proprietate, quo fine, quodque genitum sit perfectissimè nouit, ac proinde delectatus in opere suo vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, nempe à summo bono profecta. (Genes. 1.) Natura item cùm sit diuinitatis infimum instrumentum, & ipsa quoque vicaria potestate rerum opifex, vi ac potestate illi à summo opifice indita (hæc porrò anima mundi est, penes Platonicos tota infusa per artus) hæc inquam suos partus nouit, nullius alterius adminiculo quàm dei adiuta. Sciunt enim rerum opifices in quem vsum vnaquæque partium ex quibus constant res facta sit, & propterea rectè hic ait Galenus, vsu partium deo & naturæ exemplum pariente. Actio nempe partis, uel vsus notionem præbet & exemplum partis effictæ. Vnde hic animaduertere est, vsum hoc loco pro vtilitate & functione partis sumi. Varia est enim vsus significatio apud Galenum interdum enim pro facultate, potentia & vtilitate, qua vnaquæque pars prædita est, & actionem facere potest sumitur, vt lib. 1. de Locis Affectis, cum dicit Gal. usum inesse partibus vel nihil agentibus, quòd, est vtilitatem & facultatem inesse partibus etiam nihil agentibus. Interdum verò pro cooperatione actionis, vt lib. 1. de morb. diff. cap. 6. cum ait, in instrumentarijs partibus vnam esse partem quæ actionis sit opifex; reliquas omnes huic parti vsum aliquem præstare, id est vtilitatem & cooperationem, uti in oculo demonstrat. Sed hic quid naturæ nomine intelligat Gal. indagandum, varia namque est naturæ apud Arist. quinti Methaphysices capite quarto acceptio. Siquidem nascentium generatio natura dicitur. Item ex quo primo inexistente generatur quod gignitur. Item vnde primus motus in vno quoque eorum quæ natura sunt, in eo secundum quod ipsum est. Item ex quo primo inordinato existente & immobili ex sua potentia, est aut fit aliquid, vt statuæ, vasorumque æneorum æs, lignorum verò lignum. Rursus substantia eorum quæ natura sunt. Propriè vero substantia eorum quæ in seipsis vt ipsa sunt motus principium habent. hic tertio & hoc vltimo modo sumi naturæ vocabulum censendū est. pro eo scilicet vnde primus motus in vno quoque eorum quæ natura sunt. Hæc quidem ex Peripateticorum sententia. Ego vero propius ad Galeni mentem accedens, hic naturæ nomine intelligi iuxta Platonis mentem animam mundi per totum infusam & seminalem uim in se habentem existimo. quæ rectissime naturæ nomine appellanda venit & quam Plato columnæ cuidam radiosæ & illustri ac cælo in terras protensæ comparat libro decimo de Republica, intelligens per columnam illam (vt doctè Ficinus eo loco exponit) uim mentem vitalem atque seminariam, ab ipsa mundi maxima anima infusam materię mundi quæ ob id lumen dicitur quoniam penetrans vt vitalis. Recta autem effingitur columna, quia quasi per longum totam vbique materiam penetrat que implet, multosque formarum gradus profert. Per omnem extenditur partem, & cœlum undique alligare dicitur, quia tota vbique adest, & totum continet, quia penetrando diffunditur, & quatenus diffunditur implet, regitque implendo, vnde est illud Maronis sexto Aeneidos

*Principio coelum ac terras, camposque liquentes.*
*Lucentemque globum lunæ Titaniaque astra.*
*Spiritus intus alit totaque infusa per artus mens agitat molem.*
*Et se magno corpore miscet.*

Hæc est natura, quæ secundum deum rectam rerum notionem tenet, Itaque rectè Gal. dei & naturæ notionem à nostra ipsorum longè distare dixit, estque ipsa quàm nostra infinitis mo

dis perfrectio atque purior; nostra uero caligine & errore sensuum imperfecta, impura, sæpe numerò fallax & illusoria. Atq; ob id Gal. hoc loco Dei & naturę notionẽ de reb⁹ ipsis factis similem facit notioni quam artifex de opere suo habet. Nemo enim melius aut perfectius opus nouit suum quam ipsemet artifex qui opus confecit. sciens partium essentiam, naturam, situm, numerum, magnitudinem, connexionem, & cætera eiusmodi unde totius operis notio constat. Nos verò perinde atque qui iam factam domum intuentur, non autem ipsi eam construxerunt. ac proinde fieri non potest, ut parem notionem atque deus & natura habeamus. quod illis, omnibus numeris inferiores simus facultatemque mancam habeamus, indeque nos falli minime mirum est. Quæ enim cognita sunt apud nos, collatione eorum quæ sunt cognita apud naturam paruæ sunt, & fere minimæ cognitionis ut Aristoteles 7. Metaphysices dixit?

Tex. Nos vero ut ille qui ædificatam iam domum contemplatur (nisi quantum homini licet persimilem deo cognitionem consecuti fuerimus (fieri non potest ut cognoscamus omnia ne in usum aliquem facta sint, an quędam superuacuo. Etenim vtrunque intelligere, humani ingenij uiribus denegatum non est. Item an perperam quędam constructa sint unde optima corporis constitutio quoque cognoscitur. Verum de his postea.

Com. Fieri non posse Galenus putat, ut nos qui a vera rerum cognitione plurimum deficimus, id cognoscamus, omnia ne in vsum aliquem facta sint, an quædam superuacuo & frustra. quòd mancam, & à vera rerum essentia longe semotam cognitionem habeamus, ut pote plerunque sensibus inhærentem, quasi nos eminus rerum essentias teneamus. Et profectò indagatione solerti atque exacta opus est ut id plene intelligamus. Nam & si à Platone, Aristotele, atque etiamnum Galeno millies in mille locis dictum est, naturam nihil frustra facere, nec deficere, & ab Hippocrate naturam iustissimam & sapientissimam esse uocatam, nihilo secius tamen quædam otiosa ac nullius usus gratia uidetur eadem exffinxisse natura in animalibus & plantis, ut cum monstra gignit bicipitem & bicorporeum hominem, vel sex in manu digitos habentem. Quin & cum alioqui recte cumpositis, & secundum naturam effectis multa erronea, & superuacua nulliusque vsus creasse natura videtur, vt Theophractus libro suæ methapisices capite sexto testatur. nempe mammillas in hominibus sollos in naso, podice, auxilis, cornua prægrandia & onerosa ceruis & damis, quæ nulli sint illis vsui at potius impedimento ad cursum cum sint pauida admodum animalia. Itaque cum æque talia multa frustra videatur effecisse natura, uidetur merito accusari posse, quòd non omnia ordinate & propter finem, sed pleraq; temere & nullo usui futura, (ut ab Theophrasto dictum est (effecerit, atque ob id nec iustissima dici pro Hippocratis mente poterit. Verum enimuèro cum sit natura ipsa diuinitatis infimum instrumentum, ab anima mundi rebus omnibus inserta, & vim illam ordinatam, ab ordinatissimo opifice. & sapientissimo Deo acceperit, vt in Timeo Plato (qui fieri potest. ut vanitatis & temerarij opificij incusare illam valeamus? Nā vt Theophrasto respondeatur, naturam incusanti, dicendū, nihilquicquam temere ab ea esse factum, nihil ociosè ut quæ semper finis gratia agat, vt & omne agens, vt est ab Aristotele secundo de Phisico auditu proditum, & est ab Auerrhoe eodem ipso libro confirmatum, dicente, Qui ait naturam non agere propter finem tollit sollicitudinem Dei circa ista inferiora. Itaque quòd mammillas in homine genuerit, non id temere factum putari debet. Nam & si lactis procreandi gratia mammæ in animalibus factę sint, ut lib. 7. de usu. part. cap. vlt. à Galeno dictum est, in hominibus tamen non eius rei gratia procreatæ sunt, cum lactis generatione illis non sit opus, sed in aliam utilitatem, in quam etiam tam in maribus quàm in fœminis mammæ à natura creatæ sunt, ut inquàm tegmen quoddam ipsę essent utrinque cordi appositæ ac veluti propugnaculum in id mammas & in hominibus quoque effecisse natura videtur. tum autem, ut & ipsum cor recalfaciant per refluxum, similiter his vestimentis quæ nobis extrinsecus circundamus. quæ apposita, atque à corpore nostro calefacta nos recalfaciunt. Ad eundem modum quæ in mam-

Ad Theophrasti obiectionis responsio.

mis est glandulosa substantia veluti tegmen cordi est, & ab ea calefactæ ipsum vicissim recalfaciunt, Quæ docta Galeni citato loco sententia est. Quæ vero de ceruorum cornibus Theophrastus adfert, & de pilis dissolui facilè possunt. Nam in ceruis ob excrementi terrestris copiam, & vt esset corpus ad fugam agilius pedesque fugaciores haberet, plurimum excrementi in caput detrusit, ne cum sit pauidum animal, si id excremēti infra maneret cursum impediret, quo se à venatoribus liberat. Pili verò in podice & pudendo ad excernendum fuliginosum excrementum, ne latens noxam inferret à natura creati sunt, vt nihil temerè factum ab ea, sed omnia finis alicuius gratia asseuerare certè possimus. Ob id rectè Galenus humani ingenij viribus denegatum non esse id vt intelligamus iu vsum nè aliquem facta sint quæ á natura facta sunt, an superuacuò, dixit.

Tex.

Cum iam familares nominatas particulas exanatome qualis quæque figura sit, quanta magnitudine, quot uniuersæ numero, quemquem interse connexum habeant didiscerimus, & compositas partes (quæ etiam instrumentariȩ dicuntur) cognoscemus cuiusmodi sunt crus, manus, digitus, oculus, lingua, pulmo, iecur, ac id genus ali.., ideo quoque duplices partium actiones inuenire est, alias simplicium similariumque alias compositarum ac instrumentariarum. Siquidem & totum crus & singulos eius musculos moueri quis nō uidet? Quod si transuersus musculus in totum dissectus fuerit, aliquem cruris motum perire nemo dubitat.

Com.

EX anatome particulas omnes seu similares sint, seu dissimilares agnosci quanam quæque substantia, qua figura, quanta magnitudine, quo numero esse oporteat, quem inter se connexum habeant cognoscitur. Quod & nos Galenus pluribus in locis docuit nempe lib. 1. de loc. affec. & libris de vsu partium vniuersis, tùm verò principuè libro decimo septimo cap. vltimo. & libris de anatom. administ. ex illa enim tanquam in tabula expressa partium omnium natura, forma, situs, connexio, numerus, magnitudo, vsus præsertim & utilitas (internarum præsertim sedium quos locos uocamus) deprænhenduntur, & sensibus nota fiunt exindeque miram creatoris potentiam, sapientiam, iustitiam in pangendo homine admirari est, vt lib. 17. de vsu part. cap. vltimo Gal. expresit. Duas porrò esse partium in nobis differentias præter Arist. Gal. millies in mille locis dixit, nempè similares & simplices, & organicas seu instrumentarias. Similares partes quas Arist. Grece ὁμοιομερεῖς uocat, hoc est vnius rationis, quòd in partes alterius naturæ & rationis diuidi non posint, & quorum vna est tum natura tum ratio, quòd videlicet simplices sint, nec diuersitatem in se vllam rationis admittant: quarum quamcunque sumpseris partem ea toti & natura & ratione communicat. Quælibet namque venȩ pars vena est & dicitur, osfis os, & sic de reliquis. Instrumenta verò hæ partes á Galeno libro primo methodi vocantur, quæ perfectam ȩdere actionem ipsȩ possunt, vt oculus visionem lingua loquelam, & ea quorum nunc meminit Galenus. Atque ea ratione fit, vt cum duplices sint in vniuersum partes, nempe simplices & compositæ, duplices quoque partium actiones esse sit omnino necesse, alias inquam simplicium, alias compositarum, quòd nulla pars à natura frustra facta sit, sed in aliquem finem & vt aliquid agat. Aliæ nempe simplicium partium sunt actiones, aliæ compositarum. Harum quidem vt perfectam vnam aliquam actionem ædere posint, crus namque progresiuum motum, manus ac digiti comprehensionem, oculus visionem, lingua loquelam & gustatum, pulmo spirandi munus, iecur sanguificationem parat. suntque hæc illarum partium actiones prout & similarium quoque ac simplicium suæ quoque sunt ac propriȩ actiones, vt venarum, arteriarum, neruorum, ligamentorum, ossium & similium. Venarum namque munus est sanguinem in alimoniam corporis continere ac distribuere, arteriarum sanguinem & spiritum vitalem, & complecti & partibus omnibus impartiri; prout & neruorum sensum ac motum uoluntarium suppeditare. habentque hoc similares partes, vt per ipsas instrumentariæ operentur & agant, vt oculus per pupillam

Arist. lib. 2 de sust. animal. cap. 1. Gal. libr. 1. de morb. diff. c. 3. lib. de inæquali intemperie & lib. 1. meth. med. & pluries aibi.

lam

lam ſimilarem partem viſionem efficit, lingua, crus, manus digiti per neruos illis inſertos, pulmo & iecur per propriam carnem ſimplicem, ac proinde Galenus duplices partium actiones inuenire eſſe rectisſimè dixit, & quòd in crure ceu in exemplo oſtendit. Nam crure moto, non ſolum crus ipſum totum, inſtrumentariam partem, ſed & ſingulos eius muſculos moueri videmus. Quod ſi tranſuerſim muſculus diſſectus fuerit, aliquem illius perire motum experientia cernimus, flexionis inquàm. vel extentionis, vel in latus conuerſionis. Quæ quoniam & ſenſuum & experientiæ fide conſtant, probatione alia opus non habent.

Text.

Conſtat etiam ſi neruus in muſculum quempiam deſcendens vulneratus ſit, primum quidem ipſum muſculum & ſenſu & motu priuari: mox articulum motus inſtrumentum.

Com.

NOn omnino ad neruum in muſculum deſcendentem vulneratum priuari ſenſu & motu muſculum eſt neceſſe, cum etiam ſœpenumero non in exignis ſolum vulneribus, ſed & in effatu dignis, vulnerato neruo non omnino ſenſum aut motum amitti cernamus. & ſi omnino neceſſe ſit vulneratis neruis id quadantenus accidere, cùm per neruos ſenſus & motus partibus inſeratur, interdum quidem per eundem neruum ſenſus & motus, interdum per diuerſos, ambo hæc inferuntur, vt libro primo, tertio, & quarto de locis affectis expreſſe Galenus. Quin autem vulnerato neruo, integer ſenſus aut motus in parte conſtare poſsit, hoc planè fieri nequit. Nam Læſa parte actionis opifice impoſſibile eſt actionem integram. remanere. Labefactatur autem pro vulneris modo ac magnitudine. Priuari autem ex eo vulnere muſculum & ſenſu & motu (vt hic vult Gal. (non omnino admitti debet. Nam ſi tantum qui per cutem ſparſus eſt neruus ſecetur, ſenſum quidem partis labefactari. non etiamdum motum eſt omnino neceſſe. tum verò vtrunque, cum per eundem neruum ſenſus & motus parti inſertur. Neque enim (quod experientia cernimus (ſi ſolum neruus cuti inſertus lædatur, ſenſum & motum ſimul perire neceſſe. eſt cum interdum ſeruari motum pereunte in parte ſenſu videamus. quod & præcitatis locis affirmauit Gal. Quòd vero vulnerato neruo in muſculum deſcendente priuari ſenſu & motu muſculum dixerit Galenus, modificatione à nobis prædicta opus habet. Quin & illud quod ſtatim in contextu ſequitur (mox verò & articulum motus inſtrumentum (ſanè id intelligendum eſt. Non enim voluntarij motus inſtrumentum articulus eſt, ſed muſculus vt libris de motu muſculorum, & libro decimo ſexto de vſu partium à Galeno eſt dictum. Vnius namque actionis duo inſtrumenta præcipua eſſe non poſſunt, ſed vnicum tantum. (vt Galenus vbique docet. Quomodo igitur articulum motus inſtrumentum Gal. hic facit? Quod reuera ſit articulus tanquam id ſine quo non voluntarius motus perfici poſſit. Sunt namque articuli ſtabilimenta & tanquam baſes & columnæ muſculis ſuppoſiti ad motuum localium laborem ſuſtinendum, ob id articulum Gal. hic motus inſtrumentum. adminiculans ſcilicet & neceſſarium, non tamen præcipuum eſſe voluit, tale namque muſculus eſt, vt præcitatis locis Galenus. atque ita intelligendus hic uenit locus. Eſt porro articulus authore Galeno, oſſium commiſſura, quæ moueri natura uoluit, ut in diffinitionibus medicis habetur. Vt autem & verius libro de oſsibus, eſt articulus naturalis oſſium compoſitio, uti muſculus neruoſa quædam ſubſtantia carne intermixta ad motum voluntarium præſtandum. Muſculos namque tendones, ligamenta & neruos neruoſa eſſe corpora voluit Gal. lib. quinto Aphoriſmorum comment. primo.

Galenus ſentẽtia expenditur.

Articulus quid.

Muſculus quid.

Tex.

Vnde arbitror etiam nobis artem conſtituentibus non modo particulas earumque compoſitionem. ſed etiam actiones cognoſcere neceſſarium eſſe. atque hac parte ab ædificatoriis diſcrepabimus. Illi ſiquidem partes duntaxat & compoſitionem cognouerunt. Quippe domus cum animal non ſit, nullas ędit actiones. quæ nobis inueſtigandæ ſunt. Atque hinc duplex inquiſitionis principium

cipium puta & actionis & particulæ cognitio. Actionis quidem ratiocinandi, reminiscendi, eligendi. Partis, vt cerebr, spinalis medullæ, & cordis. Omnium igitur quas nouimus actionum particulas ac particularum omnium actiones disquiremus. Inquisitio verò hæc quoque ex methodo quadam planè procedit, de qua in sequentibus considerabitur.

Com.

Constituenti artem humano corpori dicatam (quæ medicina est) actiones cognoscere, nedum partes ipsas necessarium quidem est. vt à qua parte, quæque actio fiat, & cui parti læsa actione sit opitulandum, sciamus. cum fieri nequaquam possit, vt partis cuiuspiam actio lædatur, illesa quæ ipsam efficit parte. vt scitè Gal. lib. 1. de de loc. affectis dixit. Est autem actio eodem deffiniente Galeno, motus partium factiuus, aut operatio qua quiduis efficitur. Qui enim ab efficiente motus prodit is sanè actio dicitur, & est à facultate manans. Partes porrò ipsas cognoscere, est earum substantiam, constructionem situm, vsum, actionem & vtilitatem apprimè tenere, quod ex anatome maximè scitur. Qua sanè indagatione eo ab domorum ædificatoribus discrepamus, quòd illi duntaxat partes earumque compositionem probè agnoscunt: actionis nullum pensum habentes, vt quæ in rem inanimatam cadere non possit. non enim quæ anima carent agere quidquam vnquam possunt. cum actio omnis ab anima proficiscatur. qua domus & ædificia cætera prorsus carent. Nos verò qui animalis atque adèo hominis curam gerimus, non partium tantum naturam compositionemque omnem spectare debemus: quin & multò amplius partium earundem actiones, vt à quibus vel integris vel læsis magnam sit de illis vel seruandis, vel emendandis sumere indicationem. Ac proinde (quod hic ait Galenus) duplex nobis ex hac vniuersa contemplatione insurgit inquisitio, partium scilicet, & earum actionis. Cum enim nihil quicquam frustra aut temere natura fecerit (vt Aristotelis & Galeni sententia est) partes animalis omnes actionis aut vsus cuiuspiam gratia effinxit, alioqui otiosè & frustra factæ viderentur, Itaque & actionis cuiusque & partium ratio nobis iure tenenda est. Partium quidem vt earum facultatem & vsum in actionibus obeundis sciamus. Actionum, quidem, vt earum integritatem vitiumque nosse possimus, quod in exemplis nobis hoc loco tam de actionibus quàm de partibus proponit Galenus. Actionis, vt ratiocinandi, reminiscendi, eligendi, Partium, vt cerebri, spinalis medullæ, cordis. Quæ nobis paulò pressius expendenda sunt, quidnã & in quo potissimum actiones hæ positæ sint. Est porrò ratiocinatio, actio facultatis in nobis principis quam λογιστικὴν hoc est ratiocinatricem vocamus, à qua merito ratiocinales dicimur, qua sanè actione tum rectè fungimur, cum de omni re quid verum, consentiens, propriumque sit expendere ratiocinando valemus. Ratiocinari siquidem dicimus, rem quamque mentis ac rationis indagatione cognoscere atque complecti, deque eius natura, viribus ac potestate proprietatibusque exacte & verè differere. Reminisci porrò est, cum id quod antea memoria comprehensum tenebamus id iam pene obliuione interlitum obsoletumque recolendo instauramus, & quasi postliminio reuersum tractamus versamusque animo, vt Arist. lib. de memoria & reminiscentia conceptis verbis affirmauit. Inter meminisse.n. & reminisci id discriminis est, quod ad memoriã satis sit rem prius cognouisse cognitamque continuisse, deque illa nulla præcedente obliuione recordari. Ad reminiscentiam vero, id amplius requiri, vt præcognitæ rei obliuiscamur, oblitæque denuo eam ipsam quasi postliminio reuersam in mentem reuocemus, quæ sanè reuocatio reminiscentia rectè Aristoteli dicitur. Si quidem est reminisci obliuioni tradita recordari Hæc de reminiscendi actione. De electione iam dicamus Electio ipsa, seu vt Cicero vocat propositum, id est, quod de consilio statutum iudicatumque est. seu a petitio eorum quæ in nostra sunt potestate cum antegressa est deliberatio. Iudicio enim ad deliberationem quæ antecessit adhibito, tunc sequi consilium cupimus quod sanè dum præstamus, electio id esse dicitur. Quæ docta Aristotelis tertij Ethicorum cap. eodem sententia est Ea namque deligimus quæ scimus optima, Vt eiusdem libri capite secundo idem author affirmauit Actio porro hæc, facultatis in nobis ratiocinatricis esse dicitur, quæ id quod optimum est rationis ductu, & voluntatis assensu sequi concupiscit, vbi consultatio præcesserit, adhibito ad eam solerti iudicio. Par-

Libr. 1. de loc. aff. & lib. 1. de facul. nat. & lib. de sym diff.

Arist. lib. 1. de cœlo. c. 4. & 2. de cœlo ca. 8. & 11. & li. 3. de pact. animal. c. 1. & 3. de anima. textu. can. 45. & 2. metaph. textu. can. Gal. lib. 1. de vsu par. c. 23. & lib. 6. c. 10 & 13. & lib. 7 c. 8 & libr. lib. 13. c. 2. & libr. 16. c. 9.

Ratiocinatio quid.

Ratiocinari quid.

Reminisci Cap. 2.

Reminisci quid.

Electio qd

tium

tium autem notitia non parum ex earum actionibus deprehenditur. Siquidem vnicuique parti sua à natura attributa est actio vel vsus, cuius gratia facta est, vt passim libris de vsu partium Galenus. Ob id & actionis & partium habenda medico artem constituenti summa ratio est, quod hic verè ait Galenus præsertim principum partium, & earum quæ à principibus oriri dicuntur, quarum sanè partium principum actiones toti corpori imprimis necessariæ sunt, vt cerebri, cordis hepatis, spinalis medullæ à qua nerui voluntarij motus, vti à cerebro sensus instrumenta nascuntur, vt a corde arteriæ, ab hepate uenæ, sic à cerebro sensus & motus voluntarij à corde uitæ emanatio, ab hepate sanguificatio procedunt, vt libris de vsu partium & deplacitis Hippocratis & Platonis Galenus Qua vero methodo hæc dignoscantur, sequentibus proximè capitibus tertio & quarto nos idem docebit, & nos illic eam aperiemus. Inquisitio porrò qua particularum actiones inuestigantur, vt cœtera omnia methodo quadam procedit cum sine ea nihil quidquam rectè inueniri possit. Est autem methodus hæc, vt sciamus in quem vsum quæque particula creata sit, atque ex vsu & vtilitate mox actio partis constabit. Vsum autem partium ex libris eiusdem argumenti Galeni addiscemus Itaque cum vsus & vtilitas partis ad actionem dirigatnr altero cognito, mox altereim manifestum fiet, vt in exemplo oculi vsus & vtilitas ad colores discernendos dirigitur quæ oculi actio, quæ visio vocatur, dicitur. Itaque visio propria oculi erit actio, sic & manus vsus, ad comprehendendum. itaque comprehensio actio manus fuerit. sic de reliquis Item scire oportet qua facultate membrum quodque præditum sit nam eius facultatis motus ad agendum actio partis erit. Est enim actio ipsius facultatis proprium munus ut libris de naturalibus facultatibus Galenus,

## CAPVT TERTIVM,

Tex. Iam vero quod duplex natura partium sit, ac duplex similiter actionum, modo diximus, iterumque exactius dicetur Cruris totius actio incessus est, qui fit articulis vicissim inter se extensis ac inflexis incuruatisque uelut in ipso genu prioribus musculis patellam supergredientibus & per tendines in tibię os insertis, quibus hinc attrahentibus, crus extenditur, interioribus conuellentibus curuatur. Pari modo in coxa & pede articulis flexis uel extensis motus fiunt Apparet igitur musculus euidenter carne circumposita denudatus, cum uelut ad sui originem contrahitur ac reuellitur, attamen neruus in ipsum descendens sensibiliter moueri non uidetur

Com. CRus ea pars est quæ ab ischio deorsum in pedis vsq; digitos fertur quæ Grecè σκέλος dicitur. sic Galenus libro de ossibus cap. 21. 22. 24. 25. & lib. 3. de ulu partium, & 3. de anatomicis administrationibus. Quod & ipsum tribus præcipuis partibus constar, superna scilicet ab ischio ad genu vsque & vocatur fœmur seu coxa, Grece μήρον, cuius articulus inferior genu est Grece γόνυ & eius postcrior pars popl ex. Altera quę tibia proprie dicitur, à genu in talum. Celsus crus etiam partem hanc vocauit cuius (lib. 8. cap. 1.) pars anterior crea vocatur, posterior sura. Tertia cruris pars & vltima pes est. Totum hoc instrumentum crus appellatum, incessus gratia factum est Vt tum hoc loco Galenus tum, lib. 3. & 15. de usu part. Potest etiam hac parte incedere, currere, stare & sedere. Incessus porrò & cursus fiunt altero pede in terram fixo, altero crrcunducto sed firmum msnere, non cruris sed pedis solius actio, veluti circulariter circunduci totius tibiæ actio est dicenda, Statio verò tum fit, cum ambo crura fixa & tensa manent. Inter autem cętera animantia solus homo erectus est, quod illi soli spina sit secundum restitudinem crurum: & ob id etiam erectæ staturæ creatus est. ut lib. 3. de vsu part. cap. 2. Gal. Vnde est illud Nasonis,

*Pronaque cum spectænc animalia cætera terram.*
*Os homini sublime dedit cælumque uidere:*
*Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.*

Est enim spina in homine instar carinæ nauis. In brutis verò & auibus cunctis, crura cum spina angulos rectos faciunt & ob id nunquam erecta stare possunt, quòd similem situm crura in brutis & auibus habeant, vt sedentibus nobis accidere solet. neque ob id etiam sedere possunt quia in sessione crura ischio coniuncta in articulatione fœmoris & tibiæ retro plicari oportet quod brutis euenire nequit quamobrem sedere nequeunt. ex quo brutorum crura posteriora inflexa in anteriorem partem habent. Sed quando cruris totius actionem incessum esse Galen. hoc loco dixit, qui sanè voluntarius motus est, quærendum hic appositè videtur quodnam incessus & omnis voluntarij motus instrumentum præcipuum sit. num musculus, num tendo. Nam de hac re varijs in locis diuersus fuisse videtur Galenus, vt libro quarto mearum enarrationum medicinalium enarratione nona attigisse sum memor. Nos hic quid de hac re sentiendum sit expromemus. Porrò Galenus de ea re sic habet. Siquidem primo libro de vsu partium, & 16. eiusdem tractationis, musculum voluntarij motus instrumentum esse voluit. De manus enim actione agens à musculis eius motum fieri conceptis verbis expressit, inquiens, manifestum id esse primum actionis manus organum, eam partem esse, quæ voluntario motu agitatur.

Ex Gale. vbi supra immediate.

An musculus, an tendo voluntarij motus instrumentũ sit.

Quoniam igitur (inquit) voluntarios motus omnes quales manui sunt, à musculis monstrauimus fieri. hi vtique musculi primum motus organum manui erunt, Quòd & rursus decimosexto eiusdem tractationis libro his verbis confirmauit. Ad motum voluntarium (ait) natura in animalibus vnum genus organorum construxit, quos nominant musculos. Libro verò primo de motu musculorum hac verborum serie idipsum confirmauit. Voluntarij (inquit) motus instrumenta musculi sunt. At verò duodecimo de vsu partium capite tertio, huius voluntarij motus principem partem tendinem, non musculum esse vult his verbis. Nunc igitur (ait.) generationis & tendonis & musculi vtilitas dicta est, tendo enim est ipsum primum motus organum, musculus ipse verò generationis eius gratia factus. Quibus planè verbis tendinem non musculum voluntarij motus præcipuam partem esse affirmauit. Vt verò pugnantes hos locos in consensionem quandam adducamus, sic de tota re statuendum erit. vt dicamus, & musculum vt instrumentum & tendinem vt simplicem partem voluntarij motus præcipuam partem esse. Equidem cum organicis partibus omnibus commune sit actiones suas vnius cuiuspiam partis similaris in eo beneficio obire, conueniet & hoc quoque cum reliquis instrumentis, & musculo ipsi. vt partem vnam aliquam habeat in se simplicem, cui totius instrumenti actio tribui meritò possit, quod & in oculo, & in auribus, atque lingua, cæterisque instrumentis perspicere licet. Siquidem oculus & si visionis præcipuum instrumentum esse dicitur, crystalloidis tamen munere actionem eam obire potest, cum illa sola sit quæ visionis præcipua pars & reuera sit, & ab omnibus statuatur. sic illi meritò visio ascribi debet. Sic & auris, & si auditionis instrumentum præcipuum est, auditorij tamen nerui beneficio idipsum perficit, vt concors est medicorum omnium sententia. Sic & musculum quoque instrumentariam motus voluntarij partem esse meritò Galenus voluit, quòd nulli alteri instrumentariæ parti quàm musculo ea actio adscribi iure debeat, vt cui sanè peculiaris propriaque sit, ea functio. Quæ enim propriæ sunt instrumentorum actiones a nullo alio quàm ab eo cuius propriæ sunt perfici possunt. Itaque à musculo vt instrumentaria parte motus voluntarios omnes perfici, sed per tendinem & neruum insertum censendum meritò est. Quæ docta Galeni libro primo de motu musculorum sententia est. inquientis, quid sit musculus clarè dictum est. nempè voluntarij motus instrumentum. Dictum est etiam, vndè principium motus ipsi sit, & per quæ, puta à cerebro & per neruos. Hæc primò de musculorum motu. Ex quibus sanè abundè constat musculum per tendinem voluntarij motus, hoc est per neruosam substantiam, præcipuam partem esse. quod & illi cum cæteris instrumentarijs partibus commune est. Igitur & si musculus voluntarij motus præcipua pars instrumentaria sit, vt id tamen præstet, per tendinem per neruum seu in eo implantatum perficere dicitur. Musculus enim vt

instrumentaria pars, tendo per neruum illi implantatum, vt similaris ad sensum, voluntarij motus præcipua pars iure dici poterit.

Tex. Sed via facultatis à cerebro descendentis apparet quod sanè cerebrum neruis omnibus eiusmodi facultatis fons sit & origo manifestissime ex neruo quolibet diuiso didicimus. Quippè tunc in supernis partibus vbi cerebro cohæret actiones conseruari: in inferioribus perire.

Com. A Cerebro in neruos sensificam motricemque defluere facultatem, vnum est ex publicè in medicina, confessis. Siquidem Galen. libro secundo de placitis Hippocrat. & Platonis, & item libris tum tertio, tum septimo eiusdem tractationis, idipsum conceptis verbis, adhibitis etiam rationibus demonstrationis ferè vim habentibus affirmauit. quod tum ex neruorum dissectione, vel compressu, mutum tantum fieri animal ostendens nulla in respiratu noxa accedente. Rursusque vtrumque viscus (nempe cerebrum & cor) suæ quodque facultatis propriæ fontem esse. cor vitalis, cerebrum sensificæ & motricis, quod ex morbis vtrique parti aduenientibus comprobat. Ex cerebri læsione delirium, sensus & motus vel deprauationem, vel amissionem aut imbecillitatem: si cor patiatur nihil horum fieri, sed inter mori animal, vt in syncopa, deliquijs animi experimur. In singulis verò neruis spiritum quendam esse animalem existimat libro septimo de placitis Hippocrat. & Plat. Galenus: fatetur tamen se pronunciare non posse num spiritus innatus & insitus in neruo maneat, atque ab illo qui à fonte promanat tanquam nuncio excitetur: an insitus minimè sit, sed quo tempore mouere membrum aliquod volumus, de cerebro denuò influat, non posse se absolutè proferre testatur. perinde atque de facultate per irradiationem à cerebro missa, num ita res se habeat an aliter. quod tum libro septimo de Placitis, tum libro quarto, de Sympto. causis cap. quinto, neque id quoque se plenè tenere confitetur Galen. At verò quid de hac re sentiendum sit, num à cerebro vt medici omnes, num à corde vt Aristotel. voluit, hæc facultas dimanet, & an per irradiationem, aut alio quouis modo (quod in controuerso positum est) explanare pro virili nostra conabimur.

A corde manare facultatem huiusmodi, libro tertio de partibus animalium cap. quarto conceptis verbis expressit Aristotel. a corde sensus omnes ceu a principio manare, quòd cor omnium primum consistat, & omnium primum sanguinolentum sit motusque lætitię & tristitiæ (vt ille putat) atque omnium inde oriantur & eò desinant. Et quòd animal sensu definiatur. Vis autem sentiendi primò illi iure tribuitur, quòd primum sanguine præditum est, tale autem cor esse dicitur igitur cor sentiendi fons est & origo. Quin & neruorum esse originem, idem contendit eodem loco. Quod & confirmat Auerrous, libro secundo, colliget cap. nono. Locus ait cordis fuit in medio quia hic est locus regis & Auicenna fen prima primi doctrina quinta capite vltimo dixit, Philosophi summi (de Aristotel. loquens) sermo cum examinatur verior est sermone medicorum: quorum tamen sermonem manifestiorem esse Aristote. sermone asseruit. Quod & confirmauit conciliator diff. 38. Contra verò Galen. libris secundo, tertio, septimo. de placitis, libro tertio, de loc. affe. libro quarto de Symptoma. caus. cap. octauo. & in arte medicinali, atque hoc ipso loco a cerebro manare eam facultatem contendit. Quorum authorum controuersa sensa vt enodemus, præfandum id mihi videtur quod Plato in persona Parmenidis dixit eo in dialogo ei inscripto, qui de vno rerum omniũ principio est. Inducit.n. Parmenidem senem & in arcanis philosophiæ multum exercitatũ cum trepidatione magna profundum pelagus de re tãta vix audere ingredi, quod res captũ omnẽ superare videret. Quod si ille tãtus senex, tãtus philosophus, quæstionẽ de vnius principatu,

aggredi

aggredi metuit: quid nobis homuncionibus de partium principatu in corpore humano tractantibus faciendum est? Dicendum tamen ne in re tanta magis muti quam piscis vt dixit Galen. Videri ualeamus. si id modo præfati fuerimus, in quibus Aristotel. & Gal. dissentiunt, dificile uerum inueniri ut Damascenus noster lib. Aphorismorũ, Aphorismo tertio dixit. Rationes primum adferam quibus Aristot. vnicum tantum esse facultatum omnium principium astruxerit; Secundò quodnam ab eo positum sit principium, nempè cor; statuemus. Tertio vt saluari Galeni mens possit quatuor statuentis in nobis principia explicabimus. Vltimo loco rationibus Arist. in oppositum satisfaciemus.

lib. 8. meth.

Questionis de principatu membrorum dissolu. omnis ordo & radio.

Ergo vt à primo exordiar, Aristote. libro tertio de part. animalium cap. quarto vnum esse tantum princeps membrum asserit his ferè rationibus quas seriatim prosequemur ut sequitur. Illius porrò prima hæc est ratio, quòd vbi contingit vnum esse melius est quàm plura, cum melius ab vno quàm à pluribus regatur quod gubernationę indiget. Siquidem pluralitas principatuum mala est: nec entia se malè gubernari volunt, vt libro vndecimo Methaph. idem author voluit. Vnum igitur principium esse quàm plura melius est. Tum & alia ratione, quoniam in vno quoque genere rerum dare vnum aliquid oportet, quod aliorum omnium causa, fons, atque principium existat, cuius vnius ductu atque potentia cætera habeant esse originemque ducant. vt Aristotel. secundo, & decimo Methaphy. affirmauit. quòd pluralitatem omnem indefinitam & interminatam, atque ob id imperfectionis omnis & confusionis contentricem ad vnum finiri oportet. supremum illud quidem ceu ad caput multiplicitatem regulans ac perficiens. cum illud vnum omnia natura appetant ad illudque spontè ferantur. vt à quo functionum suarum omnium perfectionem sumant. Tum quodcunque in multis per rationem vnam in qua conueniat inuenitur in aliquo, est illius prius, quod illorum omnium causa existat, vt libro secundo Metaphy. Aristot. dixit inquiens, calidum omne in primum calidorum reduci, quod est ignis. Cum autem diuersæ in nobis sint facultates, ad vnum eas reduci oportet omnes in quo conueniant. & à quo ceu à fonte oriantur. Præterea in quo primò vita sita est in eo statuere principatum iure oportet. cum sine vita nec facultates munia sua obire, nec actiones vsquam perfici possint. In corde autem principium vitæ, erit itaque & facultatum & actionum omnium princeps pars. Porrò cum non sit in rebus in infinitum progredi & status atque perfectio in vno tantum consistere queat, ad vnum tandem supremum deuenire oportet cum authore eodem Aristotel. non contingat plura & diuersa principia facere igitur in genere membrorum vnum erit quod principis vicem subeat. Quin cum in vniuerso principium vnum esse oporteat à quo omnia, sit autem homo vniuersi species quædam atque immago (vnde ab antiquis meritò μικρόκοσμος, id est minor mundus dictus est, respondere ipsum vniuerso oportet, atque vt in illo principium vnum est a quo cętera reguntur, sic & in homine, minore mundo, vnum principium statuere oportebit a quo totius corporis ductus atque regimen proueniant. Addit insuper Aristotel. id esse principium debere, a quo sensus & motus initium: at in corde sensus omnis atque motus initia sunt (quod ex timore, metu, gaudio tristitia, iracundia, verecundia atque similibus idem probat) cum in his pro pathematis ductu vel intro ad cor reuocari calorem, vel foras expandi apertè cernimus, indeque per hos affectus qui a corde proficiscuntur sensum & motum sæpenumero amitti cernimus tanquam eorum, a sua ipsius functionę deficiente principio vt in metu & terrore validis reuera experimur. cum qui his validis pathematis oppressi sunt, sub debili animula pallescere, mutos fieri, pro tempore, non videre, non audire, non loqui, & sæpe interim in totum concidere & mori videmus, vt & Galen. inter medicos, inter historicos Plinius, & Valerius Maxim. suis quique locis testatum reliquere. Præterea verò quod principium vitæ est, idipsum summum principium statuere oportet. cum in animantibus & vita præditis nihil quicquam non præsente vita geri possit. cumque a corde vitæ principium sit, ab illo ceu à summo principio cætera cuncta quæ in uiuente fiunt emanabunt. Vna itaq; pars princeps in omnibus statuenda erit. Quin & Arist. lib. de Xenophane, Zenone, & Gorgia (si modò is liber Arist. est).

Prima Aristotelis ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

libr. 3. de part. anim. cap. 4.

Gale. lib. 5. de loc. aff. c. 1. & libr. 5. de sympto. caus. Plin. lib. 7. natu. hist. ca. 53. Vale. Max. lib. 9. c. 12.

vult principij eam ratione m esse vt plura vno esse non possint. Nam si plura dentur principia aut ęquipotentia erunt aut alterum altero potentius. Si æqualia sint, & æquipotentia non plus vnum quàm aliud principium statuendum erit, cum principium potentissimum esse oporteat si principium futurum sit, nullum itaque eorum quæ æquipotentia dicuntur principium erit. Si verò alterutrum altero potentius, id quod potestate prævalebit, principium fuerit, non id quod imbecillius. Vnum itaque tantum principium esse oportebit. Quam sanè rationem Plato prior in Parmenide demonstratiua ratione attulisse est visus. à quo & Marsilius Ficinus illius interpres libro secundo Theologiæ Platonicæ, suam quoque de principij vnitate ratiocinationem formauit. Quod sanè si rem recta expendamus

Lib. 5. met. cap. 1.

via & principij quoque ratio denotare videtur, cum sit principium authore Aristo. quod omnium primum est, & à quo primo inexistente omnia fiant, vt quo nihil prius, nihil præstantius esse possit quod verò tale est, vnum sit oportet. Itaque vnum tantum principium erit non plura. Accedit quòd principium omne indiuisibile esse oporret (non enim principium in principia plura diuidi potest) id autem quod indiuisibile est, cum in plura partiri non possit, vnum tantum esse concedendum est. Vnum igitur tantum erit principium in nobis. Punctus enim principium est magnitudinis, & vnitas numeri, vtraque autem sectionem non admittunt igitur principium omne insectile. Esse autem huiusmodi principium eò constat, quòd si in plura secetur, iam partes principij erunt non ipsum principium ea in quę diuidetur. Constat itaque vnum esse princeps inter cętera membrum. At quod nam id sit controuersum est. Cor esse vult Aristote. vbique. Medici quatuor statuunt, præcipuè Galenus in arte medicinali: tertio, quinto, & sexto de locis affectis tum vero libris secundo, tertio, & septimo de Placitis Hipp. & Plat. & libris de Symp. diff. & causis. Quibus in locis cerebrum facultatis animalis principium. Hepar naturalis, cor vitalis esse asseuerat.

Quibus rationibus ad id probandum moueatur Galenus, ex serie illorum locorum videre est. potissimum ex libris secundo, tertio & septimo de placitis, cum libro tertio de locis affectis, & libro primo de Sympromatum causis capite octauo. Hæc autem potissima

Galeni demonstratio de cerebri principatu in sensu & motu.

est eius demonstratio. Quo membro affecto sensus & motus pereunt ad id referri eius actionis principatus debet: at læso cerebro sensum & motum perire cernimus, Itaque sensus & & motus principium, cerebrum, non cor ipsum erit. Tum & hac quoque altera demonstratione Galenus vtitur, Vnde origo neruorum, inde principium sensus & motus, sed à cerebro neruorum origo, vt experientia docet. A cerebro igitur principium sensus & motus.

Secũda demonstratio

Tertia

Quarta

Tum quòd si afficiatur cerebrum, in delirium vel sensus & motus amissionem labi animal videmus: vt in phrenitide & paralisi experimur quorum neutrum accidet corde affecto, sed syncopa & mors. Quin & collisis & compressis neruis mutum euadere animal non autem peruerti ob id respirationem videmus. Maius verò est quod ab eodem Galeno libro secundo de placitis Hippo. & Plat. scribitur dicentis. Si cor nudauerimus & manu apprehensum compresserimus, nec voce nec spiratione animal prohiberi nec in vna aliqua

Galeni dogma expenditur.

motus voluntarij functione impediri. Quod quam verum sit examinari exactius in præsens volo. profectò incredibile id est nec fieri vllo pacto posse mihi videtur. Si enim cor ab animante comprehendatur nedum voce & omni motu qui ex apertione fit priuabitur animans, sed & vna quoque vt experientia docet. Quamobrem miror id à tanto, viro vt suæ causæ patrocinaretur dictum esse. Vt autem tandem quæsiti nodum dissoluamus,

Quęstionis propositæ dissolutio.

dicendum, reuera veriorem esse Aristo. quàm medicorum de vnius principatu sententiam. Medicorum tamen sermonem manifestiorem esse, vt doctè Auicenna fen prima primi doctrina quinta de membris, & doctrina sexta de virtutibus dixit, dupliciterque membrum quodpiam princeps dici posse, radicaliter inquàm & præcipuè, & primò, vel manifestatiue (sic enim scholæ loqui solent) si in radice principatum sumamus, vnum tantum erit princeps membrum nempe cor à quo facultates omnes, & actiones reliquorum membrorum ceu a radice pendent, quòd præter Aristotelem sensisse etiam Galenus conceptis verbis est, visus libro quinto, de locis affectis capite primo. Manifestantur autem facultates & actiones reliquæ præcipuè in cerebro, hepate, & testibus. In cerebro quidem

sensuum

ſenſuum & motus voluntarij actiones: in hepate naturalis: in teſtibus genitalis ad ſpeciei conſeruationem. Sunt enim membra hæc tanquam vicariam poteſtatem à corde accipientia: cerebrum quidem ſenſus & motus præſtandi: hepatis ſanguificationis efficiendæ ad vniuerſi corporis alimoniam. Teſtium ad generationem proferendam ſed tamen fieri hæc omnia cordis influxu ac virtute, vt ſit cor inſtar regis, membra verò prædicta inſtar proregum, ceu legatorum, regis, quibus à rege variæ ſunt demandatæ functiones quas tamen à ſe ipſis primò & per ſe non habent. ſed à rege nempè corde, in quo eſt omnis plenitudo poteſtatis. ſicque patet quomodo cerebrum, hepar, & teſtes, principes dici partes queant. nempè vt ad ſenſum, & vt ſubdelegatæ. Cor vero radicaliter, primò per ſe atque præcipuè & tanquam membrum tribuens & non ſuſcipiens, ut rectè Auicenna dixit. Cerebrum autem influxu ſuo per irradicationem, id eſt facultatis animalis & ſpiritalis in neruos tranſmiſſionem ſenſum & motum neruis cauitatem non habentibus immitit. inſtar ſolis radijs ſuis aerem illuſtrantis. Siquidem radius eſt ſplendor à ſole micans, in aera delapſus, illum calfaciens & illuſtrans. vnde irradiato, fulgoris eſt in terras & aerem tranſmiſſio. Sic irradiationem dicemus à cerebro nihil aliud prorſus eſſe, quàm facultatis à principe parte in neruos delationem ac deriuationem ſpiritali quadam & ferè incorporea illhuc miſſa ſubſtantia ſpiritu caruli ſeu animali valde elaborato, & inſtar ſplendoris ſolaris in neruos influente. Cerebrum enim ſolis analogiam retinet, nerui, aeris à radijs ſolis illuſtrati. Fit autem huiuſmodi irradiatio per ſpiritum influentem á cerebro miſſum & ſpiritum inſitum in neruis fouentem ac reſtaurantem, vt libro ſeptimo de placitis Hippoc. & Plat. à Galen. habetur. qui ingenuè confitetur neſcire, ſe nec pronunciare poſſe, num ſpiritus innatus in neruo maneat, atque ab illo qui à fonte promanat tanquam nuncio excitetur: an inſitus minimè ſit, ſed quo tempore mouere membrum aliquod volumus denuò influat. At vero ne victoriam reportaſſe aduerſus medicos Ariſtotel. videatur, illius rationibus quibus ſe palmam conſequutum exiſtimat ex medica promptuaria cella reſpondebimus ſeriatim ad vnam quamque illius rationem.

Fen. 1. primi doc. 1. cap. 1.

Radius. Irradiat

Contendit porrò Ariſtoteles à corde vt principe omnium parte facultates oriri omnes ipſumque facultatum omnium ſenſitricis, motricis, vitalis, naturalis, & genitalis principium eſſe. & ſi in varijs tamen partibus eas exerceri velit. quæ ab eodem authore libro ſecundo de partibus animalium cap. ſeptimo, & decimo, & item libro tertio. cap. tertio, & quarto ſcripta ſunt. Quibus autem rationibus id contendat Ariſtoteles adferemus earumque vim, medica item ratione diſſoluere tentabimus. ne cum adſcripti ſacræ medicinæ militiæ ſcimus, aut hoſti potentiſſimo Ariſtoteli porrigere herbam, aut militiæ noſtræ deſertores videri poſſimus.

Ergo hæc Ariſtotelis prima ratio eſt. Vnum niſi quid obſtet, quàm plura principia eſſe melius eſt: quodque in medio ſitum aptiſſimo loco influere exæquo vim ſuam partibus omnibus poſſit. Cor autem tale eſt, nempè, & in medio ſitum, & omnis motus & ſenſus principium, quin & venarum quoque vt ille putat, erit igitur vnum tãtum facultatum omnium principium cor.

Cui ſanè rationi ſatisfieri non magno negocio poteſt, plurima quidem impedire quominus vnum tantum princeps omnium facultatum ſtatui membrum in corpore poſſit, Primum, quòd tam multa tamque varia inſtrumenta ſubſtantia diuerſiſſima venæ, arteriæ nerui per quæ facultates ipſæ actiones ſuas omnes perficiunt, ab vna & ſimili eiuſdem membri ſubſtantia oriri planè non poſſint. neque ſufficere cordis molem ad tantorum inſtrumentorum exortum venarum dico, arteriarum, & neruorum. cum ne neruum quidem vllum in eo implantatum cernamus quod anatome docet. Tùm verò quòd nec admitti iure poſſit, in medio cor ſitum eſſe: ſiquidem corporis medium locum, vmbilicus, non cor obtinet: Eſt ſiquidem cor in medio thoracis ſpacio aptè collocatum, vt & experientia docet, & libro ſexto de vſu partium capite ſecundo teſtatur Galenus. non tamen in medio corporis quem ſibi locum vmbilicus vendicat. Quin cum vt variæ ſunt in corpore facultates, ſic & varia exigunt temperamenta, à quibus rectè earum functiones obiri poſſint: at uaria temperamenta, eidem parti ſecundum naturam habenti ineſſe non poſſunt, non ergo una erit tantum ſtatuenda

Ad Ariſtotelis rationes reſponſio.

pars facultatum omnium princeps. Atque hæc ad primam Aristotelis rationem sufficiant.

li. 3. de part. b. animalium cap. 4

Contendit & alia ratione Aristoteles & ipsum asserere, Id quod primum sanguinem habet, sentiendi principium est, Cor autem sanguinem perinde vt vas proprium continet. Itaque sentiendi principium cor erit; maiorem sic probare nititur, Quod & lætitiæ ac tristitiæ motus ac denique sensuum omnium à corde oriri & eodem desinere videantur.

Rationem hanc diluere haud difficile fuerit, si minimè id admiserimus, quod sit principium sanguinis id quoque & sensus principium esse debere, cum in neruis sensum esse primitus experiamur: qui & ipsi exangues omnino sunt tantum abest vt sanguinis principium statui iure possint. Quòd verò lætitiæ & tristitiæ motus à corde oriantur & eodem desinant, vt planè negari non potest (hi enim sensus profectò, lætitiæ mæroris, mœtus, tristitiæ, in corde percipiuntur (quod experientia ipsa docet) sic nec concedi quidem debet, alios sensus inde oriri cum neque visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, à corde: sed à cerebro magis per neruos originem ducant. quod ex neruorum ac cerebri collisionibus atque vulneribus apertè videre est, vt quibus affectis minus rectè procedere sensationes has experimur Lætitiæ verò & tristitiæ motus ob id à corde oriri censemus quod ipsum affectiones has ceu sibi proprias parere videatur videmus enim in lætitia & gaudio spiritus & sanguinem sursum efferri ac euolare. In mœrore ac metu contrahi ac sœpenumero suffocari, vt multos & letitia effusa expirasse, dissoluto natiuo calore ac spiritu vitali effuso ac euanescente compertum sit: contra uero confertim contracto & quasi præfocato concidisse plerosque visum est: quod & Plinius, & Valerius Maximus cæterique historici testantur. Rursus vrget Aristoteles cor in prima partium generatione primum omnium constare, & palpitare, vt cui nimirum ob id principatus debeatur, quod omnium primum consistat & genitum sit. At hoc Galeno non probatur nec admittitur, vt qui libro de fœtuum formatione hepar prius formari corde velit. fœtu ipso materiam postulante, quæ ipsi per uenam vmbilicalem suppeditetur. Nec vero etiam si protinus palpitet cor, ob id facultatū omnium principium statui iure potest: nec aliorum corporis motuum princeps pars, cum & reliquarum partium quæ voluntario motu cientur, voluntarij motus à cordis motu valde discrepent. quod ille voluntarius sit. naturalis autem cordis, nec delectu factus quem pro voluntate sistere non est, aut pro arbitrio vel remorari vel accelerare. Nec vero etiam, & si cor in omni sanguine prædito animali (quod sentit Aristoteles) reperiatur: ob id merito constitui principium debet. Nam & eadem ratione hepar ac cerebrum principia Aristoteli essent dicenda, quod in omni sanguineo animante reperiantur. quod tamen nunquam admittet Aristoteles, cerebrum inquam & hepar principia esse cum unum tantum idem ponat, nempe cor.

Plin. lib. 7. natur. a sust. c. 53. Val. libr. 9. cap. 12.

Pergit rursus Aristoteles eam partem sensus & motus principium statui debere, vnde nerui oriantur, eosque oriri à corde ex anatome asseueret. Erit igitur cor primum principium sensus & motus. Huic rationi (cuius maior vt concedenda tanquam uerissima, sic minor refellenda) experientia ipsa ex anatome sumpta refragatur, cum nullos in corde cernamus implantatos neruos qui in alias partes deriuentur. prout à cerebro & spinali medulla plures nasci, & in alias partes propagari uidemus. In corde autem qui apparet neruus, & perexiguus est, & tunicæ illius (quam pericardion vocant) insertus, in ipsa autem cordis substantia filamenta quædam apparent quę nerui reuera dici non queant. Per hęc à medicis Aristotelis rationibus abundè satisfieri posse putandum.

Text.

Cæterum vt cerebrum neruis, ita illi, alia ne rursus quædam particula facultates transmittat an ipsarum fons quidem existat, hactenus pro incomperto habuimus, hæc enim quæstio de animi principatu est.

Com.

Erebrum quidem neruis omnibus fontem esse atque originem paulo proximè dixit Galenus, nec dubitationis ea res locum vllum habere videtur. An vero vt cerebrum neruis (quod pro cōperto haberi uult Gale.) ita & cerebro quoque alia-

ne

ne rursus q̃dam particula facultatem cerebro ipsi & mẽbris sentiendi ac mouendi arbitrario motu transmittat: an verò earum facultatũ fons quidam existat, à quo actiones hæ ceu riuuli dimanẽt pro incomperto habere se testatur Gal. ꝙ hęc quæstio de animi principatu sit: quã contingere vel non vult, vel non audet Gal. vt libris de facultatum nostri corporis substantia, & quod animi mores corporis temperaturam sequantur, & alijs sæpæ multis locis testatur Galenus. Cerebrum quidem neruis sensitricem ac motricem facultatem immittere, exploratum ex his quæ supra diximus de eiusdem authoris mente vult haberi Galenus. quod & ipsa experientia docet, per eas quæ affecto cerebro læsiones neruis inferri solent. Verum enimverò an alia quædam pars, nempè cor, facultatem eam cerebro transmittat, tanquam vicariam potestatem ab eo excipiens an verò cerebrum ipsum eius facultatis princeps pars sit, nec aliunde vicariam potestatem accipiens, inexploratum adhuc nec satis sibi compertum vult haberi Galenus. Quod tamen mirum uideri debet, in eo hæsitationem facere Galenum, de quo sententiam absque prouocatione ipse tulerit. Nempè cor vitalis facultatis fontem esse, cerebrum sensitricis & motricis, hoc est animalis facultatis, perinde atque hepar naturalis. vt in arte medicinali & hoc ipso lib. de const. artis, & de vsu partiũ libris, milliesq; alibi cõceptis verbis affirmat. Cur ergo hic dubitat num facultatis animalis cerebrũ fons sit an alia quædam particula facultatem illi suggerere videatur? Nam si sibi in ea re non constet causæ suæ diffidere videtur. Si enim suis dogmatis stare vellet, planè non dubitaret cerebrum animalis facultatis fontem esse, nec aliunde facultatem illi suppeditari. Quæ sanè cum Aristotelis opinio fuerit, cui neque assentiri velit Galenus, maluit se pro incomperto habere testari, quàm illi herbam porrigere & palmam dare, ne victus in acie cecidisse uideri posset. — Galenus notatur.

Tex.

Sed vnde digressi sumus reuertamur. Incessus igitur totius cruris actio est: cui obeundæ in cruribus musculosum genus præesse asserimus ossa vero, cartilagines, pinguæ, glandulæ, arteria, cutis, venæ membranæ, & ligamenta motus initium ex musculis obtinent. Primum enim ab ijs ossa mouentur, mox alia omnia quæ ordine circumiacent. Itaque pedis motus, musculi actio est, totius autem cruris motus, singularum eius partium actio non est. Quare bissariam actionum genus distinximus, vnum sanè primum maximèque proprium simplicis cuiusque particulæ operantis, alterum per accidens ac secundum, vel non primarium vel quomodocumque totius instrumenti functionem velis appellare.

Com.

DIgressionem Galenus fecerat, interserens cęptæ tractationi, eam quę de principatu partium controuersa est quæstione. indeque ad cęptam narrationem reuersus, ostendit cuiusnam partis actio incessus sit. indicans vt paulò superius totius cruris actionem incessum esse. cui tamen perficiundo musculosum genus, naturam in cruribus præesse uoluisse. ut cui nimirum motus uoluntarij actio iure debeatur, ut libris de motu musculorum atque de usu partium Galenus conceptis uerbis affirmauit atque ob id summa ratione quæ crus ipsum componunt membra, ossa, cartilagines. pinguedo. glandulę, arteriæ, uenę, membranæ. ligamenta ac cutis, denique ipsa, motus uoluntarij initium ex musculis obtinere rectè dixit. Quod primum omnium à musculis ossa in cruribus ceu illa quæ in motu uoluntario instar axis sunt & quasi totius motus fundamentum ac basis, moueantur, mox alia omnia cruri ordine cirumposita. quæ omnia ad impetum uoluntatis & impulsum, actione musculorum mouentur. Quamobrem rectissime illud subijcit Galenus, pedis motum musculi actionem esse. Totius autẽ cruris motum singularum eius partium actionem non esse, sed solius musculi. Non enim aut Cartilagini aut ossi membranæue, aut ligamento actio hæc propria est (ut quæ nec primo, nec per se: sed à musculo moueantur) sed ipsius tantum musculi, ut & hoc loco & supracitatis ex Galeno locis aperte uidere est. Quare

re haud iniuria duplex actionum genus assignat instrumeutarijs pattibus hoc loco Galenus vnum sanè primum maximeque proprium quod simplici patticulæ instrumento insertæ, & præcipuè operanti ascribatur, vt pote chrystalloydi in oculo, neruo auditorio in auribus neruo item vel tendini in musculo, Alterum per accidens ac secundum, quod toti instrumento ascribatur. quod & ipsum primarium non vult dici Galenus, quasi velit totius instrumenti functionem primariam non esse: sed eam quæ à simplici particula in ea operante perficitur. Etsi enim visio ipsius oculi vt instrumenti actio esse dicatur, non tamen primum ab oculo sed ab ipsa chrystalloyde, simplici ac præcipua visionis parte perficitnr. vt libro primo de symptomatum causis & de vsu partium libris aperte Galenus. Itaque confiteri ex hoc loco necessario oportet, instrumentariarum partium actiones non ipsis instrumentarijs partibus primò & per se, sed parti simplici in illis præcipuò operanti deberi.

Text. Hoc igitur à nobis distincto, quærendum postea venit, quibus instrumentariarum, quibus simplicium particularum actio perficiatur. Ac primum ab instrumentariis, quoniam cruris meminimus sermonem auspicabimur. Quare nisi ossa tot, tanta, sic figurata, eoque modo coordinata essent, musculorum motus nihil proficeret. Siquidem in articulamentis alterum os suscipere, alterum ingredi necesse est. ligamenta vero extrinsecus orbiculatim circumponi ac ipsorum connexum adstringere ne alicubi vaxillent, atqui tam robusta esse ac dura vt motui reluctentnr minus conuenit: nec rursus tam laxa vt particulas vacillare sinant. Constat igitur ligamenta magnitudinem quandam, figutam, numerum, & compositionem requirere. Siue enim minora aut maiora, plura, aut pauciora quàm oportet fuerint, siue aliam figuram habeant, aliique loco inhærescant, non amplius inculpabilis articulorum motus perficitur.

Com. Actionum duplex esse genus distinctione apposita paulò ante asseruit Galenus, Vnum quod simplici cuique particulæ operanti deberetur. quod & illi maximè proprium primùmque ac præcipuum esset. Alterum per accidens ac secundarium, quod instrumentariæ parti esset accommodatum, Qua distinctione posita, quærendum postea existimat Galenus, quibus tum in instrumentarijs, tum in simplicibus particulis actio perficiatur Indicans in instrumentarijs, actionem commodè perfici non posse, ni simplices in ipsis rectè habeant, quod est, in numero, magnitudine, figura atque coordinatione rectè ac secundum naturam habere. quod in cruris actione, ceu exemplo demonstrat. Nisi enim in crure ossa ac ligamenta decentem numerum, magnitudinem, figuram, ordinemque nacta sint, cruris voluntarius motus qui à musculis fit non rectè procedet. quod ut fiat, certum in ossibus ac ligamentis connexum atque ordinem, in articulis ipsis natura esse uoluit, ut alterum os articulamentum ingredi: alterum suscipere quod ingreditur os necesse sit. tum uerò ligamenta, undique extrinsecus circumponi ceu uincula quędam ut commissa ossa connectere atque connexu adstringere, ne in motu vel extrorsum vel introrsum vel in alterutram partem uaxillēt, ualeant. Quod á Galeno tum libro de ossibus, tum libris de usu partium, atque anatomicarū administrationum prodita sunt, Ligamenta porrò ipsa, nec tam rigida, robusta, dura aut inflexibilia esse oportet, ut articuli motum impediant motuique reluctentur. nec rursus tam laxa, mollia, flexibilia, fluxa, vt labi ac uacilare articulum sinant. Quorsum hæc? vt intelligamus rectam iustrumentariæ partis compositionem requiri in his quæ supra dicta sunt, si suo rectè munere sint functura quod hoc exemplo appositè hoc loco docet Galenus.

## CAPVT QVARTVM

Tex. Quapropter ut nunc de ligamentis, ossibus, & musculis diximus, ita in omni-

bus

bus de actione & usu disceptare res exigit. Si namque nulla pars actione uel usu ociosa inueniatur, certe sua essentia, magnitudine, figura, compositione quam optimè constructa, ea qualis est seruari debet. Si aliquatenus uitiata fuerit, ad meliorem statum reducenda est, quod facere haud queas, priusquam singularum partium actionem, usum, & constructionem cognoris. Hæc igitur disquirenda sunt nec refugienda si corporis sani ægrique peritiam cupiamus assequi.

Com.

CVm corporis ęgriq;, sani peritiam medicum habere oportere antea capite secũdo huius tractationis dixisset, si modo constitutionis artis methodum habere uellet, necessarium quidem fuit partium omnium structuram, actionem, Vsumque pernosse. tum uerò partis cuiusque essentiam, magnitudinem, numerum, figuram, connexionẽ, structuramque cognouisse. Quamobrem cum de ligamentis, ossibus, & musculis præcedente capite deque eorum actione ac usu Dixerit, exigit quoque ratio, vt in omnibus alijs partibus eadem methodus obseruetur quod hic proponit Galenus. Siquidem nisi singularum partiũ actiones & usus notentur, nunquam num secundum naturam, num contra habeant diiudicari poterit. Sed quando hic actionem partis ab usu discriminat Galenus, quid actio sit & usus, quamque multiplex usus significatus explicare conuenit Actionem porro Galenus motum esse partium factiuum deffinit, hoc est mutationem quandam aut operationem qua quiduis efficitur: qui enim ab efficiente motus proficiscitur, is sanè actio iure esse dicitur, quod Galenus libro primo de locis affectis, & Item libro primo de facultatibus naturalibus, & de symptomatum differentijs libro primo dixit. Vsus uero uaria est apud Galenum acceptio interdum namque usum sumit Galenus pro facultate atque potentia membro propria, quo pacto libro primo de locis affectis locutum Galenum scimus, cum ait, usum omnibus inesse partibus vel nihil agentibus: tum enim vsus, potentiam & facultatem membro insitam significat qua ipsum actionem edere potest ipso etiam nihil actu operante. Interdum uero usus nomen non pro facultate, vt modo diximus, sed pro cooperatione & adiumento quodam ad perficiendam functionem sumitur, ut libro primo de morborum differentijs capite sexto Galenus. ubi in instrumentarijs partibus unam esse præcipuam quę actionis sit causa, reliquas uero omnes huic usum quendam præstare, hoc est vtilitatem, cooperationem ac adiumentum ad operationem rectè perficiendam suggerere. Hoc igitur est quod monet hoc loco faciendum Galenus, nempe actiones partium & usus dignoscere. Equidem cum nulla omnino pars in corpore uel actionis uel usus expers esse possit, ne uel otiosa uel inanis esse inueniatur: sicque naturæ frustretur fine, (quæ nihil frustra aut otiosum fieri sinit) quod est Ab Aristotele & Galeno proditum necesse omnino est partium omnium actiones & usus intelligere. Ad quam quidem actionem & usum cum & partis essentia, magnitudo, figura, numerus, & compositio necessaria sint: ea omnia profecto qualia secundum naturam sunt seruari debent. Quod si ab eodem statu immutata fuerint ac uitiata ad eundem statum naturalem reducenda erunt quod faceret haud prius queas, quam singularum partium actionem, usum, & constructionem cognoris. ut ex quibus uel conseruationis in eodem statu, si rectè & secundum naturam habeant, uel conuersionis in meliorem statum, si male affecta fuerint, ratio constet. Hæc igitur diligenter disquirenda esse: nec prorsus contemnenda, si corporis sani ægrique notionem habere cupimus omnino oportet. Quæ nisi assequamur constitutio artis constare minime potest.

Arist. lib. 2. de cęlo. c. 4 & item lib. 2. c. 8. & 11. & lib. 3. de part anim. c. 1. G. l. li. 1. de vsu par. c. 23. & lib. 6. c. 10. 13. & lib. 7. c. 8. & lib. 13. c. 2. & libr. 16. cap 9.

Tex.

Quandoquidem uerò huc digressi sumus, methodi uim ob oculos reponere oportet. Neque enim domus, neque nauis, neque lecti, neque reliquorum omnium constructionem aliter quispiam indagauerit, proba ne sit an uitiata, nisi compositas partes quot sint numero, quantę singulæ, quomodo connexæ, & quo situ appareant. In his enim omnium compositorum corporum uirtus seu perfectio & vitium consistit. Cæterum in his ipsis & domus & nauis affectus esse ostendebatur

nempè

nempè magnitudine, figura, numero, & partium situ. Siquidem tum uirtus tum uitium ibidem comprehenditur. lecti autem in his non est? uestium in aliis quibusdam? calceamenti non in ijsdem? Itaque in omnibus instrumentariis partibus quarum substantia ex compositione constant, quatuor generibus uirtus uitiumque seu affectus existit. Quod si secūdum naturam unitionem particulę capiant. quintum quoddam genus hisce corporibus adiicietur. quapropter optimum optimas, uitiosissimum pessimas actiones ædet.

Com. O Primam esse quæ in exemplis fit exercitationem Galenus nono Methodi prodidit. exemplo nunc apposito ex ijs quæ arte constant ad ea quæ naturæ sunt rectissime vtitur Galenus indicans methodi uim vtrobique parem constare, si singula singulis rectè adaptentur. hoc est artificialia arti, à qua emanant, & naturalia naturæ, à qua prodeunt. Quamobrem aptissimè Galenus methodum nobis ob oculos perpetuo ponendam, imò etiam reponendam rectissimè iussit. quod sine methodo nihilquidquam doceri commodè queat, cum sit methodus via quædam ac recta ratio quidpiam docendi. Atque ob id sub eius methodi norma appositissima proponit exempla, quibus instructi quonam pacto cōstructionem earum ex quibus constamus partium, dignoscere exactè possimus docet ab artis operibus initio sumpto. Neque enim aut domus, aut nauis, aut lecti (per quæ reliquarum artium opera intelligi vult) constructionem, num proba sit an uitiata, nisi partes ipsas quot numero esse debeant, quanta magnitudine, quo situ & connexu appositę appareant probe cernatur. ut in quibus compositorum corporum omnium uirtus, perfectio, integritas, & operum omnium proba æditio (si rectè omnia constent) sita sit. prout & vitium si improbe sint constituta. Neque enim in alijs ullis differentijs, est eorum quæ ex arte constant, vt pote lecti, uestium, calceamenti structuram inuenisse, quàm ex partium componentium decenti numero magnitudine forma atque figura, connexiōne ac situ. Quapropter eodem exemplo ad instrumentarias partes quas natura formauit transire oportet, vt inueniamus quo in genere uirtus atque perfectio (si rectè habeant) aut uitium atque defectio (si male) inueniri possit. Nec solum sat est simplices partes quæ instrumentarias componunt in numero, magnitudine, figura, connexione & situ ipsasque similiter instrumentarias partes recte habere, sed quintam illis naturam ceu omnibus communem adiungere iure oportet. Hæc autem vnitio recte uocatur quæ tam simplicibus quàm instrumentarijs partibus necessaria est. Quod si hęc omnia inuicem conueniant, nempe numerus, magnitudo, figura, connexio, situs & unio, consequens est, ut sic optime habitum corpus optimas, uitiosissimum pessimas æditurum sit actiones. Nam vbi perfectè omnia constant, rationi consonum est, vt ei perfectioni atque integritati omnia quæ inde manant opera consentiant. fiantque perfecte prout & quod ipsas ædit corpus perfectè constructum est. Eademque ratio in uitiosissimo corpore uiget. quod ut ipsum pessimè constitutum est, sic pessimas ædere actiones necessarium quidem est, quòd actiones agentibus suis pro portione respondere natura voluerit.

Quæstio grauis. Sed hic ingens suboritur quæstio, eaque perdifficilis à nostris longis ambagibus ac diffuse tractata. Num optime constituta corpora (quæ temperata uocant) ædere perfectas actiones omnes soleant. Quod & si ratio id approbare videatur, nihilo secius tamen multa reclamare uidentur quominus id constare possit. Primum enim id experientiæ fide constat, brutorum plęraque certas actiones perfectius uno homine etiam temperatissimo edere. Canes enim ac uultures homine perfectius odorant. Siquidem præ cæteris animantibus, homo praue odorat. habetque hunc sensum imbecillimum. si Aristoteli lib. secundo de Anima, & lib. de sensu & sensili, & libro quinto de generatione animalium fides habenda: tū & Auerroi lib. tertio collectionum quibus in locis hominem pessimè odorari tradūnt præfati authores. Non ergo perfectæ fiunt omnes in homine actiones si nos acquila uisu, uultur & canis odoratu, aper auditu, & audacia, leo fortitudine superet. Vultures uero odoratu exactissimo esse clasici authores, Albertus magnus, & diuus Thomas Aquinas abunde testantur.

qui

qui ad multam itinerum distantiam multaque millia passuum ad cadauerum nidorem vultures aduolasse testantur. Aquilam vero inconniuenti oculorum acie micantem solem ac radijs suis vibrantem aspectare immotis oculis (quod nemini alteri mortalium est à natura donatum) legimus Ex quibus abunde constare puto in brutorum Plerisque quasdam perfectiores ædi quàm in homine actiones. Quin si proprius actionum naturam earum quæ ab hominibus proficiscuntur inspicere liceat, inueniemus profectò in plerisque intemperatis corporibus actiones quasdam melius quàm in temperatis perfici, idque vel Galeni ipsius met testimonio, qui eos qui sicco cerebro sunt sensum perspicacitate vigere supra cæteros dixit Itaque sensuum uigor in siccis corporibus quàm in cæteris omnibus præstabit magis, præsertim quòd intemperata illa corpora ad temperata conferre eo loci Galenus uideatur, ut omnia intemperata corpora ad exquisitè media conferenda perpetuo statuit. Sic & rursus ad appetentiam uentriculum frigidum plurimum valere, calidum ad concoctionem magis, idem author in arte medicinali affirmauit. Non ergo ventriculus temperatus isthæc opera fœlicius perficiet si calidus concoctionem, frigidus appetentiam omnium optimè obit. Nec solum in corporeis actionibus fœliciores in intemperatis corporibus fieri actiones. sed & in anima quoque est perspicere. Siquidem memorandi actio & concepta animo retinendi, in sicco cerebro quàm in temperato fœlicius obitur. prout in humido apprehensio. Quæ causa Aristotelem ad inquirendum maximè impulit cur qui uel ingenio, uel in studijs philosophiæ, vel in Republica administranda carmineue pangendo, uel in cęteris exercendis artibus floruerunt, melancholicos omnes fuisse. ut haud immeritò Heraclitus illud dixisse sit uisus, Lux sicca, anima sapientior. Et profectò qui moderate sicci sunt sensibus, prudentia, atque sapientia cæteris præstant. Quod experientia docet: ea videlicet ratione, q & minus excrementis abundent & concepta fœlicius contineant: atq; ob id & internis & externis sensibus magis valeant, nimirum q purgatiores habeant sensus. Constare igitur putandum est actiones quasdam in intemperatis quàm in temperatis melius perfici. vt præmissæ rationes monstrare videntur. contra quàm senserit Gal. qui optime tēperata corpora, optimas ædere actiones, & hic, & in arte medicinali voluerit. & præter eum, Auicenna fen secunda? primi canonis, doctrina tertia, summa secūda, capite quarto de signis temperiem æqualem habentium, ubi inter cætera, eos complementum, id est perfectionem operationum omnium habere testatur idque ratione sanè (ut ego quidem arbitror) optima. quod agens omne perfectius nactum instrumentum perfectius operetur. Cumque optima temperies perfectissimum naturæ nostræ instrumentum sit, profectò qui talem temperiem exactam ac optimam nactus fuerit fœlicius longe atque perfectius operabitur eo qui illi dissimilem fuerit adeptus, cum sit temperies ipsa æqualis & ad iustitiam, norma & regula reliquarum omnium. sitque temperies illa media omnium. longe perfectissima, ut libris de temperamentis, & in arte medicinali prodidit Gal.

Alb. lib. 23. de animalibus. c. proprio de vulture Diuus Th. in Cō. ad lib. 2. de anima Aristotelis.

In arte medicinali. c. 1

cap. 62. 36

Particula. 30. probl. probl. 1.

Discutietur autem facile quæstio hæc, si penes quid operationum perfectio attendi debeat, & quæ nam perfectissima, esse censeatur, intelleximus. Eam porro operationem perfectissimam esse dicimus, quæ in suo genere absoluta, exacta, integra, & omnibs suis numeris constans fuerit. cuique ad perfectionem nihil adijci possit. Siquidem perfectum id Aristoteli dicitur, cui nihil deest, & integritatem suam est consequutum: ut uisionem eam perfectā censere oportet, quæ uisibilia omnia qualia, sunt etiam minima non cominus solum, sed eminus etiam distincte, exacte & acutè percipere, ualet, eam inquàm perfectissimam dicimus. prout auditionem qua sonos exacte, absolute, distincte discernere, potest, sic & concoctionem (ut ad naturalia opera sermonem transferamus) perfectam eam nuncupabimus in qua cibus perfecte elaboratur: & in aliti substantiam uertitur pauca relicta excrementitia parte. Neque eam profecto perfectionem dici actionem censemus (ut nonnullis non dilutæ authoritatis uiris placere animaduerto) quæ perfectiori formæ seruit. Nam & brutorum quorundam actiones cum in illis perfectissimæ sint, ut odoratus in uulture & cane, uisus in aquila, audacia in leone & apro (quod supra meminimus) non tamen perfectiori formę actiones hæ subseruiunt nempe forme bruti. Quin si ad hominem actiones eas referas, inuenies profecto non æque in illis perfectas esse: & si forma omnium perfectissimæ inseruiant: nempe animę rationali, quæ in intemperatis & in temperatis eadem specie est. Intempera-

Quæstionis dilutio

lib. 5. meta ph. cap. 16.

torum

torum tamen corporum actiones, si ad temperati corporis actiones referantur, longè imperfectissimæ sint censendæ. quod paulò post probaturi sumus. *Operationum perfectio penes quid attendenda.* Penes id igitur operationum perfectio erit attendenda, quod in suo genere absolutissimum, exactissimum, omnibusque numeris completum fuerit. Vt verò talis operatio confici possit, & agente validissimo, & instrumento ad agendum perfectissimo & appositissimo, tum verò partium simplicium temperie optima, tum verò organicarum aptitudine ac concinnitate opus est. Quamobrem cum in corpore temperato, & facultas operatrix validissima sit, & temperies ipsa æqualis, appositissimum ad agendum instrumentum sit, & eo in corpore similares partes omnes probè temperatæ sint, organicęque rectæ constructè, in figura, numero, magnitudine, positu, atque connexione, efficitur profectò, vt quæ à corpore sic disposito prodeunt actiones, omnium perfectissimæ sint habendæ. Quod quæ ad actionum perfectionem requiri diximus, omnia insint. *Obiectio.* Nec obstat quòd in quibusdam intemperatis corporibus actiones quædam perfectæ fieri uideantur, ut in cerebro sicco sensuum perspicacia & memoria: in ventriculo frigido appetentia, in calido concoctio. *Obiectionis solutio.* Nam & si pro talibus actionibus talia temperamenta ad æditionem idonea magis sint, non tamen ad omnes ex æquo obeundas actiones tales temperaturæ usui esse poterunt. Atque id est quod doctiores dici uolunt, in uniuersum quidem (hoc est) collectiuè vt scholæ loquuntur, actiones omnes in temperato corpore perfectiores esse: & si quædam in quibusdam intemperatis perfectiores esse solent. Nam & si hęc quorum nūc meminimus intemperata corpora, fœlicius operationes illas quas diximus obeant, alias profectò imbecillius & imperfectius obeunt, vt biliosi, qui & si dura facilius concoquunt & immutant, cætera profectò multo minimè. sed ea assant & pessime commutant: præsertim si leuia & concoctu facilia sint, quod experientia monstrat. Nec verò illud quoque admittendum est, actiones eas quæ ab intemperatis corporibus fiunt, perfectas esse dicendas. quòd & si quæpiam adsint eorum quę ad operis perfectionem alicuius necessaria esse diximus, non tamen omnia ad id requisita est inuenire: & si enim temperies sicca melius retinet attrahitque: tum & sensuum perspicacitate præ cæteris uiget, non tamen æque perfecta talis dicetur esse actio atque sibi similis in temperato corpore. Quòd neque facultas operatrix in huiusmodi intemperatis corporibus æque ualida atque in corpore temperato sit, nec instrumentum adeo aptum atque perfectum nempe intemperies ipsa, quæ temperata multo est imperfectior. nec partes aut similares aut instrumentarias ad agendum æque atq; in temperato aptas. cum & similares malam temperiem nactæ sint, & instrumentariæ ab optima structura deficientes. Vnde fit, vt quæ in huiusmodi intemperaturis actiones fiunt, in quibus excellere videantur. perfecte dici nequeant si cum paribus in temperatis corporibus conferantur. Nam cum Galenus dixit siccos præditos temperamento, sensibus & memoria vigere; uentriculum frigidum appetitioni aptum, uti calidum concoctioni non sic intelligendum, ut in his actiones eę fœlicius quàm in temperato corpore perficiantur. Neque enim talia corpora ad temperata eo loci confert Galenus: sed ad intemperata potius, quod & ipsa loci series indicat. cum quæ sint propria unicuique intemperaturæ ordine describit Gal. ac si uelit sicca corpora præ calidis, frigidis, humidis, magis sensuum perspicacia uigere. frigidum ventriculum calido, humido aut sicco appetere melius calidum præ his fœlicius concoquere, non autem actiones has perfectius in his quàm in temperatis obiri. reclamante ad id tum ratione, tum temperamenti iustitialis natura, quæ id non patitur, ut imperfectum quod est, perfecto melius operetur ijs quas antea attulimus rationibus. Alioqui enim sequeretur, imperfectum perfecto in uirtute æquari, quod ordini naturæ repugnat. Adde quòd in eo quod mediocritatem excedit (quale est quod intemperatum est) actionum perfectio constitui nullo prorsus pacto potest. Nam cum à perfectissimo quæ maxime perfecta sunt opera manare necessum sit, ita ducente natura, ut agens omne pro sui ratione assimilare sibi id in quod agit satagat, fieri profectò non potest, ut ab eo quod imperfectum est, perfectum opus prodeat ad id repugnante natura. Cum itaque intemperies omnis temperie ipsa optima imperfectior sit. eo quod ab ipsa deficiat, consequitur omnino quæ ab intemperatis corporibus actiones & opera fiunt imperfectiora esse ijs quæ à temperatis proficiscuntur. Quin etiam cum temperatis temperata debeantur ad conseruationem omnia, ut in arte medicinali Gal. *Cap. 85.* efficitur, ut quæ huiusmodi corporibus offeruntur ea ipsa optime

conficiant

conficiant ac transmutent, meliusque cæteris omnibus temperaturis: ac proinde rectè à Galeno dictum putari potest, optimam quidem temperiem perfectas ædere actiones solere, non vniuersim tantum: sed & singulatim quamque fœlicius perfici. quòd nulla temperies alia inueniri vsquam posit, quæ in actionibus naturalibus quo ad attractionem, retentionem, concoctionem, excrementorum expulsionem, perfectius circa temperatam & mediocrem materiam se habeat. quod & in vitalibus & animalibus actionibus est indidem concludere. Itaque vt tandem finiam, censendum ita Galeni sensa de hac re intelligi debere, vt sint actiones omnes simul collectæ in tēperatis, quàm in intemperatis perfectiores, immò perfectissimæ quoque vt peritioribus visum est. quibus ego assentior, Vel etiam nedum omnes simul collectas, sed & singulas quoque perfectiores longè in temperatis, quàm in intemperatis esse statuendas, ob eas quas paulò ante, (quæ id conuincunt) attulimus rationes. per quas etiam in oppositum adducta diluere facilimum erit, quod & nos ratiocinatione hac fecisse videmur. Itaque quæ hic á Galeno & in arte medicinali dicuntur pro assertis & constitutis habere oportet, optimum optimas viciosissimum uiciosissimas ædere actiones. hoc est benè temperatum corpus optimas, pesimè temperatum pesimas. Oppositorum namque opposita (si Aristoteli philosophorum summo creditur) rationes perpetuò esse solent. Hicque quæstionis propositæ & eius explicationis finis esto.

Iam uerò si unitas quædam dissoluatur non modo culpata talis affectio, sed iam morbus quoque est. Dicetur autem clarioris doctrinæ gratia unitatis diuortium. Cæterum nihil refert an etiam continuitatis solutionem dixeris. Porrò quòd hic affectus similaribus accidit omnes nouisse oportet. Etenim osis, nerui, uenæ, arteriæ, & carnis continuitatem soluunt, corrumpuntque punctura, erosio, dissectio, conuulsio & ruptura. At in osse, κάταγμα id est fractura affectus hic dicitur. In carnosis musculorum partibus ex distentione proueniens ῥῆγμα, id est ruptura: cum autem filamenta similiter tensa rumpuntur, conuulsio. Tex.

DIxerat proximè Galenus ad similarium partium temperiem & instrumentariarum probam constructionem, vt sanitas ex integro constaret, vnitionem particularum requiri. Nunc verò vnitate hac dissoluta, quid consequatur explicare pergit Galenus inquiens, vnitas ea si dissoluatur non modo culpatam talem affectionem dici debere: sed planè etiam morbum. illud nobis vt insinuet Gal. non omnem culpatam affectionem morbum esse dicendum. Siquidem non omnis affectio culpæ particeps, in corpore censeri morbus debet. Nam non omnis culpa actiones primò & per se lædit, quod ad morbum requiritur. Equidem si quis vel compedibus vinctas, vel vita ob oculos posita, aut incedere, aut videre nequeat, culpata quidem talis affectio erit: morbosa nequaquam. Siquidem in huiusmodi affectionibus impediri actiones, lædi autem minimè dici possunt: sic etiam vbi per leues noxas à suis secundum naturam actionibus leuiter membra declinant, ita tamen vt sensui manifestam noxam non inferant, culpatæ quidem affectiones, sed morbi tamen dici iure nequeunt, quod in neutris decidentiæ corporibus vocatis planè est videre. Vnitatis vero solutio non modo culpata affectio sed planè iam quoque morbus est: quòd & affectus præter naturam sit, & actiones primò & per se lædat. Nec refert si etiam vnitatis diuortium voces, an continui solutionem, vbi enim partium continuitas soluitur, illius quoque & vnitatis diuortium inesse necesse est. Hunc autem affectum, & si similaribus propriè conuenire Galenus dicit, nihilo secius tamen & instrumentarijs conuenit. Nam quod proximè dixit vnitionem quandam secundum naturā (si suo munere fungi debent) particulæ desiderāt, necesariū quidē est vtriusq; vnitionē adesse. Sed cū ex similaribus instrumētarię cōponantur rectissimè hic dixisse Galenus vr̃ affectū hunc similaribus accidere neq; ob id tñ non & instrumentarijs conuenire. Quæ verò in simplicibus cōtinuitatē soluūt corrūpuntq; qualia nā sint narrare pergit Gal. dū inquit, puncturā, erosionē, dissectionē, cōuulsionē, rupturā, fracturamq; hos affectus ex quibus partiū vnitas soluitur dici, in osse quidē κάταγμα id est fractura nuncupatur, cū vtiq; os Com.

 diffringi-

distringitur. Siquidem duri fractura propriæ est, ut Aristoteles dixit. in carnosis autem musculorum partibus quæ ex distentione prouenit solutio ῥῆγμα, id est ruptura, seu ruptio rectè nuncupatur, quod ex nimia distentione venulæ in musculis contentæ atque carnes etiam ipse musculorum violento motu protensæ dissoluantur. & quæ præditæ erant continuitate soluuntur. Conuulsionem autem vocat, cum filamenta neruorum similiter tensa rumpuntur, vt conceptis verbis hoc loco affirmat Galenus. Quod profectò magna animaduersione indigere mihi videtur, cum velit ad conuulsionem id requiri Galenus filamenta musculorum simul tendi & rumpi oportere. Quæ res magnam secum ambiguitatem adfert. Ad conuulsionem enim sat pluries alibi putat Galenus si nerui tendantur & in suam ipsorum originem contrahantur, hic verò non solum tendi, sed & rumpi vt conuulsio fiat, affirmat. Qui quoniam loci pugnare inuicem videtur dicendum quidem conuulsionem propriè affectum eum dici cum nerui musculis inserti uel à plenitudine, vel ab inanitione ad suā ipsorum originem contrahuntur, quæ vera conuulsio est. Nec inconuenit præ affectus magnitudine interdū etiam filamenta nerueasque partes rumpi. (nam hæc filamenta rectè dicuntur,) sed cum filamenta hæc ex tensione rupturam accipiunt leuior quidem conuulsio fit, quòd in neruorum vulneribus est deprehendere. Nam si non omnino dissectus neruus sit, conuulsio tum in parte accersitur si vero vniuersim dissectus neruus sit, nulla conuulsio ægrum infestat. Coguntur namque sæpé chirurgi ad compescendam conuulsionem neruum vniuersim secare. Non itaque perpetuò necessarium erit vt in conuulsione filamenta simul & tendantur & rumpantur, cum satis sit absque ruptura neruos filamentaque neruea tendi: de quā tamen re amplior nobis dabitur postea disserendi campus.

Lib. 4. meteor. cap. 9.

Animaduersio i Galenū de cōuulsione. Lib. 3. de loc. aff. capi. 5. lib. 6. aph. 39. & libr. 5. de symp. caus. cap. 1.

Textus.

Continuitatis in carne solutio, vulnus est. quemadmodum ruptura, non ex distentione, sed incisione profectum. Quod si ab acuto aut gracili uulneretur caro, affectus punctura, seu punctio dicitur: si à graui contusio. Quod ab erosione ossi contingit τερηδών, id est caries, in alijs partibus ulcus appellatur, quin & alio modo nuncupare licet. Tot igitur talesque differentiæ quinti generis sunt: quatenus similaribus partibus accidit. Instrumentariis uerò, sicut dictum est, pro diuersitate cohærentium secus eueniunt, uocanturque omnia ἀποσπάσματα quasi auulsa dixeris. Itaque similaris aliqua ex toto diuisa, eius sanè affectus ipse fuerit. itemque totius instrumenti, interim secundum accidens, ueluti cum uel musculus, uel alia pars similis affecta fuerit, interim primario, ubi ligamentum malè habuerit. Quemadmodum igitur in uno morbi genere quo partium unitas uitiatur, differentias nunc percensui, ita tu quoque alia quatuor genera simili compendio percurrere coneris. Nam ipsorum hic meminisse superuacuum uidetur mihi, cum omnia diligenter uno opere de morborum differentiis tractauerim.

Com.

VUlnus, ea in carne solutio vnitatis est quæ ab incisione, seu quouis alio sectionis genere facta est. siue directim, seu obliquè, seu punctim soluta vnitas sit. à vulnerando dicta. Quodcunque enim soluere continuum externè potest, id vulnus inferre dicitur si appositè & propriè loqui velimus, tametsi etiam ei affectui vlceris nomen conueniat. Vlcus verò soluta unitas in carnosa parte, sed quæ cum pure coniuncta sit vt Auicenna fen quarta quarti canonis, tractatu tertio, capite primo: & Gal. hoc ipso loco sentire uidetur. Cum solutionem eam quæ ab erosione osi contingit cariem in aliis partibus vlcus nuncupandum censet. Et si enim Gal. in methodo medendi, libris tertio & quarto, vbique solutam in carne unitatem vlcus vocet (Grece enim ἕλκος scribitur) tamen hoc loco propriè magis vulnus ab ulcere hac nota interstinguit quod vulnus (τραῦμα dictū) à re vulnerāte, & omni elorū gñe ꝓprié fit. vlcus ab ac errosione uñ pus in parte nascat̄. Qđ & Guido Cauliensis, & omnis Arabū ac Chirurgorū schola Auicennam sequuti rectè confirmare uñr. Et profecto vulnus magis his solutionibus conuenit, q̄ extrinsecus à quouis telorū gñe fiunt, quàm his q̄ ab internis causis & corporeis oriūtur, vt cū à

plegmone suppinata & aperta, continui solutio in parte carnosa fit, vel cũ suaptè spõte ab erodentibus succis carnosa pars in sua cõtinuitate soluit, id magis vlcus ꝓfectò quam vulnus dici meretur. Non enim vulnerata extrinsecus pars fuit, sed ab interno potius exulcerata, idque ob humoris acrimoniam, quæ propior ac verior vlceris significatio mihi videtur. Sed cum de nomine contentio ea sit, citò componere de nominibus pacem oportet, modo rerum scientiam teneamus, quòd secundo methodi medendi iubet Galenus. Vocet quis solutam in carne vnitatem vlcus, vulnusué, vt facit Gal. nihil ad rem. Dum id tantum sciamus solutam continuitatem in carnosa parte modo vlcus, modò vulnus appellari. & exiccatio ne iuxta Hippocratis doctrinam indigere. Siquidem omne vlcus siccari postulat. Quæ verò in carnosa parte accidunt solutiones, varias & ipsæ nomenclaturas sortiuntur. siquidem quæ ab incisione proficisſitur incisio, quæ à distentione ruptura, quæ ab acutò & gracilitelo, punctura: quæ verò à graui contusio rectè censeri debet. si propriè nominibus uti uelimus, Hæ igitur solutæ unitatis, ut similaribus partibus accidit, differentiæ sunt. Quæ verò insttumentarijs partibus solutiones accidunt, pro varietate cohærentium partium secus eueniunt uocanturque quæ sic soluta sunt omnia Græce ἀποσπάσματα quasi auulsa dicas. quòd instrumentaria parte dissoluta, quæ illi cohærent simplices partes, nerui, arteriæ, uenæ, tendines & ligamenta auelli ab instrumentaria parte planè perspiciantur. Itaque si similaris aliqua pars ex toto diuisa fuerit, affectus sanè tunc ad eam propriè pertinet: ubi ipsa sola dissecta fuerit. cúm verò instrumentaria pars vnitatis solutionem patitur, vtpotè musculus, tum secundum accidens & secundariò similaris pars offici dicitur, nempè, quód ad musculi dissectionem secari & ipsam necessarium sit. tùm verò primariò, cum ipsa sola similaris pars sine musculi dissectione diuiditur, vt cum vena, arteria, ligamentum ve solutionem perpessa fuerint. Superuacuum autem Galeno hoc loco videtur reliqua percurrere. cum diligenter omnia ab eodem ipso, libro de morborum differentijs tractata sint ne ταυτόλογια & repetitione in eadem re vti videatur. quod vicium vitare omnes qui monimentis locupletare artem contendunt (ne inanibus verbis chartas impleant: & ut compendiosè tractationi inseruiant) vitare debent.

Lib. de vlceribus.

## CAPVT QVINTVM

Text.

Rusus igitur in memoriam nobis reuocemus quod in alijs quoque omnibus quorum substantiæ species in compositione uersatur uniuersa quatuor genera demonstrata esse, quibus tota ipsorum essentia tum proba uitiataque in eis figura debetur. Deinde quòd simplicis cuiusque particulæ naturam cognoscere necessitas postulat, si modò harum integritatem ac uitium cognoscere, & affectus corrigere uoluerimus. Nam si domus, uel tegulæ, uel lateres crudi, seu cocti offensam aliquam acceperint, ignorare non debet artifex, quomodo alios eiusdem generis confingere, ac uitiatos auferre conueniat. pro quibus integros nihilque passos substituet, ita qui artem corpori humano consecratam constituit, præter alia etiam hoc necessario intelligit, possit ne pars aliqua alterius loco restitui an minus. Carnem sanè affectam ubi excideris, aliam generare potes. Neruo autem uel ligamento exciso alia similia reddere nemo potest. Siquidem caro ex sanguine nascitur, illa ex semine.

Com.

ARtem constituendi medicam plurima esse spectanda, & quænam ea sint bona ex parte docet hoc capite Galenus, indicans non compositarum solum partium ratiomem tenere oportere eum qui artem constituere uelit: sed multò etiam magis simplicium, ex quibus instrumentariæ partes constant. exemplis etiam ex his quæ ab arte petuntur appositis. Insuper quænàm partium ubi solutionem passę sunt refici ac regenerari possint, quę minime & id quoque docet. ostendens partium quasdam ex semine, alias ex sanguine ortum habere, & quonam pactò

compositarum partium rationem tenere possimus, nobis quoque hoc capite monstrare nititur Galenus, Hæc capitis summa est. Imprimis uerò in memoriam reuocandum suadet, in ijs omnibus quorum ratio & essentia in compositione uersatur, quatuor esse spectanda genera illa de quibus paulò antea dictum est nempe numerum, magnitudinem, situm, ac connexionem, in quibus compositarum partium uirtus seu perfectio & uitium item consistit. Si enim hæc spectauerimus, sciemus profectò num proba num uitiata figura prædita sit pars. Siquidem figurę ratio in his potissimum sita esse uidetur. Vbi enim pars decentem numerum, magnitudinem, situm & cum reliquis connexionem iustam habuerit, & decenti quoque figura præditam esse consequens certe est: proút si & uitiata fuerint, & uitiari quòque figuram est necesse. Meritò igitur hæc nobis in memoriam reuocanda suasit Galenus. Vnum autem id monet præcipuè, ut si simplicis cuiusque particulæ integritatem aut uitium cognoscere in animo est, tum & earum affectus curare, earum prius naturam cognoscere operepræcium esse. Siquidem quæ præter naturam sunt, cognosci aut curari probè nequeunt, incognitis his quæ secundum naturam, ut libro secundo methodi medendi a Galeno scitè proditum est. Porrò simplicium partium naturam cognoscere, nihil prorsus aliud est, quàm earum, essentiam, substantiamuè atque temperiem, tum & earum usum: cuius gratia factæ sunt exactè tenere. Non posse autem earum uitia prius corrigi, quàm earum naturam teneamus indè euenit, quòd uitia à naturalis status secessione atque distantia metiamur. Itaque, ut sciamus quantum quidque à naturali statu recesserit, prius naturalis status, in quo partis integritas posita est, agnoscendus uenit. Ad quem. lapsum præter naturam conferentes, intelligere poterimus quanta ab illo secessio facta sit. atque tum pro ratione distantiæ à naturali statu remedia paria admouebimus: ut si decem numeris à naturali statu lapsus inciderit uersus alterutrum extremorum, decem item numeris erit per opposita reuocandus, ut Galenus in arte medicinali scitissimè dixit. Rectè hic igitur à Galeno dictum putare oportet, si simplicium partium integritatem ac uitium cognoscere earumq ue affectibus mederi oporteat, earum naturam nobis esse imprimis tenendam, ut à cuius cognitione hæc omnia ceu è radice rami prodeunt. Quod & exemplo ab arte petio probare in hunc modum contendit. Si domus cuiuspiam partes aliquæ, ut tegulę. uel lateres uitium contraxerint, unde domus uitiata dici possit, ignorare minimè debet Architectus, ut auferendi uitiati lateres sint: & qui illorum loco & quomodo reponendi. Quod methodi proprium esse uidetur: Sic & medicus qui corporis humani architectus quidam est, ac ueluti reformator: cum partium simplicium naturam omnem cognoscere debeat, ut quo nampacto earum uitijs medendum sit intelligat, tum uerò illud in primis scire debet, num quæ amissa pars est aut uitiata, possit integrè restitui, aut aliqua illius loco supponi an minus quidem id fieri possit. Hæc sanè sunt quæ tenere medicum debere uult hoc loco Galenus. Equidem excisam carnem simili carne denuò genita resarcire possumus. Neruo verò, ligamento, osseuè excisis, id fieri non licet. Neque enim similem deperditæ parti regenerare quis potest. Quòd membra hæc ex semine: caro ex sanguine ortum ducat. Sed hoc loco duo magni momenti inquirenda nobis sunt quæ hic locus postulat. Primum an quædam partes à semine, quædam à sanguine fiant, ut hic & innumeris alijs locis vult, Galenus. An verò omnes à sanguine, à semine nullę quod nonnullis præiudicatæ opinionis viris placere video. Alterum, cur è semine genita membra restitui prorsus nequeant, hoc est qualia deperdita sunt resarciri, ex sanguine orta possint. Quæ vbi expleta à nobis fuerint finem commentario faciemus.

Simpliciũ partiũ naturã cognoscere quid.

Cap. 89

Quæstiones duę grauissimæ.

Igitur primum vt dissoluamus, illud de Galeni mente constare arbitror, partium quasdam à sanguine, alias à semine primordia sua ducere. Quod millies in mille locis ab eodem authore dictum est. Siquidem libro primo de semine capitibus quinto & octauo, neruum, arteriam, uenam, os, membranam, ex semine, carnem ex sanguine esse dixit. Aduersus namque Aristotelem de semine genitali eo loco disputans, ea ratione vult partes has à semine fieri, quòd exanguens sint, quòd albæ, quòd item non perinde ac carnes è sanguine ipso efficiantur cum sanguis ipse neque albus sit, neque lentus, neque adeo crassus ut si & intendatur & perforetur, possit in sua continuitate perstare.

An quædã partes à semine aliæ à sanguine fiunt an omnes à sanguine.

perſtare. quod neruis, arterijs, & uenis eò quòd ex ſemine genita ſint, euenit: ſemen enim & lentore ſuo & cõtinuitate ſua & intendi & perforari cõmodè põt. ut ex eo uenæ, arteriæ nerui, & in longum protendi, & cauitatem accipere citra rupturam poſſint. quòd ſeminis lentor & ſequacitas efficere poſſunt. Non ergo ex ſanguine, ſed ex ſemine magis eas partes fieri atque conſtare docere conatur ibi Galenus. atque non tam à ſemine vt efficiente & fabricatorio principio quàm etiam materiali. Siquidem vt in plantis ſemen ipſum & effectiui & materialis principij vices ſubit (vt eodem ipſo loco adfert Galenus) ſic & in animalibus vtriuſque vices gerere ſemen. ſed magis effectiui quàm materialis idem author arbitratur prout in ſanguine plus materiæ ineſſe, minus effectiui principij aſſerit. Vtroque autem modo aliquid ex aliquo eſſe intelligi rectè poteſt, & vt ab efficiente, & vt à materia, vt conceptis verbis Ariſ. lib. 5. metaphiſices c. 24. aſtruxit. A ſanguine verò carnem & pinguedinem fieri contendit vbique paſſim Galenus. Tametſi is ipſe ea de re varius ac ſecum ipſe pugnans videri poteſt, cum libro primo de ſemine & comment. 26. in librum primum de natura humana Hippocratis, & hoc loco, partes quaſdã à ſemine, à ſanguine alias eſſe dicerit. libro verò ſecundo de naturalibus facultatibus, capite tertio, oẽs quidem partes ex ſanguine factas eſſe nedum carnes ſed & oſſa, cartilaginem, arteriam, venam neruum, membranam. Quæquidem membra etſi exanguia ſunt, a ſanguine tamen facta affirmat Galenus eo loco. Arbitratur enim ſemini ipſi efficienti principio, ſanguinem menſtruum vice materiæ eſſe, qua enutritum & auctum ſemen ſingulas partes format ac proindè à ſanguine omnes eſſe factas tanquam à materia ea quæ formandis partibus propriè ſemini ſuppeditetur, intelligi poteſt. Quo loco cum Ariſtotele conſentire planè videtur qui ſanguinem in fœtu materiæ vicem gerere vt ſemen opificis pleriſque in locis affirmauit. & ſi in hac re aduerſarius ſemper Ariſtoteli Galenus eſſe videatur, vt libris de ſemine & pluries alibi eſt videre. Cur verò libro ſecundo de naturalibus facultatibus omnes partes à ſanguine factas eſſe Galenus uoluerit, hæc iuſta cauſa adferri poteſt, quòd nec veriſimile videri poteſt, quin nec fieri poſſe putandum, vt ex tantulo ſemine in vterum iniecto (quæ ſane pauca moles eſt) tam multa, tam ampla, atque capacia membra fiant, quæ ex ſemine originem ducant uentriculus, inteſtina, vterus, ueſica, membranæ, tot in corpore nerui, uenæ, arteriæ, tendines, ligamenta tamque ſolida & multa oſſa, quod reuera impoſſibile uidetur. Neque enim tentat natura facere quod fieri non poteſt, ſed de poſſibilibus facit quod melius eſt, ut Ariſtoteles libro de iuuentute & ſenectutè, cap. ſecundo ſcitisſimè dixit. Nec verò quòd à ſemine fiant huiuſmodi partes ſufficiens ratio eſt, quòd exangues hæ ſint, quòd continuitatem poſtulent, ac perindè lentam materiam, vt lib. primo de ſemine capite quinto dixit Galenus. Nam natura etiam ex ſanguine alterato & demutato vi alteratricis facultatis ſanguinem in ſemen demutantis, has qualitates indere partibus poteſt. Siquidem ex eadem materia diuerſo modo ab agente alterata omnes confici partes poſſunt, vt in lacte uidemus ex quo vi coaguli in lac ipſum agentis ſerum. caſeus & butyrum conficiuntur. quòd lac ipſum ęthereogeneum nec uniuſmodi ſit. Ac proinde quæ nos à natura fieri non poſſe putamus, nullo illa negocio abſoluere poteſt. vt in ædendo fœtu videmus quem integrum per anguſtisſima loca educit prout & ſaniem ex oſſibus effluere facit & multis alijs naturæ operibus in arcano ipſius ſinu reconditis. Credendùm tamen ſeminis virtute atque potentia ſpermaticas vocatas partes formari & effingi, ſed ita, vt ipſum primis naturæ rudimentis creandis dum formatur in vtero fœtus ſufficiat, commodamque pro Galeni ſententia ſe præbeat materiam, vnde ſpermaticæ vocatæ partes fiant. quæ tamen poſtea ſic genitæ & opificem ſuum ſemen referentes, albedine, lentore, ſequacitate ac craſſitiæ, incrementum tandem aſſumant à ſanguine in eorum naturam vi alteratricis facultatis demutato. vnde tam multiplicia & numeroſa, tam vaſta & ampla fiant: ac prinde non eijci ſemen in conceptibus, ſed in vtero manere vt voluit Hippocrates, eſt omnino neceſſe. vt opificis vice fungatur, & ſanguinem materiam idoneam pro membrorum ratione diſponat, alteret, & concoquat, vt operi abſoluendo ſeruire poſſit. quin & ſemen ipſum pro Galeni ſententia, & ſi opificis rationem tenet, aliquam eiam creandis membris, præbet materiam, ut libro de ſemine conceptis uerbis dixit. plus tamen

Galenus de partium generatione varius.

Lib. 1. & 2. de gener. animalium

lib. de nat. fœtus.

opificio quam materia valet: prout contra ſanguis materiam amplius quàm virtutem ſuggerit. vt in qua aut nulla aut pauca efficiendi vis: materiam præſtandi maior adſit. Vt igitur tandem quod propoſitum eſt diluamus, num partes aliquæ a ſemine, aliæ a ſanguine fiant, num potius a ſanguine omnes, nullæ a ſemine: ſic de tota re ſtatuendum exiſtimo, aduocata tamen doctiorum in hac parte & præiudicatæ opinionis virorum cenſura.

Primæ quæſtionis diſſolutio.

Spermaticas quidem partes à ſemine vti principio tum effectiuo, tum etiam materiali gigni ex Galeni libro primo de ſemine capite ſeptimo ſententia. vbi quemadmodum in plantis ſic & in animantibus ſemen, & opificis & materiæ rationem habere probat. At verò quonam pacto tot tantiſque partibus fabricandis tantulum ſemen ſufficiat, dicendum quidem primò principium vt mole minimum, ſic virtute ac potentia maximum eſſe vt & Ariſtoteles dixit, & experientia docet. cum ex vaſtiſſimarum arborum ſemine tantulo nempè cupreſſi, pinus caſtanei, laricis, oleæ, quercus, tam vaſtas naſci arbores videamus. Quamobrem minimè mirum quoque videri debet, ſi ex pauco humano ſemine tam multæ partes ipſo in vterum proiecto conficiantur. cum ſit ut mole minimum ſic potentia maximum. Addo quòd ſemen ipſum & ſi mole minimum, non tamen tam exiguum exiſtimari debet, quin fabricæ corporis inchoandæ ſufficiat. Nam protinus vbi recentum eſt in vtero ſemen & conceptio fit, ſufficit quidem ſemen ipſum rudem partium ſpermaticarum ſtructuram facere & inchoare. quam poſtea inchoatam ſanguinis menſtrui adiumento complet ac perficit. Nam primùm filamenta quædam tenuia ſeminis operantis in prima fœtus conformatione apparent, vt Hippocrates lib. de natura fœtus aſſerit, ex quibus ſenſibilia corporis elementa (quæ Galeno libro primo de facult. nat. authorem ſimilares corporis partes ſunt) gignuntur. Quas vtique partes in prima generatione animalis natura creat, vſa generatrice alteratriceque potentia, vt eodem illo loco Galenus. Itaque rudem quidem per ſe inchoare fabricam ſemen poteſt: & ſi totam non per ſe perficere poſſit. Augere namque, amplificare ac in tantam partium molem erigere, ſine ſanguinis adminiculo certè non poteſt. Eò fit, vt ipſo quidem ductore atque opifice, ſanguine verò adminiſtra materia, ſed pro parte nam & ipſum ſemen materiam quoque in gignẽdis ſpermaticis partibus (ſi Galeno creditur) præbet, membra ſpermatica, oſſa, membranæ, nerui, arteriæ, venæ, in vaſtam molem exurgant, ſemine quidem præcipuè artificis vices agente, & Phidiæ ad proportionem reſpondente; ſanguine verò menſtruo vt ceræ, materiæ rationem habente. vt libro ſecundo de naturalibus facultatibus affirmat Galenus. Trahit porrò ſemen tantum ad ſe ſanguinis quanti indiget, vt citato proximò loco Galenus, eò fit, vt commodè conciliari controuerſi de ea re Galeni loci posſint. Nam cum libris de ſemine, de conſtitutione artis, & in commentario viceſimo ſexto ad primum de natura humana Hippocratis, alias partes à ſemine: alias à ſanguine fieri dixit, libro verò ſecundo de facultatibus naturalibus capite tertio, omnes à ſanguine, facile eſt controuerſos hos locos conciliare, ſi dixerimus, adminiculo quidem & adiumento ſanguinis omnes partes fieri: id eſt, carneas quidem per ſe, & ab ipſo ut propria materia: ſpermaticus verò non primùm & per ſe, ſed adminiculatiuè. Semini quidem ipſi artifici adiumentum præbente ad incrementum ſanguine. Quemadmodum enim magneti lapidi, trahendi ferri: ſic ſemini trahendi ſanguinis ad opificium partium facultas eſt indita, vt libro ſecundo de nat. facul. c. tertio Gal. Itaque & ſi verum eſt à ſemine vt effectiuo principio ſpermatica membra formari, quòd ad præcipuorum inſtrumentorum formationem maximè accommodatam ſubſtantiam ſemen habeat. nempè albam, lentam, exanguem, & craſſam, vt lib. 1. de ſemine rectè dixit Gal. tamen cum in tam uaſtam molem extendi ſemen nequeat, vt tot tãtaq; ſpermatica mẽbra procreet, vi ſua, ſanguinem trahens vt magnes ferrum, eo ad partiũ etiam ſolidarum formationem ac incrementum cõmodè vtitur ipſo vtique ſanguine ad tale opus ab ipſo ſemine opifice alterato. Equidem cum ex ſanguine partes cuiuſuis generis omnes alantur, cur ex eadem materia non poterunt gigni partes eæ quæ inde alimoniam ſumunt? cum ijſdem alamur ex quibus ſumus vt Ariſtoteles dixit. Hæc ſi Galeni ſenſa ſequimur dicẽda ſunt. ſed ſi Ariſtotelis mentem dicemus profectò, vt ex coagulo (cui ſemen proportione reſpondet) non materiam in caſei confectione ſuppeditari, quæ ex lacte in caſei generatione petitur, ſed ſolam vim tribui, ſic ex ſemine nullam partem gigni (ſi Ariſto-

Sect. 10 probl. probl. 15 & in phiſicis.

Conciliatio controuerſorũ Galeni locorum.

Cap. 5.

telis

telis castra sequi volumus) dicere poterimus. manere tamen in utero semen vt sanguinem mutet, & formam membris præbeat (quę Aristotelis mens est) arbitrandum est. Sed profectò quid in re tā ardua, & obscura certi ad feras, uix est inuenire cum in intimis naturæ recessibus archanisque misterijs tota posita sit. Quis enim tantum sibi tribuat? Quis tantum de se polliceri ausit? ut sua quantumuis magna sapientia (si modò vlla in homine est) de naturæ actionibus his quæ captum hominis fugiunt differere aptè posit? Quis enim in pangendo homine naturæ numeros, dimensus, statasque materias nouit? aut in his præscribendis, naturę aut dei cōsiliarius fuit? Quātū nobis diuina gratia sapere datū est, tantū sapiamus idq; ad sobrietatem. Non enim plus sapere quam sapere oportet, sed omnia quantum humana mens attingere potest. Id probe agnoscens sanctissimus Iob. & humani corporis fabricam admiratus, & extra se positus, totusque in deum tanti opifici authorem cōuersus, aptissime exclamasse est uisus Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu. Profectò hæc scrupulosius scrutari vanitatis humanæ est. cum nemo quisquam, vt formentur partes qua ratione, qua via, & vt materia sese ipsa accommodet partium formationi, nisi in vmbra & caligine scire posit. Nos tamen medici medica sectantes, quantum arte medica datum est, tantum è promptuaria cella deprompsimus. altiora nō inuestigantes, sed humiliter sentientes quantum nobis datum est attulimus. At de hac re iam satis, Ad aliam venio, cur quędam in corpore dissectæ partes, quæ quales deperditæ fuerint regenerari nequeant. uti venæ, arteriæ, & reliquæ a semine ortę. quod a Galeno quæsitum & indagatatum est, & ab eodem etiam explicatum. Siquidem libro primo de semine capitibus octauo & decimo, inquirens eius problematis causas, ait cur uena, arteria, neruus, membrana, cartilago, & os renasci nequeant, in caussa esse, quòd cum ad regenerationem abscisæ partis, & copiosa serosa materia, & facultate formatrice ualidissima opus sit, (si regeneratio partis deperditæ similis fieri habeat) hæc autem ambo desinit in spermaticis partibus dissectis (quum neque ut in prima membrorum conformatione copiosum semen adsit: neque facultas operatrix quæ semen dirigit ad partium reparationem) efficitur profecto vt deffectu materiæ, & efficientis, regigni prorsus nequeant, Cui etiam rei id impedimento esse vult, quod cum uena, arteria, aut neruus nudata sint, uelimusque ea integere & ad cicatricem perducere, caro quidem prius circa Vnumquodque horum increscat regenerationem impediens quam simile deperditæ parti genitum sit. Nam vt spermaticę partes dissectę regenerentur, magna alteratione, diutinoque tempore vt id perficiatur, opus est. Quam sane alterationem atque tempus, carnis regeneratio preoccupans (quæ multo facilior est, quod præsens sit pro generatione carnis materias nempe copiosus sanguis, & facultas immutatrix valida) efficit ut prius dissectæ uenæ aut arteriæ partes carne integantur, quam ut ipsę regeneratæ sint ex propria qua constant seminali materia, vel ex sanguine in seminis fere naturam demutato & alterato. Has igitur causas esse vult proposito de semine libro Galenus cur e semine genita membra dissecta restitui qualia antea fuere nequeant. Verum res hæc vt elucidetur, ampliore inquisitione indiget. Siquidem non omnino constare de ea re sibi Galenus videtur. cum libro iam citato, venas & arterias glutinari ob eas quas attulit ipse rationes minime posse affirmet. Libris uero quinto, & decimo quarte methodi medendi, uenas & arterias conglutinatas se uidisse in moliusculis naturis, pueris & mulieribus ultro confiteatur, idque ob corporum humiditatem, quæ efficit, ut sequax adhuc subsit in regeneratione partis materia, quod in adultis & uiris factis ut pote siccioribus non contingit. Tum uero quod cum dentes nedum in pueris, sed & in adultis renasci uideamus, quibusdam etiam ad uicesimum tricesimumue prope annum (quod & ipse uidi) cur non poterunt & uena & arteria similiter ut dentes regenerari? cum difficilius sit os quam partes illas, nempe arteriam & uenam refici dentes tamen restitui etiam in adultis plane uidemus. Neque uero censendum est in dentium regeneratione seminalem materiam quæ in prima membrorum conformatione adfuit, perpetuo mansisse & adusque vicesimum aut eo amplius annum in loco perdurasse cum id fieri nequeat. quin tanto tempore consistens, uel putrescat, uel concoquuatur, uel absumatur ac dissipetur necesse sit, si tandiu in gingiuæ cauitate maneat. Non enim profecto arbitrandum est, nouum genitum dentem ex eadem ipsa renouari & regenerari materia ex qua prius formatus fuerat. quod illa tota iam in prima conformatione absumpta sit, ne-

Lib. 1. & 2. de gene. animalium.

Paul. ad Rom. 11

Paul. ad Rom. 12.

Iob 10.

que

que illius quicquam ſuperſit. ſed cenſendum potius naturæ prouidentia (quę de reparandis membris quantum poteſt valde ſolicita eſt) id fieri, dum pars ipſa ea qua pollet alteratrice facultate, ex ſanguine eo confluente & in materiam priori ſimilem demutato, & per exactam concoctionem in naturam ſemini ſimilem alterato atque conuerſo, noui dentis regenerationem fieri. præſertim quòd in venis & arterijs demutandi ſanguinis & in ſeminis naturam conuertendi poteſtas ſit, vt libro primo de ſemine capite nono teſtatur conceptis verbis Galenus, Sed id neque in omni ætate neque omni tempore fieri poteſt. Siquidem exacto incremẽti tempore, & in ſenili ętate dentium regeneratio nulla fieri vnquam poteſt aut raro. defficientibus vtique & idonea ad regenerationem materia & facultate formatrice, quæ iam adeo effœta & inualida, reddita eſt, vt in oſſis duritiem, quæ affluit materiam conuertere non poſſit. Quæ cauſa eſt cur ſenibus nunquam & ijs qui augeri deſierũt dentes niſi raro renaſci non poſſint. Neq; omnino quod ſpermaticæ non regenerentur partes, in deffectum materię reijcienda cauſa eſt. Nam ſi vt vult Galenus in venis & arterijs ſeminis gignendi facultas eſt, ab ipſisque fieri ſemen nedum in teſtibus conceptis verbis eo loci teſtetur, profectò credendum eſt earum facultate ex ſanguine ab ipſis elaborato tã tum poſſe gigni ſemen vt reparandis ſpermaticis partibus diſſectis ſufficiat. modo aliunde non impediatur, neque prius caro ſupra diſſectam venam aut arteriam concreſcat quàm regeneratio abſolui poſſit. quod etiam inter ea quæ talem regenerationem impediant Galenus libro primo de ſemine iure repoſuit. Ac proinde ſi uerum eſt in arterijs venisque gigni ſemen (vt prefato loco Galenus) abundans profecto regenerationis ſpermaticarum partiũ ſuppetere materia poterit. vt dici merito nequeat, materiæ deffectu non poſſe talia reparari membra. præſertim quòd ſemen id in uenis & arterijs contentum ita à ſanguine augeri poterit ut ad nouam regenerationem ſic auctum ſufficiat. Ad quem modum idem Galenus dixit ſemen parentum ad confirmationem fœtus ipſum per ſe non ſufficere, niſi à ſanguine augeatur. Itaque non omnino in materiæ defectum reijciendum erit non regenerari ſpermaticas partes. cum talis ſuppetere abundè poſſit vt mox probatum. Siquidem cum dentibus regenerandis ſufficiat, cur non & alijs ſpermaticis partibus quæ facilius quàm oſſa regenerari poſſunt ſufficiet? Verum enim vero & quæſitum enodemus, altius nobis eius euẽtus cauſę erunt inueſtigandæ, dicemusque quòd ſpermaticæ partes non regenerentur, culpam partim in materiæ idoneę deffectum, partim in efficientis, tum vero etiam in impedimentum quod à propinquis prouenit partibus eſſe reijcendam. Nam & ſi in uenis & arterijs confici ſemen una cum Galeno confiteamur, ſemen illud tamen cum imperfectum ſit neque exacte elaboratum, ſed inchoatum & planè rude (ut idem author teſtatur, qui ſanguinẽ in uarioſis illis uaſorum anfractibus & circumuolutionibus albeſcere & in ſeminis naturã degenerare ait) cum inquam tale ſit, profecto idonea materia regenerandis ſpermaticis partibus minime erit. Adde quòd cum ſpermaticæ partes certam ut conſtent figuram, cauitatem, protẽſionemque deſiderent, vt libro primo de ſemine teſtatur Galenus, has autem dotes ſolum ſemen à parentibus deciſum indere partibus poteſt (nempe conformationis opifex) minime mirum uideri debet, has partes non regenerari, quòd formator, deſit, ſemen genitale parentum. Neque uero refert, ſi carnem regenerari uideamus, quod carnis ipſius ſola eſt generatio illa enim ut regeneretur, neque figuram certam neque cauitatem protenſionem ue, ut arteria & uena poſtulat, ac proinde facile reparari poteſt ex præſente quæ adeſt materia, ſanguine ipſo, & facultate operatrice, non ſic autem ſpermaticæ partes. Itaque cum idonea deſit ad partes has reformandas & renouandas materia (Nam quæ in venis & arterijs gignitur, minime idonea cenſenda eſt, ut paulo antea a nobis monſtratum) & formator atque efficiens deſit, nempe facultas formatrix in ſemine parentum ſita, quæ iam euanuit: & impedimentum adſit a carnoſis circumpoſitis partibus, quæ prius regenerantur quám noua partium ſpermaticarum reparatio fieri queat, easque prius occludunt & obſtirpant, quam ſimilis deperdita ſubſtantia regenerata ſit, efficitur his rationibus omnibus, vt ſimilares partes reſarciri quales prius fuere, ſi diuiſionem patiantur, nequeant. nempe idoneæ materię deffectu, efficientis penuria, & partium uicinarum impedimento: à quibus omnibus regeneratio prohibetur ſpermaticarum partium. Hæc mea de propoſita quæſtione ſententia, quam cuiuſque eruditi & in arte probati uiri cenſuræ uolens ac ſciens ſubijcio,

li. 1. de ſem. cap. 9

li. 1. de ſem.

Cur ſpermaticę nõ regenerentur partes. Solutio rationum.

li. 1. de ſem.

Cur caro facile reparari poſſit

Sed

Sed iam ad textus explanationem reuertamur.

Tex. Quin & os vnum eſt ex his quæ prima conformatione conſtituuntur. attamen in eius locum ſimile quid reponere poſſumus. Atque hæc ego nunc ex procinctu exempli gratia produxi. Porrò perſcrutari eum ratio iubet qui artem conſtituit. Ac iam principia inuentionis deſcripſimus cum ad primam animananimantis generationem relegaremus inueſtigandumq́ue conſuleremus, quęnam ex ſemine ortum habeant, quæque ex alimento ſemper gignantur.

Com. NOn ſolum venam, arteriam, neruum ligamentum, membranam, ſed & os quoque ipſum vnum eſſe eorum quæ in primis naturæ rudimentis, primaq́ue fœtus conformatione conſiſtat: & ex ſemine generetur, neque reſarciri poſſit, vti & cętera eiuſdem generis membra pro veriſſimo recipiendum eſt. ac proinde non poſſe quale deperditum fuit reſtitui, ſed in eius locum ſimile quid poſſe reponi veriſſimè hoc loco dixit Galenus. Equidem oſſe fracto vt conglutinetur, non os aliud regenerari poteſt cum deffectu materiæ, tum efficientis oſsis, & formatricis facultatis, tum verò etiam impedimenti interuentu quod à vicinis carnoſis partibus prouenit, vt antea dictum. Verum cum tanta ſit in reparandis membris naturæ prouidentia, vt nihil diſſolutum, nihil ſua continuitate diſsitum relinquat: ſed in integrum quoad maximè fieri poteſt reponere ſatagat, efficit, vt cum os regenerare nequeat, quid ſimile oſsi procreet. quo fractum os ferrumine-tur. Id autem ſimile, ſubſtãtia quædam eſt inter carnem & os media, carne durior, oſſe mollior. quæ ex ſuperfluo alimenti ad os fractum delati: & altricis facultatis ope nutrimentũ parti aſsimilantis agglutinati, & in oſsis ſimilem ſubſtantiam verſi, gignitur. Eam ſubſtantiam porum carnoſum Chyrurgorum ſchola: Arabes porum orosbot dici volunt. Hæc autem ſunt quæ perſcrutari eum vult Galenus qui artem conſtituit. num inquàm quædam partes refici, quædam omnino non poſsint. eſtq́ue id principium inuentionis methodi conſtitutendæ medicæ artis primam animantis generationem nouiſſe. inueſtigando, quænam ex ſemine partes in prima generatione: quæuè ex alimento id eſt ſanguine fiant (id enim alimenti nomine hoc loco Galenus intelligit) cum ſanguine partes omnes vt alimento proprio alantur. Eſt enim partium omnium commune alimentum ſanguis vt Ariſtoteles pluribus in locis voluit.

Sec. 11. probl. prob. 59 & lib. 2. de par. anima. c. 4. & 6. & item lib. 2. de gene. animal. c. 4.

Tex. Adhæc ſcrutari nos multò magis methodus cogit iubetq́ue an vnaquęque ſimilaris & ſimplex ſenſu particula vna ſit, an ex pluribus compoſita. & quemnam compoſitionis modum obtineat. Quippè manifeſtò liquet non aliter has quã inſtrumentarias numero, figura, magnitudine, ſitu conſtituentium, virtutem ac vitium habituras. Siquidem generationis earum modus conuenit. Si autem non ita, ſed vt etrapharmacum appellatum totis per tota mixtis factum eſt alio modo virtutem vitiumq́ue ac morbum inuenias licet. Quemadmodum arbitror ſi non ex mixtura ſed appoſitione accurata vnitas ipſorum prouenit vt cephalicum nomine pharmacum ſiccum eſt confectu etiam ſic virtutem, vitium, & morbos ad rei generationem propriè pertinentes inueneris.

Com. NOn ſolum quęnam partes è ſemine, quænam è ſanguine fiant: & num quæ á ſemine ſunt refici diſſectæ poſſint, inquirendum medico, ac perſcrutandum ei qui artem medicam conſtituit meritò dixit Galenus. Quòd ad primam animantis generationem deducere eum qui ex methodo artem conſtituere velit oporteat. Verum id multò magis conſiderandum eidem methodus cogit, an vna quæque ſimilaris & ſimplex ſenſu particula vna reuera ſit, an ex pluribus coalita. quòd ſi ſic, ſcire denuò oportet, quemnam compoſitionis modum pars nacta ſit. Porrò non idem eſt ſimilarem & ſimplicem partem dici.

Alia namque partis ratio vt similaris, alia vt simplex est, haberi debet. Siquidem ob id similaris dicitur, quòd vndique sibi similis habeatur, & quòd toti & parti eadem ratio conueniat. vt venæ, arteriæ, nerui, tendinis & ossis vnaquæque pars cum toto & re & ratione conuenit. si modò integras has partes intelligas. quęlibet enim integræ venæ pars, vena est, arteriæ arteria, nerui neruus, ossis os, quod notanter dicimus, quòd non omnino verum sit si absolutè proferas partem cum toto ratione conuenire, non enim arteriæ tunica, qua in tegit arteria est nec venę vena. sed si eas partes in sua integritate sumas, verū dicere erit partem cum toto conuenire illisque similem esse. qua ratione pars similaris dicta est. Simplex autem ea ratione dicitur quòd ex varij generis partibus composita non sit, vti Galenus simplex id vocat medicamentum, quod eam tantum essentiam atque miscellam obtineat quā à natura nactum est: nec præterea aliam vllam, sic & nos simplicem eam partem sensus iudicio dicemus, quæ vniusmodi ad sensum apparet. & si reuera, si naturæ rationem spectes nulla pars verè simplex erit. cum ex diuersis omnis ferè coalita sit (ossa semper excipio.) Itaque cum partem aliquam similarem aut simplicem esse dicimus, ad sensum magis quàm ad veram rationem spectantes id enunciare audemus. idque pro Galeni sententia qui in arte medicinali magis secundum sensum quam secundum rationem iudicandum meritò affirmauit, quòd medicus plurimum sensui, philosophus plurimum rationi tribuat. ac proinde hoc loco inuestigandum Galenus suasit: de partium natura dignoscenda, num inquàm vnaquæque similaris & simplex particula vna sit, an ex pluribus constet, quòd si constat quemnam compositionis modum nacta sit, scire operæprecium esse. Nam si compositæ sint, haud aliter in his quam in instrumentarijs ex numero, figura magnitudine, & situ constituentium earum virtutem & vitium erit inuenire. cum compositarum partium in earum morbis inueniendis eadem sit ratio. At si non ex his quæ diximus coalescunt sed perindè atque tetrapharmacum vocatum medicamentum totis per tota mixtis & confusis partibus coalescunt, alio tum modo virtutem, vitium, ac morbos inuenire licebit. nempè cum quæ mixta sunt iustum mixtionis modum seruant, rectè se habere partem dicemus. si verò mixtura dissoluatur, pro dissolutionis modo aut vitium aut morbum subesse dicemus. Est porrò tetrapharmacum medicamentum, quod à Galeno & Paulo describitur constans ex pice, resina colaphonia, cera, & seuo taurino. omnibus inuicem certa mixtura & portione mixtis. Si verò non mixtura, sed exacta appositione partium vnitas constet, vt in cephalico medicamento sicco est videre, etiam ad hunc modum de virtute, vitio, & morbis cuiusque partis censere poteris. nempè si rectè appositio constet, rectè tum partem habere, sin defficiat appositio accurata, vel vitium vel morbum contrahi, Notanter verò de Cephalico medicamento sicco verba fecit Galenus, quòd cephalicorum medicamentorum plura sint genera vt libro secundo de compositione medicamentorum secundum genera est videre sunt enim alia sicca, alia in emplastri morem formata cephalici sicci formam lib, tertio methodi medendi tradit Gal. constans ex iride, Aristolochia, & eruo, & thure, & manna id est purgamento thuris. Quin & aliud conficit quod præter iam dicta panacis corticem accipit, prout & aliud, cui elota cadmia admiscetur quæ omnia cephalica arida vocantur: scholę puluerem capitalem vocant, ob id. id nominis nacta, quod vulneribus capitis & fracturis prosint,

Cap 28.

Tex. Si verò nec ex multis specie varijs sed similibus vniuersis constaret, ut verbi gratia domus quædam ex coctis lateribus duntaxat, vel lapidibus in compositione sola uidelicet similarium uirtutem, uitium, & morbos generationi eius proprios reperies. quod sanè unum aliquod prædictorum similaribus adsit particulis, ut ratio nobis dictitat. Quodnam ex ipsis uerò istud sit, exacta consideratione indiget. Videmus enim cum philosophos tum medicorum nonnullos, in eiusmodi quæstionem se descendere sed magis inter se illos quàm hos discrepare. Quare etiam plurimi medici, ab hac quæstione abstinuerunt id quod quærebāt inuenire diffidentes. Nonnulli non solum ob hoc sed quia inu

tile

tile etiam putarunt, ab inquirendo destitere. Verum quod inutile non sit, si non experientia quadam sed methodo artem constituent, iam mihi omnibus clarum esse uidetur. Quod autem impossibile non sit, mox considerabimus ubi paulum quidpiam prius explicauerimus.

VT ex partium natura atque exacta cognitione deprehendi corporis affectus possit, monstrare toto hoc capite contendit Galenus. in eoque adhuc perstans, docere ingreditur hac parte, quonam pacto si non ex multis specie diuersis, sed prorsus similibus corporis constitutio fiat, quemadmodum domus uel ex coctis lateribus, uel lapidibus tota constat, ut inquàm ad hunc modum constituto corpore, in similaribus partibus sit virtutem, vitium, morbosque inuenire. cum Paulò antea docuisset talium affectum inuentionem ubi corpus ex uarijs totis per tota mixtis, uel appositione unitis constaret. Inquit autem, si ex omnino similibus totius structura corporis constet, tum quidem uirtute, uitium, ac morbos in sola similarium partium compositione consistere. quòd cum nulla sit in componentibus uarietas, sed quæ corpus constituunt (ut in hypotesi ponitur) omnino similia sunt, ut cocti lateres uel lapides in domus constructione, efficitur, ut in proba uel improba compositione affectus hi consistant. nempè virtus, vitium, & morbus. Virtus quidem: seu integritas, cum recta compositio fuerit vitium & morbus cum à rectitudine eadem compositio deflexerit. In quo attendendum Galenum hic tres hosce affectus posuisse, nempè virtutem, vitium & morbum. vt intelligamus virtutis nomine, sanitatem ipsum intellexisse & perfectionem. vti supra capite quarto idem author expressit. Vitij nomine neutralitatem ac dispositionem eam quæ à sanitate quidem & perfectione descisit, necdum tamen morbi naturam refert quòd actiones vel omnino non lædat, vel tam exigua læsione vt sensum fugiat. Atque ob id morbus dici non mereatur. Vitium enim id est, quod in corpore positum & si secundum naturam non sit, minime tamen offendit, vt neuus in facie, aut verruca in aliqua parte consistens: aut panni & lentigines in cute oborti fœdusvè in corpore color. Vitia enim hæc dici meritò possunt, morbi quandiu non lædunt, dici non possunt. Est siquidem morbus affectus prę ter naturam in corpore actiones lædens vt millies in mille locis Galenus. Itaque cum oporteat similares partes vel simplices esse atque vnas, uel ex pluribus compositas: & si compositæ sint, ut instrumentariæ partes, necessum quidem erit in numero, figura, situ & magnitudine earum uirtute, uitia, morbos consistere. quod similem (ut supponitur) instrumentarijs uocatis nactæ sint naturam. Sin uerò non sic, sed totis per tota mixtis atque confusis, vt in tetrapharmaco medicamēto alia tum ratione affectus earum erit inuenire. nempè vbi eæ ex quibus constant partes, probè temperata & inuicem mixta fuerint, virturem & integritatem subesse: vbi contra, vitium aut morbum. Sic & si appositione constent vt in cephalico sicco vocato, tum ex congrua vel incongrua appositione de earum affectibus iudicandum erit. Et propterea rectè dixit hoc loco Galenus, vnum aliquod prædictorum inesse particulis oportere. vt videlicet vel simplices sint omnem compositionis modum respuentes, vel compositionem ex varijs & diuersis admittere, vel ex omnino similibus. Quodnam verò horum adsit exacta animadnersione indigere. quòd perspectum satis non sit, num verè simplices quæ ad sensum tales apparent partes sint, num compositę. Et quemnam compositionis modum sint nactæ. In hanc disceptationem plures & philosophorum & medicorum incidisse certum est. cum de partibus similaribus longos sermones & Aristoteles libro de historia, de partibus, ac de generatione animalium. Et Galenus tum hic, tum in arte medicinali, & de vsu partium libris texuerint. At verò, cum plerique difficultate rei perterriti ab incœpto destiterint, inutilem talem inquisitionem esse putauerunt. Verum neque inutilem eam esse neque inuestigatu impossibilē verè hic profitetur Galenus. quam & necessariam esse libro secundo methodi medendi idem dixit. quòd quæ præter naturam sunt cognosci minimè posse incognitis his quæ secundum naturam conceptis verbis asseuerarit. Inuestigationem porrò hanc necessariam esse ei qui artem constituere uelit, itidem profitetur Galenus. idque (ubi quædam prius explicauerit) pollicetur

Com

Vitiū quid

lib. 1. de morb. diff. & lib. 1. de symp. diff. & lib. 1. de sanitate tu. & lib. 1. metho. med.

tur sequenti capite se edocturum.

# CAPVT SEXTVM.

Tex. Nam si fidem mihi adhibes, sicut certè adhibes, uidens me nihil Gloriæ hominum; sed ueritatis studio facientem, ne te multitudo medicorum philosophorumque discrepantium deterreat. Etenim si omnibus illa adessent unde ueritatem cognoscere oporteat, dein illam non inuenirent, animum despondere ratio esset. Si uerò quædam neque omnino habuerunt: quemadmodum & ipsi fatentur, quædam uerò an habuerint non constet, dumque nos omnia eos habere cognoscamus, audacter ueritas inquirenda est.

Com. PHilosophatur egregiè hoc capite Gal. philosophumque magis quàm medicum agit. totus in eò maximè insistens vt doceat quænam adesse quidpiam inuestiganti vt veritatem nanciscatur oporteat. & quænam illa sint pulchro quodam ordine monstrat. Nam cum quosdam difficultate rerum ad veritatis inuentionem necessariarum perterritos ab illius inuentione destitisse sub finem præcedentis capitis prædixisset, ne & Patrophilus quoque ipse, cui hunc librum Galenus dicauit, animum desponderet, ad illum verba faciens, ad veritatis inquisitionem valdè hortatur. indicans qua ratione veritatis viam insistere ipse debeat, quamque si sequatur, prorsus voti compotem futurum affirmet. Atque inter ea quæ necessaria ad id muneris voluit esse, præcipuum illud vult haberi, vt discipulus magistro fidem in his quæ ab ipso dicuntur plenam habeat. illique tanquam deo credat idque sanè haud iniuria. Nam si præcipuum illud est doctoris munus, vt veritatem imprimis meditetur ipse, eamque discipulos doceat, Veritas autem omnis à Deo fit qui (vt scriptura ait) via, veritas, atque vita est, (Ioan. 14. a.) efficitur profectò vt docenti magistro qui verè talis sit, tanquam loquenti Deo (si parua magnis componere licet) fidem habeat qui audit. quique se illi in disciplinam tradidit. Vnde est illud Dei ad Moysen loquentis, & legationem illi ad Pharaonem demandantis. Ego ero tecum: (Exodi. 3. c.) Et ad Hieremiam. Noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris. Et paulò post, Ecce dedi verba mea in ore tuo. (Hiere. 1. b. Matth. 10. c) Et Christus apud Matthæum, Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et profectò spiritus Dei loquitur in ore eorum qui veritatem proferunt & docent. Quorsum hæc? vt intelligamus docenti magistro qui verba veritatis habet spiritumque Dei nactus est, quique prudentia, sapientia, & authoritate polleat, fidem tanquam Dei nuntio adhibendam esse. Quid? quòd Pythagoræ discipuli id pro summa dictorum à magistro fide atque probatione haberi volebant, cum dicerent, magistrum dixisse? αὐτὸς ἔφα quod est, ipse dixit. nihil aliud requirentes quàm quod esset à magistro dictum: quòd existimarent eum qui veritatem secundum Deum vnice colendam in carminibus suis aureis iussisset, non aliud quidquam in omni vita, in omni disciplina curaturum, atque etiam prolaturum, quàm veritatem solam cui qui nitatur. & Deo niti necessarium esse, cum à Deo veritas omnis ceu à veritatis fonte emanet. Et profectò qui veritatem colit & profert, tanquam Deus quispiam & numem veritatis tutellare quoddam habendus est. (Psal. 115.) cum sit iuxta regij prophetæ dictum omnis homo mendax. Quòd si quis (quantum humanis iuribus datum est) sese à mendacio vindicet, & veritati nitatur: an non illi vt numini cuidam fides habenda? Cur ergo fit, vt nunc, vt sunt tempora & mores corruptissimi & egregiè pensum suum agenti fides non habeatur? Quòd qui verè doceant aut nulli aut certè rarissimi sint (vt est apud Virgilium.

*Rari nantes in gurgite vasto.*

Quòd item, mendacium; fallacia, & impostura prò veritate nunc apud plerosque castra teneant. Neque etiam qui audiunt, aliò intenti verum intelligunt, aut si intelligant, quasi non intelligentes dissimulare quàm fateri veritatem malunt, ea est in male feriatis hominibus peruersitas, ea in animis peruicacia, vt etiam qui veritatem vel in vmbra attigerunt, fateri tamen eam se attigisse nolint. sed suæ opinioni quam mordicus tenent, etiam qui minus sciunt innixi, illi per fas & nefas inhærere malunt, quàm veritati manus dare. nihil de rerum natura solliciti, nihil de veritate quæsita & magno labore inuenta curãtes. qui (vt sunt elati homines & de se nimium præsumentes, & ad popularem auram facti) sat habent, si vulgari fama nitantur si (vt ait Gal.) adulatione hominibus imponant & manè salutando circuneant pharmacopolia omnia lustrantes & vesperi se à multis salutatos multosq; se uicissim salutasse inaniter glorientur. An hoc philosophi qui rerum naturas scrutatur. an medici, qui vnam tantum vitæ & valetudinis rationem tenet munus esse dicemus? Absit, Absit rerum potius spectetur natura, naturæque mos geratur, vna ægris salus, vna eaque vera medendi ratio spectetur, & quæ in nobis esse debere mox Galenus docebit, ea toto pectore cõplectamur, & his per omnem vitam immitamur. Hæc inquàm ea sunt quę ad viam veritatis perducunt, quæ artificem faciunt, quę errare operantem non sinunt nec à veritatis indagatione animum remittere præsertim si (quod hic ait Gal.) fidem discipulus vera docenti magistro habeat: si & ipse qui docet nihil hominum gloriæ, omnia veritatis studio tribuat, si neglecta fama & vulgi de se opinione totus se in philosophiæ penetralia inuoluat. uni tantũ ueritati innixus eam sedulò colat ac propaget. in quo uerè & hic, & lib. 7. methodi medendi se id in omni uita præstitisse gloriatur Gale. ut cum tot tamque ingentia de rebus maximis uolumina conscripserit, illis tamen nomen suum inseri nunquam est passus, ne famam hominum ex scriptis aucupari uideretur cur id? Vt hominum gloriæ nihil: ueritatis studio omnia tribueret, quod boni uiri ac philosophi proprium esse munus sapientes omnes volunt. Neque verò á ueritatis inuestigatione ob dissidẽtium philosophorum & medicorum discrepantiam terreri debemus. Quòd uidelicet ea ipsi ratione in id erroris incurrant, quòd quæ ad ueritatis agnitionem perducunt minime ipsi teneant. Despondendus uerò tum à ueritatis consecutione animus esset, si cuipiam illa adessent omnia, quæ ad ueritatem assequendam faciunt si illam inquàm non inuenirent. profecto tum de agnoscenda ueritate desperandum meritò esset. Itaque cum priscos de dogmatibus disceptantes plura destituerent ad ueritatis inuentionem necessaria, nobis de illa inuenienda despondendus animus non est, quin Gal. doctrinam secuti, illam indipisci non queamus: si audacter & improbo labore eam inquirere, ut Philosophos decet, satagerimus. Quænam porrò in nobis ut ueritatis iusti indagatores simus esse oporteat, sequenti eaque pergraui sententia exponet Galenus.

In fuçatos medicos.

Lib. 1. met.

Quæ igitur sunt, quæ homini adesse oportet, vt quodcunque inuestigans, aut veritatem cognoscat; aut non ab inuentione desperet si adhuc ignorat? Septem videllicet: Primum natura perspicax, quæ quomodocunque rationalis disciplina perdoceatur promptè assequatur. Secundum, à pueris institutio exercitatioq; vt in primis versetur disciplinis maximè verò exerceatur in Arithmetica & Geometria: quemadmodum & Plato consuluit. Tertium insuper, optimis quibusque sui temporis præceptoribus existimatis operam nauare. Quartum, laboris esse patientissimum, vt nihil vel die vel noctu præter disciplinas meditetur. Quintum, quod paucissimis contigit, veritatem expetere, eique soli in tota vita studere ac incumbere, neglectis omnibus quę vulgus admiratur. Sextum, methodum quandam ediscere qua uerum à falso queat discernere, Tex.

Neque enim sufficit ad inuentionem duntaxat eorum quæ desideramus, ueritatem concupiscere, sed etiam uim quandam inueniendi paratam habere oportet. Septimum ad hæc omnia accedit, methodum illam exercere: ut non cognoscere modo sed uti quoque possis. Si namque rhetoribus minorem artem colentibus, satis non esse uidetur methodum nolle, ni per totam ętatem in illa se exerceat, an magna adeò quærentibus duntaxat dicisse methodum sufficit? Itaque si unum aliquod ex prædictis ei desit qui ad ueritatem viam affectat, æquum est se diffidere minime quod intendit assequuturum. Si uerò omnia adsunt, quis prohibet quominus ueritatem bona spe inquirat.

Com

QVæ adesse oporteat veritatem inquirenti, quotque ea sint, lepidissima sentẽtia explicat scitè Galenus, inquiens, septem ea in uniuersum esse debere. Primũ, vt qui veritatem cognoscere cupit, natura perspicaci atque solerti prędit(us) sit. qua quęcumque à magistris ac doctoribus proponuntur, quæcumque tandem id ratione fiat (varij namque sunt docendi modi) in non præmeditate tempore ingenij bonitate qua pollet percipiat atque intelligat. Secundum, optima à pueritia institutio exercitatioque, vt in omnibus versetur disciplinis ijs quæ præstantem & eruditum hominem reddere solent quas & ipsas liberales vocare in vsu homines habent.

Tertium, vt optimis præceptoribus, qui fide, ingenuitate, & rerum scientia ornati veritatem doceant, operam seriam detur.

Quartum, vt laborum sit tollerantissimus, nec corpore aut ignauia frangatur, sed constans in laboribus permaneat. vt sedulitate, ea quæ volet consequi queat, cum improbus labor omnia vincat: nihilque aliud in animo, in voluntate, in ore, quam disciplinas habeat.

Quintum (quod rarissimum esse vult hic Galenus) vt veritatem expetat eique vni totus incumbat, illius inuentioni studeat, neglectis etiam opibus, dignitatibus, potentia gloria, quæ vulgus admirari solet. Et hæc omnia præ vna veritate nihili ducat.

Sextum, viam ac methodum tenere qua verum à falso discernere queat ne falsi ipse aut errore duci, erroreque ductus decipere alios possit. quod faciunt qui sine methodo Andabatarum more in disciplinas irruunt.

Septimum & vltimum, vt quam veri inueniendi methodum nacti sumus, eam exercitatione crebra in vsum ducamus, vt non solum methodum tenere: sed & ea vti in veri inuestigatione possimus quod præcipuum haberi debet. Hæc inquàm ea sunt quæ adesse oportere ei qui veritatem inuenire velit, profitetur, Galenus. Quæ quoniam & grauia sunt, & optimę explicationis indigentia, ad iuuenum animos ad veri inuestigationem, & amorem excitandos, excutienda nobis horum singula altiore indagine atque expendenda erunt.

Primum id haberi vult hoc loco Galeuus, vt natura perspicaci sit qui veritatem inuenire cupit. In quo animaduertendum naturam hic non pro facultate corporis rectè sumi, vt libro 5. de Sym. causis sumpsit Gal. Neque item pro temperie corporis quam & ipsam naturę nomine dignamur vt lib. 3. Aph. sensere Hip. & Gal. Verum hic naturæ nomen, pro ingenio & solerti mente propriè sumitur. Est enim ingeniũ propriè hominis natura quo pacto hunc natura mitem, inmitem alium dicimus. hunc mansuetum, rudem alium, hunc facilem, illũ difficilem. quod est quẽpiam esse ingenio miti, refractario, facili aut difficili. Sic etiam perspicaci eum natura esse dicimus, qui alacri, cito, acuto, solertique ingenio sit. qui facilè & nullo ferè temporis momẽto tradita perspiciat & intelligat. Quã sanè perspicaciã Arist. solertiã esse dixit. subtilitatem quandam ingenij esse deffiniens medij in non perspecto tp̃e inueniẽdi vt cũ lunã splẽdore ac lumine micãtẽ videã qua parte soli obuersatur, ob id esse di xero, q̃ à sole Luna lumẽ mutuet quæ sanè cõiectatio solertiũ Arist. Gal. perspicacia mentis est. Et profectò de hac re sic Ari. sensit. Homo (inquit) ingenio & cogitatione plurimũ valet. Et itẽ alio loco. Is est bono ingenio p̃ditus (ait) cui bona hęc naturę affectio (de perspicacitate intelligẽs) insita est. Quod. n. maximũ & pulcherrimũ, quodq; ab alio accipere aut discere nullo mõ licet, id quale natura est tale ipse hẽbit. nẽpè (vt ego interp̃tor) solertiã. Atq; ita

lib. 1. posteriorũ. c. vl.
Section. 29 Prob. Probl. 7
lib. 3. Moral. cap. 5.

quidem

quidem bene & rectè natura esse affectum ipsa erit perfecta ac vera naturæ habilitas atque aptitudo. Hoc loco quæ ab Aristotele de naturæ bonitate dicuntur, de ingenio esse accipienda ipsamet loci series abundè docet. Quin & Ciceronem eloquentiæ parentem, ad eum modum naturæ nominæ vsum, pro hominis ingenio, ex oratione illa celebri pro Aulo Lucino Archia Poeta satis constat, cum ait. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse & sine doctrina naturæ ipsius habitu propè diuino. per seipsos & moderatos & graues extitisse fateor. Et sequitur, etiam illud adiungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Et paulo post, Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quędam confirmatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere. Ex quibus locis illud pro asserto haberi debet naturam pro ingenio probatis authoribus, vsurpari solere. quod hoc loco fecisse Galenum constat, cum veritatis indagatorem natura perspicaci præditum esse oportere affirmauit. quod est ingenio claro, facili, excusso ac prompto insignitum esse. Neque id sanè immeritò: Nam vt Damascenus noster ait ingenium naturale adiuuat artem. Et operari secundum libros absque perfecta ratione & solerti ingenio molestum est. Quamobrem plurimum præsidij & adiumenti adferre ad bonas capescendas artes ingenio esse claro ac solerti natum, pro constanti habere oportet. Et profectò ad frugem sibi ex literis comparandam, ad prouehendas & fouendas disciplinas, ad earum cultum, nihil fœlici & claro ingenio accommodatius. Facit enim vt amentur & exquirantur auidius disciplinæ, vt facilius percipiantur, vt etiam fructus indè vberior consequatur. Dum enim quæ à doctoribus traduntur, facili captu ab ingenioso homine excipiuntur, efficitur, ut & uoluptatē eximiam quandam accipiat qui discit, & ex ea voluptate se se penitius in literas totum insinuet, inuoluatque se in studia literarum. Ob id persæpe uidemus clara ingenia, & literis impense delectari, & ad summum euadere dum se consequi quæ traduntur sine negocio perspiciant, dum magnos alacritate ingenij fieri in literis progressus, magnas accessiones vident. Contra uero qui supino, crasso, ac hebeti ingenio sunt, neque ex literis uoluptatem capiunt ullam, neque illas colunt ac amplectuntur, quòd ut sunt inepti & tardi, sic frugem ex illis se facere minimè posse confidunt, tumq; animum despondentes, vel literas ac disciplinas odere: vel neglectui ac despicatui habent. Quantum igitur ad disciplinas capescendas, ad veri inuestigationem naturæ in homine bonitas faciat, hoc est ingenij claritas, satis probatum arbitror. Hinc Socratem, Platonem, Aristotelem, diuinumque imprimis Hippocratem atque Galenum, veritatis summos cultores ac Deos quosdam tutelares fuisse scimus. quòd ingenij qua pollebant claritate, nihil non sint in literis consequuti, vt & palmam præ cæteris tulerint, principes supra reliquos omnes qui sunt, fuerunt, erunt, suo ipsorum meritò habiti sint. Ob id meritò literarum principes dicti.

lib. Ap. 2. 3

Iam verò ad secundum progrediemur. id autem est, proba à pueris institutio atque educatio. quam in veritatis culture exigit præcipuè hoc loco Galenus vt inquam disciplinis & artibus bonis comparandis, ab ipsa statim pueritia incumbaat. A teneris namque assuescere virtuti magnum est. Nam vt Flaccus ait.

Secundum

*Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.*
*Testa diu.*

lib. 1. Epist. epist. 2. ad Lolium.

Atque ea ratione optimum semper iudicatum est, vt protinus, vt à suctu lactis discessit infans, farique incipit, vt bona quæ sunt benè loqui doceatur. Quod Gracchorum matrem in suis liberis educandis fecisse legimus. Atq; vtinam quod fecit mulier mater, id facerent hodie qui liberos habent parentes in suis filijs benè feliciterq; educandis. melius enim ratio instituendæ iuuentutis omnis procederet, si parentes filijs & doctorum & parentum vice fungerentur, vt ijdem essent & magistri qui & parentes. sic enim fieret, vt in summam frugem fœtus nostri proueherentur. si ab eodem quo sunt geniti parente, ab eodem in disciplinis, & moribus vt magistro & doctore formarentur. de ijs intelligo quos æquus amauit Iupiter, & ardens euexit ad æthera virtus. Sunt namque plebeij quidam,

& infimæ fortis homines, qui filijs suis nec doctrina nec moribus prælucere possunt. quo in genere multa hominum fex posita est. qui neque nare neque literas norunt, vt est in prouerbio. atque vt illorum liberis consulatur, sufficià magistratu debent qui publicæ scholæ præsint. qui iuuentutem assiduitate, diligentia, studio omni atque cultu, foueant atque alant. & quasi boni agricolæ ferax hoc diuinitatis solum: agrumque virtutis omnis ac disciplinæ capacem animum excolant. Hæc autem tota virtutis amantium institutionis ratio in duas esse diuisa partes mihi videtur. Altera quæ & præcipua in moribus pars: altera in literis tota consistit. Quæ porrò in moribus posita est, eò spectat, vt quodcunque à veritatis studioso fiet dicetur uè, habeat in sese modestiam quandam pudori coniunctam. vt in eius actionibus, in vultu, in fronte, in oculis, gestu ac motu, omníque habitu corporis splendeat decorum illud quod non animos modo senum atque prudentium: sed imperitorum etiam oculos delectet moueatque necessariò in admirationem sui. vt ab omnibus laudetur, celebretur, ametur.

*Si quidem vt Naso ait*
*Laudata virtus crescit, & immensum gloria calcar habet.*

Hæc autem prima atque præcipua morum sint præcepta, quæ veri studiosum sectari volo. Deum in primis vt veritatis cultor toto pectore colat atque reuereatur. seque totum illius imbibendis mandatis atque obseruandis dedat. Hic Dei cultus illi gratissimus est, si te ad modestiam componas, si virtutem complectare, si quod honestum. quod iustum pium ac sanctam fuerit, feceris. id illi gratū acceptumque est, si religione pietateque comitesiat verum animi modestia pietati coniuncta Deo certè vel Ethmeorum testimonio acceptissima perhibetur. vt Persius alicubi monuit inquiens.

Satyra.2.

*Quin damus id superis, de magna quod dare Lance*
*Non possit magni Messalæ Lippa propago?*
*Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus*
*Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?*

Tum verò vt quod animo diuinum gerimus ac sanctum id opere atque factis erga omnes exerceatur. Siquidem virtutis omnis vis in actione consistit. Sint in primis parentum secundum Deum cultores, iuuenes literis addicti. vt illos omni cultu obseruantiaque prosequantur. illorum sint maximè metuentes. illos reuereantur, amplectantur, ament. Sic enim mandatum illud Dei implebunt. Honora patrem & matrem vt longeuus sis super terram.

Magistris quoque, suus est cultus honosque summus habendus. quibus haud propè minus quàm parentibus debemus. cum ab his tantum vt simus: ab illis vt benè beateque viuamus habemus. Ob id rectissimè illud dictum ab Aristotele existimare oportet, Dijs, Parentibus, ac Magistris non posse par reponi. quòd Dij nobis omnia: Parentes vitam atque essentiam. Magistri virtutem tribuant, quibus profectò nihil tantum à quoquam rependi vsquam potest. Hæc morum capita instituendorum iuuenum esse debent. Quibus si quis ea quæ à Platone in Protagora, & libro de republi. Septimo: tum libro legum item septimo, & in Theage de sapientia dicta sunt, adiecerit, quæ item à Cicerone officiorum Libris, & Quintiliano in oratorijs institutionibus scripta sunt plenam iuuenes instituendi rationem inibit.

lib. 5. Moralium ad Nicomachum. c. vi.

Sequitur vt de disciplina dicamus. Disciplinam porrò interdum Philosophi vocant ad alienæ virtutis imperium assuescere. cum quis videlicet ductoris eius, atque magistri quem sibi ducem ad informandam vitam elegit, mores, probitatem, virtutes sequitur.

Sumitur verò propriè disciplinæ nomen pro doctrina & animi instructione discipulo à magistro facta, tum & pro his scientijs atque artibus quibus ex professo incumbimus. Itaq; cum qui veritatis studio nitatur, non solum cópositis esse moribus oportere vult hoc loco

Galenus,

Galenus , ſed & optimis ac liberalibus diſciplinis ornatum . Vt ſcientiarum omnium atque artium , quæ vt ſunt , ſic liberales dicuntur , rationem teneat . In primis vero Arithmeticæ & Geometricæ dogmatibus informetur . Vt & hoc loco uult Galenus , & prior eo diuinus conſuluit autor Plato . qui Arithmeticen primo loco , Geometricen poſtea, tũ tertio loco Aſtronomiã iuuenibus eſſe diſcendam conceptis verbis prodidit . quòd numerandi ſcientia Philoſopho ſit perquam commoda ac neceſſaria vt longa ſerie eo loci probat idem autor . Sintque hominis arithmetici ( vt idem cenſet ) ad omnes doctrinas maximè apti . Eſt namque Arithmetica in id medico neceſſaria , vt morborum tempora , decretorios dies, morborum initia ( quæ ſine numerandi peritia ſciri neutiquam poſſunt ) deprehendere ac numerando diſcernere queat . Dialecticen iuuenis ſtudioſus diſcat, vt verum à falſo, conſequentia , repugnantia , fallentia , & quæ ex alijs neceſſariò conſequuntur , quæ minimè, vt demum demonſtrationis vim formamque teneat , ſcire poſſit . vt in arte ea cuius ſe profeſſorem haberi vult, veri rationem teneat quod ea diſciplina preſtare ſolet . quæ ratiocinandi modum verique inueniendi ſcientijs omnibus præbet . ob id meritò ars artium , & ſcientia ſcientiarum dicta. [Lib. de repub. 7]

Naturalium rerum ſtudio ac cognitioni totus incumbat . vt quarum cognitio tantopere medico neceſſaria ſit , vt ſine illa manca ſit Medicina omnis . quod eſt à Galeno plurious locis proditum . Siquidem ſine totius naturæ tractatione, quæ in ſe elementa , Temperamenta, Humores , Partes , Facultates, actiones & Spiritus continet , quæ ad medendi & morbos cognoſcendi rationem pertinent probè teneri non queunt vt Galeni libris primo & ſecundo methodi medendi ſententia eſt . His itaque diſciplinis ſi imbutus fuerit diſcentis animus, magnum ad veritatis cognitionem aditum ſibi parabit. [lib. ꝙ opti. medic. idẽ ſit & Philoſophus. Et lib. 1. & 2. method. & pluribus alijs locis.]

Iam verò tertium à Galeno propoſitum diſcutiamus. Id verò eſt , vt optimis præceptoribus operam impendat qui veritatem diſcere vult . Qui ingenuitate , fide , cura atque ſtudio probè diſcipuli animum informent ac inſtruant. [Tertium.]

Qua de re cum plura ſe ingerant ad profectum tradenda (quæ quidem ipſa innumera penè ſunt ) Nos compendij gratia ex multis pauca , ſed præcipua quæ ad huius loci explanationem faciant trademus . De Magiſtri inquàm ac auditoris officio ſermonem texentes. cum ita hæc inuicem coniuncta ſint , neuter vt ſuum ſine alterius ope poſſit tueri . quòd mutuo quodam reſponſu colligata hæc ſint atque connexa officia . De magiſtro hæc primum, Magnum planè & arduum eſſe magiſtri nomen , ingens & difficultatis plenum illius munus atque officium eſſe ducimus . Siquidem quod eſt ab Ariſtotele proditum , ſcientis ſignum eſt poſſe docere. hoc eſt eius qui rerum naturas cauſaſque teneat, deque ijs rationem reddere poſſit. Itaque cum nulla ars, nulla diſciplina ſine interprete & duce qui res illas quæ artibus omnibus ac ſcientijs compræhenduntur, purè , verè, eruditeque doceat ac viam muniat , percipi poſſit , in magiſtro & doctore quatuor hæc ineſſe oportere dicimus ſcientiam, virtutem, Autoritatem, Beneuolentiam . Scientia aptum, virtus ſuſcipiendum, Autoritas venerandum, Beneuolentia charum & amabilem auditoribus efficiet . Has dotes in magiſtratu omni gerendo Ariſt. requirit . Nos in primis ſcolæ moderatoribus conuenire iure merito arbitramur. [lib. 1. meth. cap. 1] [lib. 5. Palit. cap. 9]

Iam verò tandem docturus. vt gubernator curſum ſecundum, vt imperator victoriam, ſic ille ſibi omnium qui audient vtilitatem fructumque Vberrimum proponet . & in eam rem toto animo atque ſtudio incumbet vt proſit..

Atque vt id facilius conſequi queat , operam adhibebit ac diligentiam vt totus in officio ſit , totus muneri incumbat, gregique commiſſo Vigilantis Paſtoris inſtar hæreat aſſiduus , memineritque ſe parentis erga diſcipulos vicem gerere ac ( quod Fabius ait ) ſuccedere ſe in eorundem locum à quibus ſibi liberi tradantur . Quamobrem animum parentis erga diſcipulos eum oportet. Quem & ipſum his dotibus ornatum eſſe debere idem autor Voluit . Nec habeat vitia (inquit) nec ferat . Non auſteritas eius triſtis, non diſſoluta ſit comitas , ne inde odium , hinc contemptus oriatur . Plurimus ei de honeſto ac bono ſermo ſit . Minimè iracundus nec tamen eorum quæ emendanda erunt diſſimulator ſimplex in docendo , patiens Laboris aſſiduus potius quàm immodicus . Interro- [lib. 2. Inſt. cap. 2]

„ gantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur vltrò. In laudandis di„ scipulorum actionibus nec malignus nec effusus: quia res altera tedium laboris, altera se„ curitatem parit. In emendando quę corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contume„ liosus. Nã id quidẽ multos à proposito studendi fugat, ꝙ quidã sic obiurgant quasi oderint. Hactenus Fabius, cuius dictis hæc adnectenda censeo, vt qui docet, eruditione præstet. Quæ prima ipsius curatio esse debet, aut si talis non sit, non esse se tanto oneri ferendo parem sciat. vt ne pro alimento venena spargat & venenato lacte, hoc est errore ac falsitate discipulorum mentes alat, quo nihil pernitiosius nihil pestilentius aut dici aut fingi quicquam potest.

Libros autem in docendo eos quin sint optimi interpręrandos suscipiet, & eos sic explicabit, vt quiuis facilè quid dicat intelligat & assequatur. & res quas tractabit omnes, quàm poterit paucissimis verbis, sed explicatis, ornatis, grauibus explanabit. Quo dicendi genere Phocion Atheniensis vtebatur.

Pauca ingeret, sed vtilia discipulis. ne nimietate ac redundantia, discipulorum animi fatigentur. Auditor enim, si plura dicantur quàm quæ vel capere, vel ferre possit, aliud agit. Non fert tamen rursus si doctor breuis esse laborans, obscurus fiat. Est enim vtrunque vitiosum, & breuius dicere quàm vt quisquam quod dicas assequatur: & tam multa fundere; nemo vt possit ea mente complecti. Hæc ingeniui doctoris ornamenta præclara, sic Scholæ elucere debent, vt auditoribus conspicua sint & explorata. Sed quid vera animi ornamenta, probos mores, vitæque integritatem in magistro taceo? Socratem legimus plus vtilitatis auditoribus suis, moribus quàm verbis attulisse. Sic Peleus Chyronem, Xenocrates Polemonem, Zeno Cleauntem, Epicurus Metrodorum, vita magis & exemplo quàm disputatione viros excellentes fecerunt. Sedatus sit, temperans, prudens, iustus, mansuetus & comis, Sed idem seuerus & grauis. In primis verò laborum tolerantissimus. quos ipse qui præest, quamuis magnos & graues, dummodo sint vtiles & honesti, non solum libenter sed fortiter etiam ferre debet. Id verò Platonis, Isocratis, & Aristotelis (qui dies & noctes pro discipulis laborabant suis) exemplo faciens. Illudque Seueri Septimij in ore semper habeat, Laboremus. in quo non alijs solum, sed sibi valde proderit, quòd suo penso occupatus, minus habebit otij ad eas voluptates quæ corporis sunt persequendas. Hinc profectò felicitas ea proficiscetur ac fructus qui è gymnasijs speratur, vt multi proficiant. Hæc de magistro quem optimum vult esse hoc loco Galenus. De auditore modo dicendum.

Magistri mores.

Tria sunt igitur, vt Philosophis placuisse video, quæ sunt ad discendum necessaria. Natura, Doctrina, & exercitatio. Naturæ vim in eo maximè positam volunt, vt qui discit, in literas sit natura propensus. acri & solerti ingenio, memoria firma, corpore salubri, & ad tolerandos labores facto. Doctrina autem florebit, cum a magistro intenta mente accepta disciplinarum seminaria imbiberit eaq; in frugem bonam iugi labore adolescerc fecerit. ꝙ si quo alio, exercitatione certe præstatur, atque perficitur. Sed illud præcipuum in auditore esse debet, vt præceptorem parentis loco habeat, vt habuit Aristotelem Alexander qui se non minus Aristoteli præceptori quam Philippo patri debere dicebat, quòd a patre viuendi: sed à præceptore bene viuendi initia, progressus, solidamq; viam sumpsisset ac rationẽ. Quòd nisi præceptorem discipulus obseruet atque adeo colat, nunquam uolet neque illi quæ dicat credere, neque illum imitari aut etiam laudare. Quæ tamen omnia sunt ei qui discere cupit facienda. In primis vero curet auditor, vt neque superbus ipse, neque ferox & arrogans, neque inuidus aut maledicus, multoq; minus conuiciator dici suapte merito possit. Nullas cum sodalibus simultates gerat, aut si quas habet, Aristippum, & Aeschinem imitatus deponat. Nihil simulate, nihil arroganter, nihil impudenter loquetur. Sed verecunde omnia, modestè, sedatè & aget & tractabit quæ agenda quæque tractanda erunt. Minimum sibi tribuat, sentiat autem de alijs rectè. Siquidem nihil peius ijs qui paulum vltra prima disciplinarum elementa progressi falsam (vt Fabius ait) sapientię opinionẽ induerũt. Auditoris porrò studium ardẽs, incitatum, incensum, virtutisq; ac honesti desiderio flagrans esse debet. quale profectò fuerit si scholas frequentabunt, nec à senum ac præceptorum

Qualem esse auditorem oporteat.

torum latere quoad poterunt & licebit, discedent. sperantes fore, vt nunquam accedant, quin doctiores melioresque reuertantur. Ac proinde in docentem magistrum, cum iam tempus erit audiendi non ora modo atque oculos: sed animos etiam totos conuertent. & (quod ait Poeta) arrectis auribus, vel potius purgatis adstabunt. mentemque solido veritatis pabulo imbuent: &, vt Solon dicere solebat, consenescent plurima in dies addiscentes. Hæc ea profectò sunt, quæ in animis atque intimis sensibus recondita, atque conclusa (si suo ex dignitate fungi officio tum Magistri tum Auditores velint) habere debent. Sed (heu dolor) quotusquisque eorum nunc est, qui se magistros & professores disciplinarum haberi volunt, qui inanis famæ ampullosis titulis tumentes cristas erigunt, seque digito monstrari volunt, miri in hoc sibi applaudentes, cum vulgo laudantur, cum in ore omnium se pro doctis haberi palmamque doctrinæ & famæ tenere creduntur: cum in turba obmurmurari id sentiunt ουτος ἐστιν ὁ δεινὸ ἐκεῖνος id est; hic est grauis & doctus ille. Quis inquam eorum est, qui dignitate, decoroque in docendo seruatis, pensum suum impleat? Qui non malit neglecto veritatis studio, quæstui (cui vni ceu Harpyiæ inhiant paucis exceptis omnes) tum & populari auræ seruire, quàm ingenuo labore, sedula cura, vigili studio indocendi munus incumbere? rudes animos disciplinis & veri amore imbuere? aut etiam (quod Philosophos maxime decet) commẽtatione, scriptione, & rerum difficilium explanatione artem suam quemque amplificare, illustrare, ornare? Minimè hæc profectò magnis illis gentium Dijs curæ sunt. qui aurum pro libris, opes pro studiis, otium, pro labore, desidiam atque torporem, pro vigili cura auram popularẽ pro vera gloria habent. nihil ipsi interim de solida gloria, nihil de nominis fama illustranda & posteris relinquenda, nihil de ornandis studijs cogitantes eoque fit. ut nec ipsi frugem faciant, nec qui sub ipsis proficiant, habeant. Nec adeo rigidos hic mihi Catones aduocari volo, vt in bonorum odium, ac eorum qui sua virtute inxi probè suo munere funguntur, totique in officio sunt, hæc à me dicta existimari velint. Quos ego totos in sinum complector, amo, Veneror atque obseruo, eorumque cultis laboribus fruor. Sed in eos tantum hæc protulisse me existiment, qui se omnia scire putantes parum aut nihil sapientiæ attigerunt seipsos & alios sophistarum more fallentes, vt tandem admoniti, mala sua noscant & resipiscentes se se totos virtuti & studijs dedant & insanire desinant sapereque incipiant. Hoc ipsum quoque iuuenum incogitata multitudo est admonenda vt si se virtuti, studiis, frugi bonæ comparare volunt, voluptates, ocium, delitias, opes, & cætera quæ vulgus admiratur contemnant ac despicatui habeant. omniaque præ sola virtute ac veritate nihili ducant. Cogitationem omnem, industriam, mentem, iugi labore in studiis ponant: deq; his bene mereantur. Id si præstiterint, & Galeni in hoc loco vota adimplebunt, & tanti voti compotes facti, immortalem & nullo unquam tempore desituram apud homines gloriam famamque consequentur. Hæc de tertio.

In factuosos & indoctos querimonia.

Admonitio ad iuuenes præclara.

Quartum quod in veritatis studioso requirit Galenus, vt laborum sit tolerantissimus. Hoc nos formicæ, vel sapientissimi Salomonis monitu docent. Vade (inquit) ad formicam ò piger laborant enim illæ assiduè vt sibi annonam in alimoniam parent. Non laborabit homo vt virtutem & scientiam animo patet? Vincit profectò omnia improbus labor. Siquidem homo (quod Sanctissimus cecinit Iob) ad laborem nascitur: & tota hominis vita militia est super terram. Nolle igitur vigiliis, labore, assiduitate, vigilantia in capescendis studijs vti, fracti, & dissoluti animi indicium est. Dedat se igitur studiorum amator vltrò laboribus, & illis volens occurrat, neruos animi intendat, seque totum in se colligens, Philosophiæ studiis inuoluatur. Hoc sanè est hominem agere, hoc studia colere, & optatum ex studiis fructum haurire. Eam igitur Nasonis sententiam perpetuò in ore gerant veri amantes.

Quartum.

Prouerb. 6.

Iob. 5.

Lib. 2. & 3. de arte amandi.

*Dum vires animiq; sinunt tolerate labores*
*Dum licet, & veros etiam nunc æditis annos*
*Discite: eunt anni more fluentis aquæ.*

Fugiendum summopere ocium, quod vires animi & corporis frangit, vt idem cecinit Naso.

Cernis

Libr. I. de Ponto.

*Cernis vt ignauum corrumpant ocia corpus.*

Siquidem non otio, torpore, desidia Deorum auxilia parantur, sed vigilando agendo, rectè consulendo prosperè omnia cedunt. Quòd si te socordiæ atque ignauiæ dedideris (ait ille apud Salustium) nequicquam Deos implores. infensi enim infestique sunt. Dij namque facientes adiuuant, vt est apud Hæsiodum, ignauos oderunt. Ne nos igitur torpori ocioque dedamus ne nos Dij, vt apes ignauum pecus, si otio marcescamus, à præsepibus arceunt. Sed contra alacres & citi, vltro laboribus occurramus. Vt tandem optatum ex laboribus præmium, virtutem & gloriam consequi valeamus, quæ pulcherrima merces est habenda, labor quidem durus, sed breuis, labor abit, gloria immortalis. Hoc arte est quod dicere Aristoteles solebat Artium radices amaras quidem esse, suauissimus autem atque dulcissimus fructus, Amarus est labor, & molestiæ plenus, sed qui inde emanat fructus (virtutum possessio) iucundissimus. Idipsum lepidissimo carmine diuinus vates quasi consultor eximius cecinit, inquiens.

Diogenes laertius in uita Aristotelis.

Vergilius de litera Pytagora.

*Quisquis enim duros casus virtutis amore*
*Tulerit; ille sibi laudemque, decusque parabit.*
*At qui desidiam luxumque sequetur inertem,*
*Dum fugit oppositos incauta mente labores,*
*Turpis, inopsque simul miserabile transiget æuum*

In arte Poetica.

Quod & lyricus Poeta grandiloquo sermone confirmasse est visus dum ait.

*Qui cupit optatam cursu contingere metam*
*Multa tulit, fecitque puer, sudauit, & alsit,*
*Abstinuit venere, & vino.*

Hoc uoluisse hoc loco Galenum, iure censendum est, hoc imitandum nobis ac proponendum, ne a iusta veritatis via aberremus, in animo fixum habere debemus.

Quintum.

Quintum, de quo nobis ad Galeni explananda sensa agendum est, id esse vult Galenus, vt veritatem tantum expetat veritatis cultor. nihilque aliud in factis; ac dictis, quàm Veritatem solam spectet ac meditetur. Cuius vnius adipiscendæ gratia & tenendæ, in studia fortiter incumbimus, vt quorum ipsa finis sit. Quorsum enim tot vigilijs, laboribus, curis, meditationibus scientias amplectimur, nisi vt veritatem ipsam rerum nudam & apertam noscamus? Vt rerum naturas, causas, effectiones, qualitates, & euentus fideliter, nudè, constanter, & aperte teneamus? quod est veritatem intueri atque complecti. Tanta est enim (vel Pythagore testimonio) veritatis potentia atque dignitas vt ea secundum Deum ac supra omnia colenda sit atque amanda, cur? quòd omnia vincat veritas, sitque omnium fortissima, cui non sophistarum deliramenta, non doli, versutiæ, fraudes, obsistere possunt. ob id eam adesse rebus omnibus siue fuco optabat. Menander inquiens Ἀλήθεια δ' ἀρίστω id est, veritas semper adsit. vt quæ Pyndaro autore, magnæ virtutis principia promoueat. Ἀρχὰς μεγάλας ἀρετᾶς ἄνασσ' ἀλήθεια Et Plato ex scrini memorabilibus dictis, suauissimam narrationem veritatem esse dixit. μὲν ἥδιστον ἦν τῶν ἀκουσμάτων τὴν ἀλήθειαν Et reuera suauissimum est veritati iuniti, quód pulchrum quiddam ac stabile ea sit. Vt libro secundò de legibus idem Plato dixit. ac proinde nihil familiarius sapientiæ quàm veritatem ipsam reperiri, libro de repub. sexto idem affirmare non veritas est. eaque ob id ratione necesse esse discendi cupidum, statim à pueritia veritatem omnem imbibere ac summopere affectare. Ex quo sanè vt arbitror loco, hanc Galeni de amplectenda veritate sententiam tractam fuisse iure existimandum est. Cur verò tantopere veritati insistendum & Plato, & Galenus velint, in promptu ratio est, quòd anima (vt in Phædro Plato concéptis verbis affirmat) quæcunque conuenientem sibi cogitatione conditionem susceptura est, intenta per tempus ad id quod est, id est, ipsum verum, bonum, & pulchrum contenta veri contemplatione nutritur & gaudet, quòd animi cibus quo mens fouetur, & alitur ueritas ipsa sit. Sed tamen multus inest conatus, & ingens labor, veritatis campus vbinam.

In aureis carminib'.

nam sit intueri. quod est bellissimè ab eodem ueritatis magistre Platone in Phædro dictum. ob opinionum inquàm & sensuum multitudinem mentem turbantium, qui ob eam quam sensus cum corpore communionem habent animam verum ipsum perspicere non sinunt. distractis vtique in varia & multa sensibus . vnde variæ itidem & fallaces opiniones nascuntur veritati aduersariæ ac repugnantes. Quædam enim animæ affectantes, quidem omnes superiorem locum, eo nituntur. & qua possunt viam sequuntur. Cum verò in sublime ferri nequeant: subuersæ sensuum, & opinionum tenebris, circumferuntur detrusæ, calcantes sese inuicem atque incumbentes alia aliam præire contendens. Aliæ verò caput altius extollentes, gradum aliquem ueritatis attingunt, at ob uiolentiā equorum (id est sensuum & opinionum) protinus se submittunt. Tumultus igitur inde & certamen, & labor fit extremus. Vbi aurigarum uitio (ut Plato loquitur) id est mentium de- In Phædro prauatarum, multæ claudicant, multæ multas pennas confringunt: hoc est indagationē, qua mens assiduè ad ueritatem annititur bonique desiderium quo nostra uoluntas semper afficitur. (hæ enim alæ illæ sunt quas Plato in Phædro animo affixit) inde fit, ut omnes hominum mentes fere, magno implicatæ labore, expertes eius quod uerè est intuendi, discedunt, post discessum uerò, alimento utuutur opinabili, non ueritate ipsa. Solæ uerò hæ hominum mentes quæ Deum secutæ, ac corporis illecebris emancipatæ, spiritales totæ efficiuntur, efferunt sese in sublimem illum Veritatis locum. Vbi ambrosia ac nectare enutritæ æuo sempiterno fruuntur. Tex. Hæc altissima de ueritatis inquisitione Diuini Platonis sensa sunt. At uerò & si hoc loco Galenus ueritatis studiosum, illam unam expetere debere ueritatem contendat, illique prorsus inniti: difficile tamen ac propemodum impossibile homini est in hoc terreno domicilio eam exactè nancisci. quòd (ut Mercurius Trismegistus ad Tatium scribens sentit) in solis æternis ea ipsa quam quærimus ueritas insit, non in caducis rebus, momentaneis, corruptioni & mutationi obnoxiis. Veritas enim nec mutari, nec in aliud quàm in seipsam uerti usquam potest: ob id perpetuam ipsam sibique perpetuo parem esse oportet. Quamobrem nos, qui animalia imperfecta sumus: mutationi, alterationi, & corruptioni obnoxia, animumque & sensuum & opinionum uarietate imbutum, interdum etiam cæcitate ac ignorantia corruptum habentia, quonam pacto quæso ueritatem indipisci nudam & apertam poterimus? Com. Quæ causa est, cur tam multæ tanquæ uariæ & sæpenumero inter se de eadem re pugnantes magnorum uirorum sententiæ reperiantur, & diuersa sentientium pugna maxima. Hinc opinionum fons & origo, quòd scilicet ueritatem ipsam rerum nudam & constantem minime teneamus quam si consequuti essemus, non ita de rebus digladiaremur, nihil nobis controuersum esset, nihil ambiguum, nihil erroris & falsitatis caligine inuolutum: sed composita in rebus omnibus pace, rectè de rebus omnibus iudicaremus, & pro ipsarum natura iustam ferremus & sine errore sententiam: Proinde igitur rectissimè ac sapientissimè idem Mercurius de ueritate sermonem instituens, uniuersa quæ supra terram sunt, non ipsam ueritatem esse: sed ueritatis imitationes & umbras: esseque potius ferè cuncta mendacium, & errorem, atque phantasticæ imaginationis ueluti simulachra quædam dixit. Itaque nisi supernè ueritatis influxus ad nos dimanet, ueritatem non attingimus, sed planè ceutimus ac proinde sine eo influxu mendacium remanet, mendacesque omnes sumus iuxta Regij Prophetæ sententiam omnis homo mendax. Psal. 11. Verum si quatenus homini datum est, rem unamquamque exacto iudicio ita æstimemus, aut uideamus, ut existit, tum certè ueritatem tenemus ueraque cernimus. quod hi soli præstare possunt, quibus diuina, & quæ optimis disciplinis continentur, contemplandi facultatem largitus est Deus. Hi soli certè de ueritate & cogitare & eloqui rectè possunt. Alioquin omnia certè opiniones ac imaginationes sunt, quas ut fugiamus, in ipsam rerum contemplationem nos dare oportet, & adductis sensuum phantasmatibus in mentem ipsam, ceu in ueritatis tutissimam arcem confugere oportet. cuius ope atque præsidio rerum naturas, causas, affectiones, qualitates nosse dabitur, quatenus homini datum est, quod est in rebus ueritatem tenere quam & si absolutissimam in hoc terreno carcere conclusi assequi non possumus, qua uia datur tamen ad illam nitamur, id fiet, si iugi labore, exercitatione, optimarum disciplinarum at- Qua uia ad ueritatē nitamur. que artium contemplatione, studiorum assiduitate, uigili cura, rerum difficilium explanatione.

natione, & autorum illustratione (quæ ex commentando paratur) nobis ad illam viam
adytumque fecerimus. dictisque ac factis illam exprimere conemur. Id voluisse hoc loco
Galenum censendum est.

Sextum. Sextum illud à Galeno propositum, quod veritatis studioso inesse debere dixit, est, vt
methodum teneat qua veritatem cognitam docere possit, hoc est, viam hac rationem,
qua tutus & omnis periculi expers artem suam docere & exercere possit. Hac sanè fit, vt
verum à falso discernere valeamus, qua etiam quid primùm, quid secundò, tertiò, ac de-
inceps faciendum sit: & quatenus id fieri oporteat, id sanè methodus docet. ne cæcis vt
aiunt oculis, Andabatarum more in præceps feramur, quo cursum dirigere debeamus ne-
scientes. De qua methodo pauca nunc nobis ad huius loci explicationem promenda
erunt. Porrò μέθοδος Græcis viam quandam significat, qua quippiam rectà cum ra-
tione ac ordine fieri potest. Equidem cum artificis cuiusque præcipuus is finis sit, vt opus
suum quàm poterit ad vnguem perfectum absolutumque numeris omnibus perficiat: quod
Lib. 4. metho. sine ductu aliquo ac via quadam quæ eò nos perducat, perfici nequicquam potest, ea sa-
nè via ac ratio qua quippiam rectè peragitur, methodus erit. Quam & ipsam Galenus viam
quandam vniuersalem esse quæ omnium particularium sit communis, scitè definiuit. Ha-
bent quique artifices methodos suas, quibus pro norma in conficiendis ad se pertinenti-
bus operibus vtuntur. Habet & medicus suam medendi methodum, quæ nihil prorsus
Methodi principiũ. aliud est, quàm uia quædam certa & minime fallax qua rectè morbi curantur. Porrò eius
Lib. 2. metho. methodi principium (authore Galeno) morbi est cognitio, qualis inquàm is natura sit.
Nam si id quod curatur morbus est, iubet profectò ratio ab ipso quoque eas quæ de meden
Lib. 2. metho. do sunt indicationes primùm esse sumendas, siquidem ignorato affectu curari ipsum non
posse prodidit conceptis verbis Galenus. Vt verò methodi principium, morbi cognitio
Finis metho. est, sic sanè illius finis inuenire cuiusque morbi remedia omnis verò medendi methodus
Indicatio. per indicationem fit & ab ea proficiscitur. Est autem indicatio, sequentis siue agendi in-
Vbi supra immediate sinuatio ac designatio quædam ita definiente Galeno. Ab ipsa enim rei natura ordiri, hoc
est, à morbi essentia, atque ab ipsa quod sequens sit ratione citra experientiam inuenire,
Methodo curare. id profectò est indicatione inuenire. Tum verò methodo curabimus, cum indicatione à
Lib. 4. metho. morbo sumpta, apta morbo remedia adhibuerimus. & quæ agenda ordine sunt, rationali
Methodici. disquisitione inuenerimus. Hoc siquidem est methodo curare si Galeno fides habenda.
Li. 3. meth. Atque ab hac methodo Methodici, ac rationales medici nuncupantur. Nam is (ait Gal-
Empiricus lenus cui facultas est illa inueniendi ex quibus perfici possit quòd à prima indicatione sug-
geritur, is meritò morborum curator est dicendus. Qui, si per experientiam inuenit, ob-
seruator & empiricus est nominandus: sui ratione quadam ac methodo, logicus & metho-
dicus & dogmaticus dici debet. Hæc enim ipsissima Galeni verba sunt. Est autem metho
di medendi generalis forma ac typus, vt perpetuò auspicemur ab indicatione quæ ab affe-
ctu cui mederi paramus accipitur: Aestimare verò, ac discernere num causa, quæ affectum
excitauit, iam desierit, an nunc quoque ipsum tum augeat, tum faciat. Dein, si desiit, so
li affectui curando intentos esse: sin adhuc facit, non affectus solum sed & causæ rationem
habere oporteret ipsam summouentes, & quod ab ipsa factum est curantes. Siquidem &
In arte medi. & lib. 4. metr. morbificam omnem causam prius auferre oportet, & quod factum inde est curare: quod
futurum, prohibere ne fiat. Hoc enim Galeni præceptum est. In sanitatem verò ægrota
Methodi medẽdi scopus ac propositum. corpora vindicare, methodi medendi scopus præcipuus ac propositum est, vt libro pri-
mo methodi medendi affirmat Galenus. Id verò est, naturalis partium actiones, si quæ
vitiatæ sunt, corrigere & in naturalem statum reducere. Primum autem illius propositum
est, vt libro nono methodi asserit Galenus, ipsius morbi sublatio. Nec verò sat est metho
di ipsius rationem vniuersalem tenere ac didicisse, sed etiam in singulis eius partibus exer
citatũ esse oportet, propterea quòd cuique morborum speciei sua quoque sit methodi cu-
ratiuæ species. quas sanè particulatim scire medico conuenit. quod (vt autor est Galenus)
Lib. 9. metho. non satisfaciant ad exactam cognitionem vniuersales methodi, sed sint exemplorum ea
pro potioribus habenda quæ ipsi oculis vsurpauimus. & in exemplis exercitari quiduis
Methodo ingrereqd. discentes maximè expedit. quòd operibus magis, quàm vniuersalibus rationibus morbi
curentur. Methodo autem quippiam inquirere atque inuenire, ex aduerso opponitur ei,

quòd

quod eſt fortuito temereque reperire. Id autem fieri dicitur, cum via quadam & ordine in diſquiſitione progredimur ut in ea aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, tertium, ac quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipſum quod ab initio eſt propoſitum ſit peruentum. vt lib. primo. meth. affirmat Galenus. In uniuerſalibus porrò, methodus ipſa conſiſtit, vt in particularibus exercitatio. vt lib. ix. meth. medendi habetur. Fieri autem non poteſt, vt vllius artis peritiam nanciſcamur, niſi & methodum prius quandam habuerimus per vniuerſalia vocata theoremata, & in particularibus deinceps nos exemplis exercuerimus. Quæ docta Galeni lib. ix. methodi medendi ſententia eſt. Tantum autem vera methodus poteſt, vt vel nunc etiam poſt tot tantoſque medicos non ſolum meliora medicamenta quàm prius fuere, ſed etiam vniuerſum curationis modum inuenire valeamus. Vt lib. Sexto meth. medendi dixit Galenus. Porrò de generalibus methodis, ex quibus artes vel conſtituuntur vel docentur, reſolutiua, compoſitiua, diffinitiua, diſſerere in præſens, neque opus eſt, nec huius etiam loci eſſe videtur, præſertim quòd ea de re abundè ſit in huius commentarij præfatione à nobis tractatum: tum verò etiam ex profeſſo, in prælectionibus noſtris ad libros artis medicinalis Galeni cum eos Arelate interpretaremur. ad quæ loca lectorem remitto. ne inutili repetitione chartas implere velle videant. Hæc de methodo, ad huius loci Galeni explanationem ſufficere mihi videntur.

Septimum ac ultimum propoſitorum à Galeno, illud eſt, vt quam methodum nacti ſumus, eam in vſum crebra exercitatione ducamus. Neque enim ſat eſt quæ agenda & complenda ſunt ſcire, niſi ea opere compleamus. in particularium vtique crebra exercitatione verſantes. Ob id Galenus medicum non hominem in communi curare, ſed Calliam, Socratem, Hermippum, hoc eſt particulares homines, in quibus tota artis ratio verſatur ſcitiſſimè dixit. Vti & eo prior Ariſtoteles. Quæ enim crebra fit in particularibus exercitatio, artificem expertum facit eoque in operibus artis tutum ſibique fidentem. Equidem rerum expertos (Ariſtoteles ait) videmus magis id quod intendunt conſequi, quàm illos qui rationem abſque experientia tenent. Cauſa verò eſt, quòd experientia ſingularium, ars autem vniuerſalium cognitio eſt. Actiones autem omnes circa ſingularia ſunt. Non enim hominem niſi per accidens ſanat qui medetur, ſed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum qui ſic dicuntur. Hæc enim Ariſtotelis verba ſunt. Siquis itaque rationem abſque experientia teneat: & uniuerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo eſt particulare ignoret, ſæpenumero errabit à ſanando. Singulare enim magis in curationem venit. Itaque qui conſummatus & perfectus haberi vult medicus, is & in vniuerſalibus diligenter verſabitur, (quod eſt methodum tenere) & in particularibus ſe exercebit. Altero prudens erit, altero exercitatus. Siquidem natura prudentē & exercitatum eſſe oportere medicum ſcitiſſimè Galenus indicauit. Prudens quidem erit, ſi quæ artis theoremata vniuerſalia ſunt probè tenuerit. Exercitatus autem, ſi in pluribus ægris ea quæ ex arte didicit compleuerit & executus fuerit. Quod vt faciat, plurimi illi ægri inuiſendi ſunt, morbi quàm plurimi ſpectandi, attendenda ſymptomata & caſus varii qui in morbos incurrāt, grauia pericula adferentes. Ob id bonum medicum in Noſoconiis ſeu Xenodochiis (vbi ægrorum confluit multitudo) verſari oportere veteres iure optimo cenſuerunt. vt crebra variaſque in morbis variis ac difficillimis curandis exercitatione, cōſummatus perfectuſq; euadat: ſeque optimum & arti ſuæ fidentem præſtare valeat. qui ſcopus generoſo medico propoſitus ſemper eſſe debet, ut in quam non in poſtremis ſit habendus: ſed iugi labore, aſſiduo ſtudio, crebra exercitatione in primis conſiſtat. quò boni medici probeque curantis nomen mereatur. Sic enim fiet, vt qui talis fuerit, & immortalem apud homines laudem ac gloriam conſequatur: & ſe illi tutò homines committant quod palmare medico, id honoris aſſecuto eſſe debet. Atq; per hæc abundè explicatam totam hanc Galeni ſeriem de ijs quæ ad medicinam accedenti ineſſe oportere voluit Galenus, exiſtimo. Ad cætera properandum ſi modo prius, quam Galenus dicti ſui probationem adfert, paulò plenius explicauerimus. Dixerat autem proximè, non ſat eſſe medico futuro, methodum artis tenere, niſi & crebra exercitatione eam exerceat. Id modo exemplo appoſito comprobat per locum à minori ad maius. Nempè (ait) Si Rhetoribus minorem artem colentibus,

Septimum

Lib. 1. ad Glauc.

Lib. 1. & hic. cap. 6.

Lib. 1. metha. capit. 1.

Vbi ſupra.

Lib 8. metho. med.

Generoſi medici ſcopus.

ſatis

ſatis non eſt methodum rhetoricæ artis tenere: ſed per totam ætatem eos videmus in illa ſe exercere, cauſas agendo (quod in) Iſocrate, Cicerone, Demoſthene, clariſſimis oratoribus perfectum videmus, cum luculentis ſuis orationibus methodum Rhetoricę artis exercuiſſe magna ſua cum laude, magnoque Populorum plauſu nouimus. Quid ni magis deceat in Medicina, nobiliſsima & vtiliſsima arte id præſtitiſſe? Vt vna eademque opera quam medendi methodum nacti ſumus, eam crebra exercitatione, varios morbos curando, in vſum ducamus? præſtat id certè, ſi perfecti ac conſummati haberi volumus. Porrò Rhetores hi eſſe dicuntur qui bene, purè, ornatè, copioſeque dicendi præcepta tradunt. qui & ipſi cùm cauſas agunt, cùm orationes ad Populum habent, cum in foro verſantur, tum oratores verè dicendi ſunt, qui in tribus potiſsimum cauſarum generibus verſari ſolent. Iudiciali, Deliberatiuo & Demonſtratiuo. Primum illud forenſe eſt continetque accuſationem & defenſionem. Deliberatiuum in conſultatione verſatur, Demonſtratiuum in laude ſeu vituperatione perſonæ aut facti. Qua de re qui plenam volet notionem habere, Ciceronem Eloquentiæ parentem libris ad Herennium de Rhetorica, & libris de oratore adeat: tum & Quintilianum libris inſtitutionum oratoriarum, a quibus eruditior fieri poterit. Concludit autem ſub finem Galenus, eum cui omnia adſint ea quæ modo dicta ſunt, deſpondere animum non debere quominus quam cupit in arte aſſequi veritatē, ac perfectionem non aſſequatur. Ei autem deſpondendus eſt animus, cui vnum aliquid, aut plura deſunt vt ſi natura perſpicaci, non ſit, aut ſi præceptoribus bonis operam non dedit, aut ignauiæ ſe dedidit, & torpori, laborem fugiens, aut veritatem inquirere neglexerit nec methodum tenuerit, is profectò ne quicquam ſperet ſe vnquam perfectum haberi, frugemque ex arte facere. Vti contra, cui hæc adfuerint, magna cum laude in arte verſabitur. Hoc voluiſſe Galenum ratio eſt. Atque hic capitis huius finis eſto.

## CAPVT SEPTIMVM

Inſtitutum Porrò nobis eſt quemadmodum omnes totius corporis Particulas, vel etiam ſimpliciſsimas, ex conſectione didicimus, ita hoc ipſum inuenire, nempè quales natura exiſtant primariæ ac Simpliciſsimæ Particulæ. Verum non de omnibus; ſed una ceu exempli loco ſermonem inſtituemus.

Com. QVid hoc capite nos docere velit Galenus mox ipſe quaſi ſeipſum explicans apertè tradit. nempé, quales natura exiſtant primariæ ſimpliciſsimæque partes: hoc eſt qua ſubſtantia, & ex quibus confectæ atque coalitæ, vt tandem eo cognito (quod ad conſtituendam artem neceſſarium eſſe, ſupra cap. tertio dixit) ad methodum conſtitutionis artis progrediatur. Vt autem partes omnes ex diſſectione agnoſcimus quali nam ſubſtantia, ſitu, magnitudine, numero, atque figura cōſtent vt lib. j. de locis aff. & libris de vſu part. vniuerſis, præſertim lib. decimoſept. cap. ult. & libris de Anatomicis adminiſtrationibus aſſeruit Galenus, ſic conſtituenti artem neceſſarium quidem eſt, (quod hic ait Galenus) qualeſnam ſint primæ ſimpliciſsimæque partes ſcire, idque ſanè ratione optima. Nam cum vniuerſi corporis conſeruandi, vel ſi in vitium quodpiam inciderit, corrigendi curam gerat medicus, perficere id nequit, ni priùs qua ſubſtantia partes noſtræ coalitæ ſint, quo temperamento, qna facultate, qua actione & vſu pernouerit. quòd ſupra cap. ſecundo apertiſsime eſt teſtatus. item & tertio, cum ait conſtituenti artem medicam nedum partes ipſas, ſed & ipſarum actiones cognoſcere neceſſarium eſſe. idq; appoſitiſsimo exemplo ab artificibus manuariis petito comprobauit. Particulas (inquit) omnes artifici cognoſcere neceſſarium eſt, ſiue nouum opus conficere, ſiue collapſum reſtituere velit. eſtque ea huius theorematis ratio, quòd quæ præter naturam ſunt refici, ac emendari minime poſſint ni prius partis ſubſtantia figura, ſitus, connexio, magnitudo & cætera quæ diximus præcognita habeamus. quòd aliam medendi rationem os, aliam neruus, caro, arteria, vena poſtulent. Vt libris methodi medendi eſt à Galeno pluribus

locis explicatum. præsertim lib. secundo, cum ait quæ præter naturam sunt curari minimè posse incognitis his quæ secundum naturam sunt. Tum verò etiam si cõseruandum in sua integritate corpus sit, id præstare non poterit medicus, ni substantiam partis: temperiem, actionem, roburq; seruet, quæ omnia præuiam harum rerum notionem postulant. cum nulla actio feratur in incognitũ. Quomodo enim partem seruaueris vnquam, ni qualis sit seruanda pars, qua substantia prædita, num dura vt os, num molli ut caro. præsciueris? Ni item quo robore & facultate, quo positu & quæ illi actio debetur cognitum habeas, seruandæ partis methodũ vllam nunquã inueneris? Porrò primariæ hæc uocantur partes, quas natura in fœctu pangendo primas omnium delineat, sunt autem hæ venæ, arteriæ, & neruea ac fibrosa quædam vt Hippocrates lib. de natura pueris scribit. atq; ob id omnium primæ merito hæ dicuntur partes, quòd illis nullæ sint priores, & ex his aliæ substruantur. Simplicissimæ autem dicuntur quòd nullam alienam atq; diuersam miscellam admittant aut suscipiãt, & si reuera non ita simplices dici possint quin compositionem aliquam admittant, si rerũ naturam spectes. Sed si sensum iudicem constituas, certè simplices dici merebuntur. Has similares, & Aristotelis more omiomeræs appellare licet. Atque hæc Galeni hoc loco meus est. Nunc vero ad exemplum à Galeno propositum vt dictis fides constet properemus.

Caro igitur inspiciatur. primum, an vnum specie sit Elementum quod ipsam procreauerit. Nihil enim quali est hoc nomine. Primam & simplicissimam in ea particulam sic appellasse. Deinde si talis non appareat, an multa: postea quot hæc, & quę sint, Tum quinam compositionis eorum modus existat. Textus,

Com. CVm Galenus capitis initio proposuisset, inuenire necesse esse quales natura existãt primæ simplicissimæq; particulæ, hoc ipsum appositissimo exemplo, in carne simplicissima parte demostrare aggreditur. Vt quod in una, ratiocinatione facta, perspectum fuerit, idem quoq; de cæteris iudicium proferatur. par enim in omnibus eiusdem naturæ partibus ratio esse debet. Inquirit autem primo, num vnum specie sit elementum quod carnem procrearit: num multa, quod est ab uno tantum vel à multis genitam esse carnem: constareq; vel vno tantum vel pluribus. Si verò ex multis constare dixerimus, quiescendum ibi minimę est, sed inquirendum quæ nam ea sine quæ carnem constituunt & quot numero constituentia carnem sint. Demum vero his cognitis, quinam sit coagmentationis modus inquirere num per solam appositionem, vt in aceruo in quo plura legumina inordinatè apponuntur, num uerò totis per tota mistis & alteratis, quæ carnẽ componunt elementis. Hæc enim partiũ naturã scire volenti cognitu necessaria sunt. Quã dignoscẽdi methodum à vetustissimo Hippocrate, & Platone sumpsisse Galenus uidetur, cum Hippocrates lib. de natura humana, hominis naturam methodo inquirens, num una re, num pluribus constet primum omnium indagandum censet demonstratq; una re hominem constare non posse, eò quòd doleat. Plato verò in Phędro ex eiusdem Hippocratis censura, quem in sui patrocinium, ut fidissimum testem honorificè nominat: cum plenum ingenui pudoris sit (ut Plinius ait) profiteri per quem profeceris, is inquam Plato, vniuscuiusque rei naturam ita inuestigandã cẽset. Primò quidem, ut Hipocrates fecit, vtrum simplex illud sit, quod quæritur, an multiplex, de quo & ipsi habere artem & aliis dare posse desideramus inquirendũ. deinde si est simplex, inuestigandũ: quã, & ad quid agẽdo: rursusq; quã, & à quo patiendo natura uim habeat. Quòd si species habet multas, his dinumeratis in singulis similiter ac in uno naturalis & agendi & patiẽdi vis inquirenda. Siue his (subdit idẽ) progressio tanquã cæci iter esse uidetur. Rectissimè igitur hoc loco fecisse Galenus est uisus, qui sese ad eandẽ inuestigãdi methodũ se cõponens, de carne simplicissima parte, num una re cõstet, nũ pluribus indagãdũ censet vna cũ Hippocrate & Platone, docebitq; postea, demonstratione ab Hippocrate sumpta, carnẽ ipsam non una tantum re constare posse, sed pluribus necesse esse. Porrò quòd carnem simplicissimam vocet partem, cum reuera

In præfat. librorũ naturalis histoiæ.

non sit, nihil mali est id pro exemplo poni. Exemplorum enim exacta non requiritur veritas, tametsi carnem ipsam, si ab extraneis quæ muscula compositionem ingrediuntur fibris & neruis secluserimus, prout tantum cõcretum quid ex sanguine est, calidum & humidum multitudinemq; habet (quæ verè caro est) vt in lib. diffinitionum medicinalium & lib. 1. de **Cap. 13.** vsu partium à Galeno habetur profecto simplicem esse partem reuera dicemus. Quam & ipsam Diuinus in Timæo Plato defensoriũ esse ac tegmen aduersus æstus & frigora & (quẽadmodum externa corporis munimenta solent) contra casus varios propugnaculum quia præsertim talis erat futura, vt corporibus molliter suauiterque cederet. Calidum autẽ humiditatem intra seipsam iccirco habet, vt æstate quidem resudans & humactans extrinsecus, infrigidationem toti corpori propriam familiaremq; affundat Hyeme verò cõtra, suo ipsius calore, extrinsecus illatam, & circundantem nos frigiditatem moderati arceat Hæc Diuini Platonis de carnis natura atq; vtilitate quam in corpore præstat sententia est. Quã cum docte ac copiose explicet libro primo de usu partiũ Galenus ad eũ locum lectorem remittere visum est. Itaq;, vt ad pensum reuertamur, inquirendã meritò acuset in præsens Galenus, in carne simplicissima parte (vt sciatur qualisnam sit) num ex uno an pluribus cõstet. **Cap. 3.** & quot ac quę nam sint carnẽ constituentia elementa operæpretiũ scire ducit. In id scilicet vt quod antea protulit, cognoscere corporis partes medicus hac ratione queat. quod ad artis constitutionẽ necessariũ esse capite. Secundo & tertio huius tractationis dixit. Cognoscendæ namq; sunt artifici cuiq; partes operis eius quod arte confici debet idq; certe ratione optima, quòd cũ doctrina omnis & disciplina à mente profecta ex præexistenti fiat cognitione, ut Aristoteles verissimè dixit. sit autem ars omnis doctrina quædam, nempé operis rectè conficiendi, sequitur profectò, præcognitionem quandam præcedere debere, **Lib. j. Post cap. j & libro 6. Eth. cap. 3.** antequàm opus conficiatur. Cum unus nunquã in incognitũ feratur. Ea vero cognitio est partium earum ex quibus opus ipsum constare dicitur. Quamobrem casu humanũ corpus veluti materia quædã sit circa quam Medicus assiduè uersatur, eius integritatem seruando, vel labefactatam corrigendo, necessariũ profectò fuerit, nosse ex quibus ipsum partibus, quot que numero constet, ut per hæc illæsum seruari corpus, vel uitiatum in integrum restitui à medico posit. Quod supra itidem exemplo appositissimo de ædium constructore confirmauit. qui, siue illi sit de nouo construenda domus: vel collapsa refici debeat, siue partium domus cognitione præstare id nunquam poterit idque hoc loco voluisse Galenum iure existimandum est.

**Textus.** Quoniam igitur caro dum secatur calescitq; vehementer, dolore afficitur unum specie elementum esse non potest cuiusmodi Epicurus atomon, id est indiuiduũ statuit. Quod enim unum specie elementum tale non sit, inde constat: nulla siquidem atomos ex se aut calida, aut frigida est, nec etiam cãdida uel nigra. Sed quid diutius immoror, & tempus prolixitate uerborum contero? In totum nulla qualitas indiuiduo contingit, Vt autores ipsorum autumant. Nam huiusmodi qualitates uniuersæ per tota corpora communicatæ esse uidentur, quemadmodum ipsa figuræ qualitas omnibus inest. item remixus & grauitas, quæ an qualitatem, an aliud quicquam vocare oporteat, ad propositum nihil attinet. omnibus enim prædicta insunt, nec inter se specie differunt, sicut homiomerię, id est similaritates, ijs qui illas, aut elementa quatuor hæc statuunt.

**Com.** Implicissimas partes, vno cõstare elemento nõ posse in carne pro exẽplo docet. Siquidẽ qđ dolore afficitur vnũ esse non pót, caro aũt dolore sæpenumero torquet: si vel secet & cõtinui solutionẽ patiatur, siue nimiũ incalescat, qđ experientia docet. Cõstare itaq; vno tñ elemento caro nõ pót. At verò unũ esse nõ posse qđ dolore tẽtaĩ ex eo apparet, ꝙ a quo doleat nõ hẽt. In doloris nãq; creatione duo inesse

necessario

neceſſariò oportet. nempè, productricem doloris cauſam, quę in eo quod afficitur corpore ſubeſt (cum nihil ſine cauſa fieri axioma ſit medicum à Galeno pronunciatum) & rurſus id quod patitur corpus, in quod dolorifica cauſa vim imprimit ſuam atque exerit. cum autem dolor, pathos quoddam ſit, ſeu motus in eo quod patitur corpore, motus autem omnis à motore vt cauſa propria pendeat. neceſſariũ quidem eſt in omni quod dolet corpore hæc duo concurrere agens inquàm & paſſum. Itaq; non vnũ erit quod dolore afficitur corpus. Nam quod vnũ verè eſt materiæ omnis eſt expers vt Plato, & Plotinus cenſent. omne autem corpus materia præditum eſt & qualitates varias dimenſionesq́; materiæ inhærentes habet. non igitur vnum eſſe poterit vllum corpus. quòd dolor inſigne pathema declarat. Porrò hoc loco Galenus, vti & ſequenti capite, & paſsim alibi velle conceptis verbis videtur, dolorem tum à continui ſolutione, tum vero ab immodica alteratione fieri cum ait carnem dum ſecatur, vel vehementer incaleſcit dolore affici. Ex qua ſerie intelligi datur, non ſolum à ſoluta vnitate: ſed & á mala temperie fieri dolorẽ contra quàm ſenſerit Arabs Auerrous qui vnicum tantum doloris eſſe cauſam impudenter aſſeruit nempè intemperiẽ vehementem non autem vllo pacto continui ſolutionem vt lib. tertio colliget cap. 21. eſt videre. Qua de re cum ex profeſſo ſequenti capite tractare ad amuſsim in animum induxerim, in eum locum rem differemus. Quòd verò hoc loco Epicuri inſanam opinionem refellat Galenus, ex atomis corpus omne conſtare credentis multis rationibus non eget. cum id quod inſectile eſt nec paſsionis ullius ſit capax nec actionis (ex quo indiuiduum eſſe dicitur) manifeſtum inde eſt, cum dolere corpora uideamus, alterari, diuidiq́; & ſolutionem pati, ex atomis conſtare non poſſe. Vt quorum neq; qualitates ſint ullæ, nec diuiſionem pati poſsint cum inſectilia ſint & indiuidua (ἄτομος enim Græcis indiniduum ſignificat) itaque neque diuidi, nec alterationem pati poterit quod indiuiduum eſt. Videmus autem corpora, horum vtrunq; pati, non igitur ex atomis conſtabunt. Alioqui corpora ſine figura, ſine qualitatibus eſſe oporteret, quod corporum naturæ repugnat: & qualitates ipſas uniuerſas totas per tota corporibus infuſas eſſe uidemus ut experientia docet. Vt uanam igitur hanc Epicuri ſententiam relinquere omnino oportet.

Lib. 1. metho.

Plato in Parmenide. Plotinus. libr. 1. Enn. 4. c. 3. & Enn. 6 libro 9. de bono & vno.

In arte medicinali, & libro. 4. de ſympt. cauſis. cap. 6.

Hippocrates hunc in modum inquit, Ego ſanè dico, ſi homo vnum eſſet, haud vtique doleret. Rectiſsime hæc pronunciauit. Nam vnũ in aliud mutari non poteſt: Quippe quòd non habeat in quod mutetur. cum iam immutabile, nec alterari, nec mutari poſsit, impatile verò dolore vacet, colligimus ex ſuperioribus, vnum eſſe impatile.

Com.

PArtiũ naturã inquirere volens Galenus (quod artem conſtituenti neceſſariũ eſſe dixit) in carne pro exemplo rudiores exercens, eas demonſtrationes affert quibus tutò & aſſertione fidiſsima credi poſsit. Idq́; demonſtratione ex neceſſarijs conſtante, & à ſummo autore Hippocrate prolata in id ſcilicet, ut oſtendat ueri Philoſophi munus eſſe dictorum ſuorum fidem ex demonſtratione facere. Neq; autoritatem ſolũ ſufficere. Quamobrem & ſi hoc loco Hippocratis teſtimonium in partes ſuas aduocet, non tamen nudo illius teſtimonio nititur, quin eam adfert demonſtrationem, quæ ab eodem Hippocrate in eam rem libro de natur. humana prolata eſt. Siquidem Gallenus, nulli unquam quantumuis magna ſapientia prædito (ne Hippocrati quidem artis magiſtro) ſiue demonſtratione credere unquam uoluit. ut libro tertio de Hippocratis & Platonis decretis in hæc uerba teſtatus eſt, inquiens, ,, Neq; Hippocratis, neq; Platonis, neq; cuius uis alterius tanta eſt autoritas, ut cui ſine ulla demonſtratione de dogmate fides adhiberi debeat. Id præceptum & hic & ubiq; ſemper obſeruans, Hippocraticæ demonſtrationi innititur ita rem demonſtrante Hippocrate. Si unum homo eſſet, nunquam ſanè doleret: atqui dolet, non igitur unum homo eſt. Probanda aſſumptionis totius maior eſt, nempè non doliturum hominem ſi unum ſit. quam utiq; ſic probat Hippocrates. Quod unum eſt mutari non poteſt, cum in quod mutetur non habeat, cũ unũ ſit. qđ & ipſum inalterabile & immutabile eſt, Dolor aũt oĩs, mutatio atq; alteratio ſit eius qđ dolet corporis qua affici ſæpenumero atq; ẽt corrũpi & deficere hominẽ experimur. non itaq; unũ eſſe poterit qđ dolet. Tũ & alia itẽ rõne id amplius confirmatur. Qđ impatile eſt,

Lib. de humana. catu.

Hipp. lib. de vet. medo & lib. de nat. huma. Plato in Timæo Gal. 4. de sympto. causis. cap. 6. Libr. 1. de Phy. auditu. c. 3. textu. 16. & li. 5. methap. cap. 6.

dolore omnino uacare oportet, quod ad ipsam impatibilis naturam necessariò sequitur non enim & dolore affici & impatile esse simul potest quicquam cum passio quædam dolor sit, vt & Hippocrates, & Plato, & Galenus docuerunt. Igitur cum vnum ipsum impatile sit, omne autem impatile dolere non possit, dolet autem homo, sequitur profectò ex his necessario hominem vnum esse non posse, ex quo dolet. Quæ sanè demonstrationes cum ex altissima Platonis de vnius natura contemplatione assumptæ esse perspicue videantur, paulò plenius de hac re nobis cùm Platone & Galeno agendum erit. Scrutandumque quid vnum sit, & quæ illius natura, tum verò num qualitates vllas in se aut transmutationes suscipere possit quibus expensis planum fuit, quòd hic à Galeno de Hippocratis mente dicitur, à quo item de vnius natura tractationem sumpsisse Platonem iure arbitror. Ergo vt quid vnum sit sciamus (cum vnum Aristoteli multipliciter dicatur) multiplicitas hæc distinguenda nobis erit, vt de quo intelligatur hominem, vnum esse non posse sciri possit. Vnum igitur & secundum accidens & per se tale dici potest. tum vero, vt continuum, vt specie indifferens, vt genere, vt ratione, vt numero, vt indiuisibile, aut etiam vt vnum aliquid agens, vel patiens: quin & analogice vnum, quod simili modo se habet ad aliud. His enim modis omnibus vnum quippiam dici Aristoteles lib. Methaphysices quinto: & libro de Physico auditu secundo, apertissime censuit. Hic verò cum hominem vno constare non posse ex Hippocratis doctrina affirmat Galenus, de uno indiuisibili, simplicissimo, & cuius nullæ sint partes, qualitates nullæ, aut dimensiones: quodque in se nihil diuersum admittat intelligi vult, quo in significatu Hippocratem unum ipsum sumpsisse, libro de hominis natura exploratissimum ex eius eo loco demonstratione haberi debet. Cuius naturam latius atque sublimius inquirẽs Plato in eo dialogo qui Parmenides inscriptus est, seu de vno omnium principio, hanc esse illius naturam demonstrat, vt neque multa ipsum esse possit, neque partem esse illius aliquam, neq; totum ipsum esse oportere affirmat. quòd pars, totius pars sit: totum verò cui nulla pars desit. Quamobrem cum vnum quod est, multa esse non possit (repugnante ad id ipsa vnius natura) quod vero partibus constat, iã multa quodammodo est, nempè in partibus ex quibus coalitum est, vnum igitur partes habere non potest, cum vnum sit. Quin nec totum eadem ratione esse poterit cum partibus careat ipsum verò totum partibus integretur. Non solum autem partibus carere, quòd vnum est, debet: sed ne figuram admittere vllam potest, quòd figuram omnem siue rectilinea siue circularis sit, partibus constare oporteat. Circularis namque circunferentia & centro conficitur, Triangularis tribus lineis ad angulos iunctis, sic & quadratum, Pentagonum, Exagonum & reliquæ omnino figurę. Vt apud Euclidem libris primo, secundo, & tertio est videre. Quin vnum quod est, nec in aliquo esse, nec in aliquo fieri est necesse, vt idem autor probat. quòd si in aliquo aliquid fit: necesse est nondum in illo penitus esse, si quidem adhuc in illo continuè fiat: nec etiam extra illud prorsus extare si quidem in eo iã fiat. Si ergo aliud quicquam hoc patitur, id solum patitur cuius partes aliquæ sunt. partim enim in illo iam est, quod patietur, partim interim extra. Quod autem nullis partibus constat, nunquam in aliquo totum esse, ac totum simul abesse poterit. Quod vero neq; partes habet vllas, neq; totum est, multò magis etiam impossibile est, siue secundum partes, siue secundum totum alicubi fieri. Nec verò etiam moueri posse, aut locum mutare, non etiam quiescere, non alterari, non alteri aut sibiipsi idem esse: nec à seipso, nec ab alio quodã alterũ, non simile, aut dissimile, non æguale, aut inæguale, non in tempore esse, nec ob id aut iuuenescere aut senescere posse. eò quòd omnis mutationis & alterationis sit expers. vt mutationem illam quæ temporis decursu perficitur (quam ætatis in tempore progressum nominamus) excipere minimè possit. Atq; his omnibus rationibus efficitur, ut meritò illud dixisse Hippocrates sit visus, hominem, quia doleat, vnũ esse non posse, quod hoc loco repetit opportunè Galenus. Vt ostendat hominem & multa esse, & variis partibus constare, quas ad constitutionem artis medico scire sit operępretium. Quam utique rem ut firmaret, hisce demonstrationibus uti illi necessarium fuit. Vt ostenderet nihil quicquam, præter ipsum unum (nempè Deum, quem unius nomine, ceu singulari ac proprio Plato in Parmenide uocandum meritò censuit) alterationis, mutationis omnis, ac corruptionis expers esse posse. Quæ mens Galeni in hoc loco fuit.

Vnius proprietates.

Lib. de nat. hum.

Accedit

Accedit huic alia ratio talis: Si elementum vnum eſſet ſpecie, nihil in omnibus vnquam doleret. Atqui dolet, non igitur unum eſt elementum. Quoniam uerò de carne propoſita erat diſputatio, de illa diſſeramus. Si unum ſpecie, carnis elementum eſset, nunquam doleret. Sed dolet, non igitur unum ſpecie elementum carnis eſt. Eadem ratiocinatio alio modo ſimul induci poteſt. Si carnis elementum eſt impatile, non dolebit. Atqui dolet, non igitur eſt impatile. Tex.

Quæ hic dicuntur captu & explicatu facillima ſunt, ſi modo prius quid ſit elementum, & quid vnum ſpecie elementum intellexerimus. Cui rei abundè nobis Ariſtoteles ſatisfecerit qui elementum, id eſſe dixit ex quo quippiam componitur primo inexiſtenti indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem, id enim quod cuique primum ineſt, id eius rei eſt elementum vt conceptis verbis idem autor. lib. Methaphyſices quinto cap. tertio affirmat. vnum autem ſpecie id dicitur, eodem aſſerente Ariſtotele, cũ ſubiectum ſit ſpecie indifferens: indifferens autem, quorum ſpecies indiuiſibilis ſecundũ ſenſum eſt. Vt vinum vnum, aqua vna dicitur quatenus indiuiſibilis ſecundum ſpeciem eſt. vt eo loci exemplificat Ariſtoteles. Ergo vnum eſſe ſpecie elementum eſt, ex vno eodemque principio, ſeu materia conſtare indiuiſibili quidem ſpecie in aliam diuerſigeneris ſpeciem, quo pacto Philoſophorum nonnulli ex præcipuis, ex vno omnia conſtare dixerunt. Thales Mileſius ex aqua: quam rerum omnium principium facit: Anaximenes ex aere omnia fieri: Heraclitus atque Hippaſus Metapontinus ex igne quem rerum omnium principium ſtatuerunt. Anaxagoras ex homæomerijs id eſt ſimilaritatibus omnia conſtare aſſirmauit, Democritus Atomis. Vt lib. primo de Placitis Philoſophorum retulit ſcitisſime Plutarchus. Itaque vnum eſſe ſpecie carnis elementum, eſt carnem omnem vno tantum indiuiſibili ſpecie conſtare. nempè aut aquam eſſe omnem carnem tantum, neq; præterea aliud quicquam, aut aerem ignem, aut terram. Quod ſi ita ſit, nunquam profectò dolebit cum à quo dolore afficiatur non habet ex quo vnum eſſe ponitur, atque ob id inſectile, indiuiſibile, impatile, quid vero nec ſiccari, nec diuidi, nec pati poteſt, id omnino, vt doloris omnis ſit expers conſequens quidem eſt. Dolet autem caro, quod ſenſus ipſe demonſtrat, non igitur vnum eſſe poteſt carnis elementum. ex qua demonſtratione, quæ hic à Galeno ratiocinationis adducuntur. ceu è baſi firmisſima pendent. Si quidem ſiue vnum ſit carnis elementum, ſiue impatile, vtrobique procedit demonſtratio. Nam quod vnum eſt, quod item impatile, dolore tentari non poteſt. Cúm ſit dolor triſtis quidam ſenſus, & moleſtum pathos. vt in Timæo Plato, & Gal. lib. 4. de ſympt. cauſis. cap. ſexto. quod autem impatile eſt, ſenſus omni, eſt expers. Itaque nunquam dolore afficietur. Atque per hæc explicatam hanc partem commodè ſentio.

Com. — Lib. 5. methaph. c. 3. — Lib. 5. methaph. c. 6. — Cap. 3.

Quod ſi quis plura elementa eſſe dicat, non tamen alterationi ſubiecta, in hunc modum eadem ratiocinatio proferetur. Si carnis elementa ſunt impatilia, non dolebit. Sed dolet, non igitur impatilia ſunt carnis elementa. Prior itaque ratiocinatio, indiuiduorum, incompactilium, & minimorum corpuſculorum hypotheſim ſubuertit. Altera ſimilaritatum Empedoclis opinionem tollit. Etenim hic ex quatuor elementis corpora conſtitui, ſed quæ inuicem non tranſmutantur autumat. Nam citius ac ſperaueris, maximam eorum partem quæ quæreb as inuenies. Demonſtraui enim carnis elementa patilia eſſe oportere. Non igitur qui dolores fieri ſtatuunt in corporum illorum impatilium compoſitione, quæ iam elementa omnium rerum naturę tribuunt, vlla ratione propoſitum obtinebunt. Etenim nec intellectus, nec vllus ſenſus fidem facere poteſt, impatile dolore affici. Nam digitos ſi inuicem committas, rurſusque ſepares, nulli dolorem nec coniunctio nec ſeparatio concitabit. Si quidem dolor paſsioni coniunctus eſt. Textus.

Com.

EAdem planè ratiocinatio procedat, si quis plura elementa carnis compositionem ingredi dicat verum alterationi minimé obnoxia. Nam si talia sint quæ carnem instituunt elementa, impatilia esse ea oportet: quæ autem impatilia: doloris expertia sunt, non est autem caro doloris expers, cum dolore premi nõ raro cernamus, non igitur impatibilia erũt carnis elementa. Quibus ratiocinationibus cõstat, neq; ex indiuiduis & incompactibilibus corpusculis, (quæ atomos Græci uocant, corpora constitui posse. Vt Democritus & Epicurus existimabant, quæ prima erat hypothesis. Nec etiam Empedoclis opinionum constare posse, asserentis, ex quatuor quidem elementis corpora constitui, sed quæ tamen alterari aut transmutari minimè possint. quòd si sic, non vtique dolebunt corpora vnquam. cum dolor ex transmutatione & alteratione eorum quæ patiuntur corporum necessario oriatur. cum violentum pathos præter naturam in ipsis fit. Vt Plato & Galenus senserunt. Non igitur plura esse poterunt elementa si intransmutabilia sint, & inalterabilia quæ corpus instituunt. Vnde euersa censetur Empedoclis opinio: cum oporteat patilia esse carnis elementa, ex quo dolore caro tentatur. Nam neq; sensu nec intellectu percipi potest, quod impatile est dolore tentari posse, cum vt dolore tentetur, passionis capax sit oportet. Vt sensus demonstrat, omnis autem dolor cum passioni coniunctus sit, Passio autem omnis in sensu præditas partes & passionis capaces incidat, oportet quod dolet & passionis & sensus esse particeps. Atque hic iam capitis finis esto.

In timeo. libro. 4. de symp. cau. cap. 6.

## CAPVT OCTAVVM.

Cæterum nihil quod contiguum manet, afficitur, quoniam in his duobus passio consistit, alteratione quæ per tota accidit, & continuitatis diuortio.

Com.

DIxerat sub finem præcedentis capitis Galenus, commissos digitos, rursusque separatos dolorem minime inferre, quod ita intelligendum venit, si modo ea vel separatorũ coniunctio, vel coniunctorum separatio mutuo & imperio voluntatis citra vim fiat. Nam quæ præter nuturam & voluntatis ductum fit, vel cõmissio vel diductio digitorũ, dolorem certè infert quod manicæ ferreæ & compedes facinorosis alligatæ demonstrant. Id confirmare volens Galenus, mox initio capitis subdit eius rei causam esse, quòd quę contigua manent minimè afficiuntur, tantum abest vt dolore tentari possint cũ dolor in alteratione ea quę & præter naturã, & per tota violento motu incidit & cõtinui solutionem cõsistat, quorũ neutrũ cõmissis inuicẽ digitis aut diductis ad eum, quẽ exposuimus sensum euenire videmus. Atq; hic locus cũ duo explicatu dignissima cõtineat, altiore indagine erit perscrutandus. Primum illud, Num nihil quicquã quod contiguũ manet affici possit, qđ non fieri posse affirmat cõceptis verbis Galenus. Alterum an dolor in alteratione quæ per tota accidit & cõtinui solutione consistat, vt perpetuò Galenus & Medici feré omnes an in sola alteratione tantum vt Auerrous voluit. Primũ vt discutiamus quid cõtiguũ sit, nosse operæpretium fuerit. Ergo id contiguũ esse Aristoteles censuit, qđ cũ cõsequenter est, tangit. Ea aũt dicuntur tangere, quorum extrema sunt simul, vt lib. 5. de Physico auditu num. 14. Veteris uersionis idem autor protulit. Continuũ autem id vult esse, cum vnus & idẽ fiat vtriusq; terminus quibus tangunt. & vt significat nomen, contineatur. Vt eodem ipso loco habetur. Contiguũ igitur siue attiguum est (ut recte Themistius, fidus Aristotelis Paraphrastes interpretatur) qđ rẽ aliquã consequitur proxime atque positione, quodq; præter hoc, habet etiam terminum cum termino illius atque extremitate coniunctum. Horum alia solo nomine adhibita, proxima & attigua nuncupantur, ut præteritum dicitur proximum & attiguum futuro. Alia ipsa re tangunt, ut corpora, tangunt autem ea, quórum sunt simul extrema. Extrema porrò, terminos & limites uocare oportet. Cum itaque duorum corporum extrema sic committuntur, ut simul sint, tunc habere se illa mutuo atque contingere & consequi uere dicenda sunt. Nec tamen propterea continuantur, sed cum duo illi corporum exitus coalescunt & uniuntur, tunc molis una & con-

Lib. 3. colliget cap. 21. Lib. 5. Physic. c. 3. nume. 29. vet. trad.

lib. 5. phis. capi. 3. nu. 19 vet. tra. Lib. vbi supra. nu. 24.

tinua

tinua redditur. Quid igitur sibi velit hoc loco Galenus cum ait, nihil quod contiguum ma-
net affici? Siquidem in corporibus quæ sese tangunt & attigua sunt, ea simul vno eorum
quodammodo affecto, & aliud illi proximum atque contiguum affici experientia cerni-
mus. Phlegmone namque altero digitorum tentato & proximum illi digitum coaffici ex-
perimur. nempè & in tumorem per viciniam attolli, & dolore itidem opprimi. quod per
sympathiam & mutuum partium consensum fieri iure dicimus. Nedum verò contigua af-
fici experimur, sed & distantissima quoque. oblesione namque in pede imo oborta, ingué
dolere distantissimam a parte affecta sedem videmus vt & Calenus etiam affirmauit. Præte-
rea cum quæ se tangunt & proxima sibi inuicem sunt (quæ contigua appellant omnes) cum
affectui excipiendo contractu ipso & vicinia atque affinitate maximè idonea sint, quid illa
coafici prohibebit? Adde quòd si distãtissima in affectum deduci videmus, vt caput ab vte-
ri affectibus, an non magis quæ sedi affectæ contigua sunt id patientur? Nam si de quo mi-
nus videtur inesse inest, ergo & id de quo magis per regulam ab Aristotele positam. Sed lib. 2. top.
minus rationabile videtur, partem distantissimé positam affici: afficitur autem, vt experien
tia monstrat, & testatur Galenus, multò igitur magis proxima & attigua pars affici debe-
bit contra quam hic senserit Galenus. qui nihil quod contiguum manet affici affirmauit.
Inueniendus itaque nobis modus aliquis erit, quo cum á falsi crimine & calumnia vindice li. 3. de sym
mus cum sint antiquorum placita (eodem admonente Galeno) amicè magis & candide in pt. caus. c. 5
terpretanda, quàm morosè redarguenda. Dicendum igitur non absolutè locutum fuisse
Galenum cum id dixerit, nihil quod contiguum manet affici. id enim si nudè proferatur,
& sine adiectione aliqua, falsum profectò inuenietur. ijs quas antea attulimus rationibus,
verum ita interpretandum Galeni dictum erit, vt voluerit contiguum nunquam affici pri-
mario scilicet affectu qua tale est & per idiopathiam vocatam, quod & verum est. Nam con
tiguum cum à contractu nomen sortiatur & contingenti se proximum sit, efficitur vt vna
cum illo coaficiatur si ita contigerit vt vicinum illi membrum primario affectu vno aliquo
tentetur tum enim noxa ad contiguum communicatione facta transmittitur. quod est per
consensum affici. Itaque contiguum, affici quidem per consensum & sympathiã po-
test qua tale est: per prothopatiam autem non potest. Semper enim contiguum qua ratio
ne ad aliud consequens est, & illud tangit (vt vult Aristoteles) posterius affici oportebit lib. 5. Phis.
quàm id quod primò afficitur. Sit igitur hæc recta dicti Galeni interpretatio vt illum ab er- cap. 3
roris crimine vindicemus. Et ad enodandam de causis doloris quæstionem accedamus.
Duas porrò in vniuersum esse doloris causas Galenus vbique prodidit. nempè, vel vnita- De doloris
tis solutionem, vel intemperaturam inæqualem parti obuenientem. Vnde in arte medici- causis quæ-
nali eam de hac re protulit idem autor sententiam Dolor (inquit) quemcumque obsederit stio grauis
locum aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Cui similem pro- sima.
priè multis alijs in locis protulit sententiam. nempe, lib. 4. de sympto. causis. c. 6. 12. & 13. Cap. 8. no-
methodi. & libro de inæquali intemperatura: & lib. de Elementis secundum Hippocratem: ne uers.
Libro item secundo de rat. vict. acutorũ. Com. 1. & lib. 7. de Hippocratis & Platonis decre
tis. quibus in locis omnibus, duas statuit esse quas supra memorauimus dolorum causas cui
itẽ Arabs Auicenna Fen secunda primi Canonis doctrinæ secundæ c. 19. suppetias tulit, ea-
dẽ quæ Gal. sentiens. Quin & vniuersa medicorum scola. vno excepto Auerroe idẽ sentire
communique consensu videtur. vnus autem Auerrous diuersum omnino sentire conceptis
planè verbis est visus dum libro collectionum Medicinalium tertio (quem colliget vocãt Cap. 21.
de doloris causis expresso agens, continui solutionem doloris causam non esse, affirmare
aduersus Galeni placita & experientiæ fidem sed futilibus & uanis rationibus nititur. Cu-
ius ego insanam opinionem ut euertam, illud objicere insulso homini visum est, quod Ga-
lenus ijs qui sensibus fidem abrogant, obiecit fatuos eos & insanos nũcupans. Qui (inquit) li. 2. de mo-
euidentibus diffidit, insensatus est; qui uerò de dubijs promptè enunciat, temerarius est. tu musc.
qui uerò quæ clara sunt suspicatur & ea etiam confutanda censet, extreme fatuus est. Hæc
Galeni lib. Secundo de motu musculorum aduersus eos qui ea quæ sensibus apparent in du
bium reuocant egregia sententia est. Quamobrem cum hoc loco Auerrous ijs quæ mani-
festissima sunt reluctetur, minime certe in suo dogmate approbandus sequendus ne erit. li. 3. de Pla
Sed quando ex Galeni decreto, aliorum sententiam refellere uolenti, opus est eius ratio- ci. Hip. & Plato.
nes

nes in primis qui refellendus est adferre: eas deinde efficacibus rationibus scientiam pariētibus confutare, id nos obseruantes præstabimus. Ait autem Auerrous, Et solutio continuitatis non est causa doloris sicut dicit Galenus. Sed solutio continuitatis est causa complexionis quæ facit dolorem quod est quia solutio continuitatis est cum malo motu: & conueniens est vt talem motum sequatur mala complexio. Hæc Auerrous aduersus Galenum. Sed quàm inepta sit eius ratio palam nunc faciemus. Siquidem solutio continui causa est, intemperaturæ (quæ sola vt vult Auerrous dolorem facit) oportebit necessario vbicunque adsit continui solutio, ibi quoque & adesse intemperiem. Nam idem & similiter se habens semper, idem natum est facere ut Aristoteles affirmat. Quamobrem, si continui solutio tanquam causa intemperiem creare solet (vt Auerrous existimat) necessarium quidem erit posita solutione continui consequi confestim ac gigni intemperaturā quod tamen veritati ipsi ac experientiæ aduersatur cum pleraque vlcerum absque vlla intemperatura partis constare videamus: esset autem necessarium omnibus ex æquo vlceribus intemperiem adiunctam esse, si intemperaturæ ipsius, continui solutio causa esset si quidem vel Aristotelis testimonio cum causa agens & effectus in actu simul sint (vt lib. secundo de Physico auditu is ipse protulit) posita in actu continui solutione, necessarium quoque erit mox intemperaturam tanquam illius effectum consequi & simul cum ea coniungi. cum posita causa necessario poni effectum oporteat de efficiente causa loquor. Adde quòd si omni continui solutioni necessariò intemperatura adiungatur, vt vult Auerrous, nullum vnquam erit vulnus simplex sed composita erunt omnia. quod veritati ipsi & sensuum iudicio repugnat. traditque Galenus & omnes, curandorum simplicium vlcerum methodum. vt lib. tertio & quarto methodi medendi est videre. Nec vllius momenti est quæ ab Auerroe adducitur eius rei probatio, cum ait, cōtinui solutionem cum malo motu quotnam esse quem consequatur mala complexio vt ipse loquitur. Nam & si verissimum est, continui solutionem cum malo motu esse, vt per quem vnitas partis dissoluatur, non tamen is motus malæ alicuius intemperaturæ causa est. nec illam (qua ratione continuum soluit) parere potest. Si quidem cum temperies omnis in symmetria partis posita sit (vt concors est medicorum omnium sententia) intemperiem omnem in ametria positam esse ratio necessariò conuincit. Atqui cum ametriam omnem in excessu qualitatum elementarium sitam esse confiteantur, & Philosophi & Medici omnes, Hanc autem tantum ea gignere nata sunt, quæ vel in calore, frigiditate, humiditate ac siccitate temperaturæ limites transgrediantur: consequens certè est, vt quod immodicè calfacere, refrigerare, siccare, aut humectare aptum est, id intemperaturā creet bonamque temperiem euertat. At verò continui solutio suapte natura nihil tale facere apta est, (solum modo enim quod vnitum atque continuum erat dissoluere potest, secando pungendo, contundendo, frangendo, lacerando cōminuendo vrendo alijsq; (si qui sint, solutionum modis) efficitur profectò, vt solutio continuum ex se nunquam intemperaturam creare possit. nisi tum, cum ad illam in partem vulneratam humorum confluxus fit qui vel inflammationem, vel intemperiem vnam aliquam in parte gignat pro ratione influentis in partem humoris. Quomodo enim (quæso) solutio continui intemperiem creare possit cum distantissimi generis vtraque sint? Alterum enim in sola partium diuisione consistit quod genus ad vitiatam quantitatem, discretā situm, & figuram deprauatam pertinere scimus (quæ omnia in continui solutione eueniunt) Alterum uerò, in qualitatum excessu. nempè intemperies omnis, quam profecto nec deficiens excedensue numerus, nec deprauatus situs, aut corrupta figura, gignere ex se nunquam possunt. cum hæc ad organicas partes propriè: illa ad simplices tantum partes pertineat. vt Galeni in arte medicinali & libris de morborum differentijs & mille alijs locis sententia est. Nullius itaque momenti Auerrous ratio erit. vt hac ratione, quæ vim demonstrationis habere potest, ostendisse me arbitor. Reliqua eiusdem de hac ipsa proposita re malè sentiētis euertere iam annitamur. Pergit idem vbi Galenum se vicisse falsò existimat, in Auicennam stylum acuere his verbis. Nec sunt ēt doloris causæ duæ res simul, videlicet solutio continuitatis & caliditas & frigiditas sicut dicit errans Auicenna. Quod est, quia declaratum est iam in libro de anima, quod iste sensus sentit primò inter sensus omnes scilicet quatuor qualitates, hoc est, calidum, frigidum, siccum & humidum. ergo dolores non fient nec sentientur ab eo sensu nisi quando multum

superabunt

Prima ratio aduersus Auerroem.

lib. 2. de gener. & cor. c. o. nu. 34 vet. trad.

Secunda ratio.

lib. 3. colliget c. 31.

ſuperabunt ſua propria ſenſata: ſicut accidit alijs ſenſibus. Similiter quia oculus non dolet niſi propter ſuperfluitatem colorum quando exeunt viam temperatam aut mediam: & ſic lingua cum ſaporibus, auditus cum ſonis, & odoratus cum odoribus. Et ſi accideret huic ſenſui tactus dolor propter ſolutionem continui tunc eſſet ſuum proprium ſenſatum ſubſtantialiter ſolutio continuitatis ſolum. Et ſicut oculus dolet propter ſuperfluitatem colorũ: propterea quia ſuum ſenſatum eſt de genere colorum, & non res quæ ſit contraria colori ſed ſolutio continuitatis eſt propter quam accidunt qualitates ſuperfluæ: & anima ſenſibilis non eſt niſi ad qualitates. Hactenus Auerroes. qui tam multa inſulſa & temerè prolata hac dictione colligit, vt pudeat à tanto viro tam, à ratione aliena, & à veritatis via abhorentia, odio magis quàm iudicio eſſe ſcripta. Huius nos ſeriem omnem expendemus, vt in quibus hallucinatus ſit, & quæ falſa protulerit, veri amatoribus oſtendamus. Quę rectè commentarium ratio omnibus propoſita eſſe debet, vt non liuore aut odio, aut oſtendendi ingenij cauſa, famæuè aucupandæ, quicquam proferamus, ſed vnius tantum indagandæ veritatis & proferendæ ſtudio omnia faciamus Auicennam ergo conuellit Auerous quòd doloris cauſas, res duas eſſe exiſtimarit, videlicet, continui ſolutionem & caliditatem aut frigiditatẽ. Rectiſſimè certè, & ad Gal. ſenſa à quo dogma hoc Auic. ſumpſit, id ſenſiſſe eſt viſus idẽ autor. qui de ea re ſermonẽ inſtituens, ad hunc modũ ſniãm protulit ſuam. Oẽs (inquit) doloris cauſæ in duobus comprehenduntur generibus: ſcilicet genere mutationis complexionis citò factæ & eſt malitia cõplectionis diuerſæ, & genere ſolutionis cõtinuitatis. Hæc Auicẽnæ ſnĩa, ipſiſſimis eius verbis à nobis expreſſa qua certè nihil verius, nihil ad Hippocratis, Platonis, atque Galeni mentem accommodatius dici quicquam poteſt. Siquidem Hippocrates, ab ijs quę naturam noſtram euertunt atque corrumpunt dolores creari meritò dixit. Euertunt autem & immodicæ intemperaturæ affatim corpori occurrentes (quod vrentes febres, & ardores tum & congelationes atque immodici rigores demonſtrant) vt à quibus mors ſæpenumero ſubſequatur. vt experientia docet tum verò etiam, vulnera grãdia & lethalia, maligna vlcera, abſceſſus, contuſiones validæ, fracturæ, luxationes, & cæterę ſolutæ vnitatis differentiæ, indicant à quibus certè, naturæ noſtræ euerſio fit vt experientiæ fide docemur an non igitur ad Hippocratis ſapientiſſimi mentem locutus fuiſſe tum Auicenna eſt viſus, dum a ſoluta vnitate & mutatione temperaturæ citò factæ dolorem omnem creari affirmauit? Sed quid nonne etiam Platoni congruentia dixit? qui, ab ijs quæ præter naturam & affatim, hoc eſt violenter & citato motu occurrunt, dolorem creari in in Timæo affirmauit? Ididſum quoque Auicenna cum ait, in genere mutationis complexionis citò factæ (quod eſt affatim, violenter ac de repente) dolorem fieri. Quæ & eadem confirmauit ex Hippocratis & Platonis ſenſis Galenus. Iniquum itaque facit hoc loco Auerrous, falſi Auicennam inſimulans, cum & vera, & ad probiorum autorum ſenſa de doloris cauſis ſtatuerit, experientia ipſa illius opinionem cõfirmante. Quæ (Galeni autoritate) normæ vice ſemper habenda eſt eorum quæ vel ipſi facimus vel ſcribimus, Sed iam ad ea quæ ad ſua munienda caſtra ingerit idem Auerrous aduerſus Auicennam veniamus. Declaratum eſt (inquit) in libro de anima quòd iſte ſenſus ſentit primò inter ſenſus omnes, ſcilicet quatuor qualitates hoc eſt, calidũ, frigidũ, ſiccũ & humidũ. Ergo dolores non fient nec ſentiẽtur ab eo ſenſu niſi qñ multũ ſuperabũt ſua propria ſenſata ſicut accidit alijs ſenſibus. Hæc Auerrous, ſed quàm rectè diſpiciamus. Ait in lib. de ani. explicatũ eſſe ſenſũ tactus inter cæteros ſenſus oẽs qualitates primas vocatas primò percipere concludit ex eo poſtea (ſi res ita ſe habeat) dolores non fieri nec ſentiri ab eo ſenſu, niſi cum valde exceſſu ſuo ſuperauerint eę qualitates. Primũ quod velit ſenſum tactus qualitates elementarias primas præcipuè & primo diſcernere haudquaquã admitti facilè debet. cũ ſenſus tactus non ſolũ has ipſas qualitates, calidum, frigidum, humidum & ſiccum pro obiecto habeat vt viſus colorem auditus ſonum, odoratus odorem, guſtatus ſaporem: Sed & omnes alias qualitates quæ primæ non ſunt ex æquo percipit mollitiem, duritiem, aſperitatem, lenitatem, leuorem, ſcabritiem, grauitatem, leuitatem, denſitatem, raritatem & quicquid obuiare huic ſenſui poteſt à quo affici eum pro varietate & ratione rei obiectæ contingit. atque ob id meritò ſenſum hunc in homine externorum ſenſuum omnium perfectiſſimum eſſe Ariſto. prodidit quod & eo ſenſu omnium animalium prudentiſſimum habeatur; & eo ipſo animalia cætera

Defenſio p Auicenna aduerſus Auerroum. Fen 2. primi doct. 2. cap. 39.

libro. 4 de ſymp. cauſ. cap. 6

lib. 5. de ſanit. tu.

Cõfutatio Auerrois.

Ariſt. lib. 2. de ani. tex. com. 107. 108.

lib. 2. de ani. text. cõ. 94.

cuncta

cuncta superet. cum ab his ipsis in reliquis sensibus magno interuallo vincamur. Siquidē nos linx visu, aper auditu, odoratu canis superat. Itaque cum perfectissimus sit hic in nobis sensus atque exactissimus, non solum quatuor illas qualitates primarias dictas : sed & omnia ex æquo quæ sensum hunc quoquo pacto afficere possunt, ea percipiet atque ob id summa certè ratione Galenus sensum tactus in sua functione plurimas sensiones habere priumque & insigne symptoma obtinere (nempè dolorem) dixit: non ergo vnica tantum erit huius sensus qualitatum primarum scilicet sensio, sed omnium eorum quæ (vt dictum antea est) afficere ipsum possunt. Quamobrem & si verum est (quod hic ait Auerrous) dolorem non fieri nec percipi ab hoc sensu nisi cum vehementer quæ occurrunt temperamenti limites excesserint non inde tamen concludi oportet, dolorem omnem in hoc genere excessus qualitatum consistere cum & fieri sæpenumero videamus vt à contundentibus, frangentibus, vulnera inferentibus telis, dolor oriatur qui ad nullam qualitatum elementarium rationem referri vllo pacto possit qualis doloris erat quem se in scapulis sensisse, cum de dolore Apponensis conciliator scriberet, testatur qualem item ex plurium animātium vicus vaculantium morsu creatum dolorem est experiri in quo nullus elementarium qualitatum excessus apparet & tamen vi sua noxia, & tota sua vocata substantia maximè lædit lethalemque plerumque noxam infert. Non igitur dolor omnis in harum qualitatū excessu iure reponendus est, vt falsò hoc loco existimat Auerrous, & nos abundè validis rationibus id impugnauimus. Sed iam ad reliqua eius autoris de hac re conuellenda pergamus. Similiter (inquit) quia oculus non dolet nisi propter superfluitatem colorum quando exeunt viam temperatam vel mediam: & sic lingua cum saporibus, auditus cum sonis, & odoratus cum odoribus. Hactenus Auerrous.

libro. 3. de sympt. diff. c. eodem.

D ff. 77

Cōfutatio rationum Auerrois.

Oculum non dolere nisi ob excessum colorum visum lædentium vt falsissimum est, sic admitti à veri amatoribus minimè debet. vna quidam dololoris oculorum causa, colorum oculi temperiem euertium nimietas esse meritò solet. vt albedinis nimiæ visum disgregrantis, ut per niues ambulantibus accidere solet: tum & tenebrarum, quæ caligine & obscuritate visum hebetantes visorium spiritum eneruare & oculi temperiem euertere possnnt. At verò cum oculus phlegmone tentatur, ob idque dolore afficitur, distentis vtique ab influente humore eius membranis, oculoque ipso intemperato & incalescente: cum item à rebus externis fortuitò occurrentibus læditur, ex casu, offensione, vulnere, contusione atque similibus dolorem inferentibus, tum profectò dolor à talibus causis profectus, non excessu colorum (qui nulli tum oculo sese ingerūt: cum vix cernere quicquam possit vt in ophthalmijs grauibus est videre) sed ab intemperie partis, & vnitatis diuortio, distentis vtique ab humoris influxu oculi tunicis prouenit. Falsum igitur est quod hic ab Auerroe dicitur, oculum non dolere nisi propter superfluitatem colorum cum pleræque sunt aliæ dolorum oculi causæ præter illam quæ ab ipso adducta est. vt superiore ratione dem onstrasse mihi sum visus. videturque mihi Auerrous ea particulari vniuersale concludere cum velit ex vna tantum dolorum oculi causa, in vniuersum de omnibus concludere quod absurdum in Dialecticis semper vel Aristotelis & ipsiusmet Auerrois testimonio habitum est. Et præterea cum id quod assumit ad suam firmandam opinionem falsissimum ostensum sit, nempè oculum non dolere nisi ob colorum excessum concedit omnis quæ falso innititur fundamento ratio.

lib. Prim. analyt.

Pergit insuper & alia ratione idem autor, probare volens à continui solutione dolorem effici non posse. Et si accideret (ait) huic sensui tactus dolor propter solutionem continuitatis, tunc esset suum proprium sensatum solutio continuitatis substantialiter solum. Et sicut oculus dolet propter superfluitatem colorum, propterea quòd suum sensatum est de genere colorum & non res quæ sit contraria colori. Sed solutio continuitatis est propter quā accidunt qualitates superfluæ: & anima sensibilis non est nisi ad qualitates.

Miris modis hablucinatur hac parte Auerrous non intelligens sensus tactus non vnicam tantum esse sensionem vt reliquorum sensuum qui vnicam tantum habent illis à natura tributam, vt ipsius visus colorum perceptio, auditus sonorum, gustus saporum, odoratus odorum sensio est illis sensibus naturæ lege dicata & præter illam nullam aliam habere deprehenduntur. At sensus tactus (quod rectè sensit Galenus) plures profectò sunt sensiones

libro. 3. de sympt. diff. cap. 3

nes vt & experientia monstrat & conceptis verbis summus Philosophorum Aristoteles libro de anima secundo. Itaque non solum qualitates illæ elementariæ primæ, sensatũ erunt idest obiectum tactus (vt malè putat Auerrous) sed & qualitates secundæ, & quæcunque sensum hunc afficere occurrentia possunt illius obiectum erunt. Cumque quæ vulnerare, contundere, disrumpere, erodere, aut alioqui oculi continuitatem soluere possunt: ea quidem omnia ipsius oculi, vt sensu tactus præditi, non autem vt visorij instrumenti obiecta etiam propria erunt. Nam cum dolet oculus, non vt visionis instrumentum propriè dolere dicitur: sed quod sensu tactus præditus sit vt his verbis bellissimè est à Galeno libro de Symptomatum differentijs explicatum. Maximi (inquit) dolores in sensu tactus percipiũtur. Etenim vehemens dolor quo in auribus ob Phlegmonem, aut alium quempiam affectum torquemur, non ad sensum auditus, sed ad tactum propriè pertinet: Quippe qui omnium sensuum instrumentis communis est: quum aliorum quatuor quilibet, suo duntaxat instrumento contentus sit. Ita in oculis subinde vehementes dolores excitantur. Ita in oculis subinde vehementes dolores excitantur, sensu tactus in ipsis laborante. Hactenus Gale. Quám exactè hac serie Galenus ostendat dolorem accidere sensorijs, non vt propriorum obiectorum sensoria sunt, sed prout sensu tactus prædita sunt: ad quem planè sensum symptoma id quod dolorem nuncupamus propriè pertineat, perspicuum cuique esse potest. dum ex professo ait dolorem qui auribus obuenit non ad sensum auditus sed ad tactum propriè pertinere. Sic & in oculis, qui in ipsis dolores percipiuntur atque excitantur, sensu tactus in ipsis laborante (qui communis omnium sensuum instrumentis est, vt & hoc loco affirmat) non sensu visus excitari ac fieri pro indubitato haberi vult. Illud vt intelligamus dolores qui sensuum instrumentis accidunt, non vt obiectorum suorum sensorijs proprijs obuenire, sed quatenus sensu tactus prædita omnia sensoria sunt, accidere. quòd vel Aristotelis testimonio, hoc sensu præditum per omne corpus animans omne esse oporteat, & hoc destitutum mori. Itaque dicendum ipsius sensus tactus, sensatum etiam esse (vt hic vocat Auerrous) hoc est obiectum, ipsam solutam vnitatem: non solum qualitatis illas elementarias primas percipit enim tactus continui diuisionem non tanquam calidum quid, frigidum, humidum aut siccum: sed tanquam quid à natiua partium vnitate dissitum atque solutum quod partium separationem faciat quod si animaduertisset Auerrous non in hunc scopulum impegisset. Nec verò rectè ratiocinatur, cum ait, si eueniat dolor in sensu tactus ob solutam vnitatem, sequi, vt ea sit sensus tactus suum proprium sensatum substantialiter solum (sic enim loquitur). Nam sensus tactus non vnicum tantum habet obiectum instar reliquorum sensuum, sed plura habere dicitur. nempè qualitates primas & secundas tum verò etiam quæcunque quouis modo continuum soluere queunt quæ tactui occurrentia illũ offendunt eaque offensione (si vehemens sit, & affatim illata) dolorem creat. ac proinde Aristoteles atque Galenus huius sensus tactus plures esse sensiones indubie affirmarunt quod & nos supra monuimus.

Tex.Com. 107.108.

Cap.3.

li.3.de ani. tex.Cõ.67.

li.2.de ani. tex.comm. 107.108.

Quod verò subdit continui solutionem esse propter quam accidunt qualitates superfluę quas doloris causas esse vult, non ipsam solutam vnitatem, falsus esse in hoc deprehenditur. Nam & si ad solutam continuitatem sæpenumero intemperaturæ variæ subsequantur, non tamen ad omnem solutam vnitatem id sequi necessarium est. Cum pleraque vulnerum simplicia sint, nulli intemperatura coniuncta vt Galenus & omnis Medicorum atque chyrurgorum schola docet & experientia fidem facit. Alioqui oporteat vulnera omnia composita esse, nec vllum reperiri simplex, quod & autorum sententijs & experientiæ ipsi repugnat.

Gal. lib. 3. de sympto. diff. cap. 3.

libr.3.met. Auicenna. feu.4. 37. Guido Cauh.tract.de vulnere simpl.

At verò, illud quod ait, animam sensibilem ad qualitates esse, si per qualitates, elementarias tantum vocatas intelligit (vt intelligere velle videtur,) suam opinionem secutus, falsus profectò hac parte erit. Cum anima sensibilis (hoc est ea quæ naturæ lege sensorijs vim sua cuique propria obiecta discernendi facultatem tribuit) non solum qualitates percipiat, & in illas feratur, sed & in substantiam, quantitatem, locum, actionem & passionem (quæ prædicamenta a qualitate seiũcta toto genere sunt vel Aristotelis testimonio) in ea inquam fertur anima sensualis. Videns enim quis ingentem arborem, & plantam esse, & ingentis magnitudinis iudicat. idque non solum rationis iudicio sed etiam sensus. Sic locũ, & actionem

Vigonius c.eodem

nem

nem talia esse percipit quæ tamen qualitatis non sunt cum distincta sint ab illis genera vt cuique perspicuum est. &, vt vno uerbo dicam, ad ea omnia quæ offendere illum possunt, uel etiam oblata in actum ducere sensifica anima fertur. siue ea substantiæ sint, seu actiones, passiones, motus, & cætera eiusmodi quæ in albo qualitatum reponi ex Aristotelis sententia minime possunt.

lib. Prædicam.

Atque hæc ad confutandam hanc Auerrois, de doloris causis opinionem satis sint. Quæ non ego profectò, calumniandi tanti uiri studio, aut ingenij ostentandi: Sed magis proferendæ ueritatis amore in medium, doctorum hominum arbitratui censenda iudicandaque attuli, ut Medicorum sanctissima placita, ueritatis & experientiæ robore firmata, aduersus Medicorum cotem (sic enim Auerrous suopte merito appellatus est, quòd perpetuò ut cotes ferrum attritu, sic & Medicorum ingenia hic suis contradictionibus acuit ac infestat) defenderem sed ut cotes ferrum acie acutius reddit, mollior ipsa cum sit, sic profectò uerendū ne ab Medicorum ingenijs cotis attritu exacutis, cotes ipsa tandem ferri grauitate & acumine atteratur. Summum fuisse Philosophum Auerroem & primas post Aristotelem in Poenorum schola tenuisse partes, ut fatendum est, sic perinde bonum fuisse medicum minime admittendum. Sed iam ad Galeni seriem explicandam reuertamur.

Textus.

Cum igitur nihil complexus aut seiunctio exactè patilibus doloris afferat, quomodo impatilibus attulerit? Quare nec Asclepiadis corpusculum incompactile ac fragile dolebit dum frangitur. Nam sensibus caret. vnde nec vllum magis eo dolorem ex ijs quibus afficitur percipiet cum sensus sit expers, vti os, cartilago, adeps, ligamentum & crines. Etenim hæc omnia afficiuntur, sed non dolent, quia nec sentiunt. Quicquid igitur dolebit, patile ac sensu præditum esse oportet quanquam ex sensibilibus primis nec etiam sensibile, sed patile solum esse sufficit quoniam aliquando sensibile fieri poterit, si immutetur altereturque.

Com.



IN Epicuri & Empedoclis euertenda de corporum constitutione sententia, totus præcedenti capite fuit Galenus ex Hippocratis dogmate ostendens, neque ex atomis, vt Epicurus volebat, neque ex similaritatibus, vti Empedocles, constare vllo pacto corpora posse ex eo quidem quòd cum sensu omni careant corpuscula Epicuri illa indiuidua ex quibus componi nostra corpora putat, neque dolore tentari posse consequens certè est. cum nihil quod sensus sit expers dolere vsquam possit. cum nulla mentis aut intellectus solertia nec sensus vllus concipere illud possit quod impatile sit dolore affici. cum dolor graue pathema sit molestię sensum inferens. Nunc verò hac serie rursus eorundem conuellens opinionem arguit eos proposito aut potius repetito exemplo de complexu aut seiunctione digitorum de quo sub præcedentis capitis finem meminerat. Nam si committere aut diducere digitos nihil ipsis quidē digitis patilibus partibus doloris adfert, multò certe minus impatilibus partibus dolorem inferre poterit. Equidem, si de quo magis uidetur inesse & non inest, neque id de quo minus iuxta Aristotelis in topicorum libris regulam. Quamobrem etiam si corpuscula illa incompactilia Asclepiadis ex quibus constare corpora nostra asseuerabat, aut frangantur, aut secentur contundanturue, nunquam profectò dolebunt quòd sensu omni careant. Affici quidem isthæc possunt pro vario eorum motu ac dispositione: dolere tamen nequicquam possunt. perinde atque os, cartilago, copula, & adeps quæ affici quidem ipsa uidemus: dolore tentari nunquam experimur quòd sensus sint expertia. Quicquid enim dolet & passionis capax esse, hoc est patile esse & sensu præditum esse oportet. Nam cum sit dolor tristis quispiam ac molestus sensus, quomodo dolere unquam poterit quod sensu destitutum est? Cum de essentia dolentis partis sit ut dolorem percipiat quod sine sensu fieri minime potest. Hoc igitur præditus esse quæcunque doleant partes necessarium quidem est. tametsi

vt dolore tentari pars possit abunde fuerit patilem esse etiam si non omnino sensoria sit ii-est ii non exacto sensu prædita. Etenim alteratione immutationeque tales fieri poterit. Nō ergo Asclepiadis opinio stare poterit.

At quia innumeræ alterationes ac temparaturæ elementorum fiunt, infinitæ quoq; erunt particularium corporum propriet.tes, iuxta quas nihil absurdum fuerit nulla insensoria fieri, atque ex ijs quæ sentiunt aliud magis aliud minus sentire. Iam verò elementa vno plura necessariò esse quæ alterari natura possunt, clarè demonstratum est ijs, qui, vt paulò antè diximus, in parato omnia habent. vnde Scientiam comparare posśint. Qui verò eò stupiditatis veniunt, vt ne quidem an methodus quędam demonstrandi sit, prius dignentur inquirere, vel ab alio discere, vel sese in ea exercere, ijs sanè hic Sermo non est communicandus. Neque enim contendendi cum aliis, aut vincendi, sed veritatis ipsius inueniendæ desiderio ad hanc disputationem descendimus. Nam indoctas illorum opiniones uolet redarguere, is Librum quem de elemētis ex Hippocratis sententia inscripsimus, seorsum sibi legendum proponat. Textus. Galeni syncerit as.

DIxerat proximè Galenus quod sensu esset destitutum, sensile quandoque fieri posse si alteretur, immuteturque, ei dicto rationem subtexens, ait, vt innumeræ sint elementorum in corpore temperationes alterationesque, sic & varias quoque ad id sequi particularium corporum proprietates de quibus paulò altius nobis est texendus sermo, id vt inuestigemus, quid proprietas sit, & cur cuique sua insit. Nam etiam proprietates corporis omnes, elementorum in corpore temperaturam sequantur. Hæc enim & scitu per iucunda sunt, & ad dictorum Gal. intelligentiam pernecessaria. Porrò proprietatem inde dictam volunt, quòd rei cui inest propria, ingenita, peculiarisque sit. eiq; maximè conueniat. vnde scientissimi Philosophorū proprietatem esse censent qualitatem quandam ac certam quæ substantiam eam cuius est necessario consequatur, illique ita coniuncta sit & copulata, vt ab ea diuelli nunquam possit. sed eam perpetuò comitetur. Id enim verè proprium dicitur (si quid Porphyrio creditur) quod omni eius speciei substantiæ, soli, & semper conuenit. vt risibile hominis proprium esse: & hinnibile equi, pro comperto habitum est. omni namque homini atque soli à natura tributum est vt ridere queat, idque omni tempore prout & hinnire omni æquinæ speciei atque soli etiam ac semper conuenit. Iraque ea cuiusque rei proprietas erit quæ ei maximè conuenit oriturque proprietas hæc ab ipsa rei substantia atque perfectione cuius meritò talis vel talis qualitas illi insita à natura est, quæ illam nunquam deferat, sed perpetuò adsit nec diuelli vsquam ab ea potest. Varias autem esse proprietates huiusmodi, pro cuiusque naturæ atque substantiæ ratione, vnum est ex publicè tum in Medicina, tum in Philosophia confessis. qualis namque in vnoquoque entium substantia forma atque perfectio fuerit, talem inde sequi proprietatem consequens & necessariū est. Inde fit, vt miras ac innumeras sit spectare in rebus proprietates quòd innumeræ sint rerū formæ atque miræ, quas pro sui varietate variæ item proprietates consequantur. Quid proprietas sit, explicuimus, iam verò cur sua cuique insit, explicandum nobis est. Suam cuique substantiæ proprietatem inditam à natura esse, vt experimento scimus, sic cur id fiat inuestiganda nobis ratio aliqua est. Ea verò vel omnium præcipua hęc fuerit, quod cum natura perpetuò ob finem agat, nihil quicquam otiosum, inane, nulliusque vsus esse patitur. ac proinde, vel ad sui similis propagationem, vel ad actionē vnā aliquā vtilem aut necessariam, vel ad vsum quempiam vnūquodq; natura eorū quæ sunt procreasse videtur. ne frustra quicquam effecisse, aut temerariæ productionis incusari meritò possit. Eò fit, vt sua cuiq; rei proprietas insit qua ad agendum, vnumquodque pro sui natura aptum est. nisi enim insitum rei Com. Proprietas quid. lib. de quiaque vocib. c.4 de proprio.

cuique esset hoc vel illud agere vel pati, actio nulla vnquam sequeretur. qua ne priuetur quicquam, proprietates indidit singulis rebus natura, quibus in suas ipsorum actiones eius proprietatis meritò ferãtur. Inde fieri videmus, vt proprietate innata, homo hominẽ, equus equum, leo leonem, pro cuiusque animantis semine (cui simile gignendi proprietas insita est) generet. sic e plantarum seminibus pari proprietate eędem plantæ nascuntur. vt vt pyrus pyrum, ficus ficum generat. Ea causa ac ratio potissima est, cur sua cuique rei insita à natura proprietas sit. vt videlicet quidque agere id ad quod aptum est, eius proprietatis ductu (quæ formam rei atque substantiam sequitur) possint. Hinc fit, vt magnes ferrum, succinum surculos & paleas trahat. vt asinus & æquus fœno & auena, homò carnibus vescatur. quòd actiones hæ a sua cuiusque natura proprietatis insitæ ductu proficiscantur. Do- In Timęo. tauit etiam vnumquodque natura suis dotibus (vt Plato inquit) rebusque omnibus proprietates quasdam indidit, quibus hæ ipsæ quod sibi est proprium agunt idque pro formæ natura & motione insita. cum nullius rei actio propria esse possit vlla, nisi quam forma ipsa excitat ac dirigit quam & ipsam proprietates ipsæ substantiam cuius sunt sequuntur. Cur ergo sua cuique rei insita a natura proprietas sit, abundè à nobis iam explicatum arbitror. Nunc verò (quod tertiò loco explanandum proposuimus,) num proprietates corporis omnes elementorum in corpore temperaturam sequantur (quod hic velle videtur Galenus) è sacrarijs Philosophiæ disquiramus. quòd profectò vt scitu iucundissimum est, sic sanè ad inuestigandum difficile ac operosum.

Proprietatum porrò quædam elementorum naturam sequuntur. quædam corporum, quædam animati corporis, quædam animæ propriæ sunt. aliæ a cœlo demittuntur. vt verò quatuor sunt elementa, sic vnumquodque horum sua proprietas sequitur. Ignis enim propria sunt, subtilitas, leuitas, acuties, citus motus, tum verò splendor. In igne enim hæc omnia est inuenire Aeris, subtilitas, obtusio, mobilitas, aquæ, crassities obtusio, motus segnior Terræ, obtusio, opacitas, crassities, immobilitas. Hæ enim proprietates, elementorum sequi substantiam consueuerunt, ut apud Chalcidium in commentarijs ad Timęum Platonis & Marsilium ficinum in Compendio ad eundem librum & Foxium, ex Platonis, decretis est videre. Corporis autem vt tale est, propria sunt, dimensiones habere, siquidem corpus omne, cum solidum quiddam sit, longitudine, latitudine, atque profunditate constare oportet, tum verò grauitas, leuitas, densitudo, raritas, mollities, durities, proprietates sunt quæ corporibus conueniunt, Cum nullum sit dare corpus, in quo non hæ proprietates iuxta cuiusque naturã reperiantur. Siquidem aliud leue, graue aliud est. Atque ita de reliquis.

Ad corpus animatum propriè pertinent, vegetale esse, sentire mouerique. Hæc enim animatis corporibus per se insunt nec diuelli ab illis vnquam possunt. Animę porrò nec suę proprietates desunt.

Siquidem quo purior ipsa substantia est, eo puriores & sublimiores proprietates habere deprehenditur. nempè essentiam cuique rei tribuendi, facultatibus atque potentijs quibus quæque pro sui natura sibi congruentia agere possint ornandi. Sed præcipue quo ad diuinam illius partem attinet (quæ Græcis, νοῦς, nobis mens dicitur) vt immortalis sit, vt intelligentiam rerum omnium præbeat, ratiocinarique valeamus: vt etiam à materia concretus omnis abstrahat. Hæc certè illius propria sunt vt Plato in Phedone atque Plotinus libris de anima vna cum Arist. docent. Verum si altius caput attolamus, inueniemus profectò à cœlo miras & incredibiles atq; in abditissimis naturæ recessibus positas proprietates emanare, quæ neq; elementorũ, neq; corporum ex ijs constantium naturam sequãtur. sed totam rei substantiam quam talis proprietas illi cœlitus indita pro ratione formæ insequitur. neq; elementorũ, neq; ex his natam temperiem sequens. qualis est ferri à magnete attractus surculorũ a succino, Adamantis ad ferri attractũ a magnete repulsa: itẽ & alij ad eundem effectum. Remoræ piscis mole minimi, in retinendis onerosis nauibus admirãda proprietas omne miraculum superans. Rerum quoque in vniuerso sympathiæ, ac antipathiæ ad hunc ordinem referri debent. Nam ꝙ Miluus vulpesque pullino generi aduersarij sint: Lupus ouibus, Gallus leoni terrori sit, odia hæc atque dissensus ex proprietatibus a cœlo manantibus & rebus insitis ortum ducunt. Sic & miræ quoque in hominibus proprietates cernuntur, quæ nullo pacto in elementorum naturam aut temperaturæ ex his ma-

nantis rationem referri poſſunt. Quale eſt quòd hic bubulas carnes, ſuillas ille, alter poma aut caſeũ auerſetur, ita vt ne odorẽ quidẽ ferre poſſint, id profectò neq; temperaturæ adſcribendum eſt. neq; elementis vnde temperies conſtat. Non eſſe proprietatem eam temperaturæ adſcribendam illud indicat, ꝙ plures vario temperamento ſit inuenire quibus vnũ quid auerſandi proprietas inſit. ꝙ ſi temperamentũ talis proprietas ſequeretur, omnes eodem temperamento præditos ſimili proprietate affectos eſſe oporteret. Cũ proprietas ab eo cui per ſe ineſt ſeparari neutiquam poſſit. At id experientiæ repugnat, cum videamus ſi quis calido & ſicco temperamento bubulam vel ſuillam auerſetur, reliquos tamen eiuſdẽ tẽperamẽti eã nõ auerſari. Itaq; quæ corpora ſequũtur proprietates qua rõne ad corpus pertinẽt, cũ ſanè rõne ad tẽperiẽ corporis referri meritò poſſunt: ac ſine tẽperie cõſtare corpus nullatenus poſſit quã & ipſam peculiares ſequũtur proprietates. Reliquæ verò coelitus demiſſę, & formæ inditæ, ad elemẽtorũ miſcellã referri minime queãt ꝙ formã nõ materiã ſequãtur in qua tẽperies ſita eſt. Eſſe aũt infinitas corporũ proprietates, prout variè in corporibus elementa miſcentur, rectiſſimè à Gal. dictum hic putare oportet. Si quidem ad variã elementorum inuicem miſtionem & alterationem, varias inde emanare proprietates corporum conſequẽs certè eſt. Inde fieri, vt nullum animatum corpus inſenſile reperiri queat, vt bellè hoc loco Gal. ꝙ ad temperiẽ ſenſus omnino in corporibus ſequatur, his dico quæ animata ſunt. Nam ſine ſenſu conſtare animal non poteſt, cum ad illius eſſentiã conſtituendam ſenſus ingrediatur. Definitur namque animal ſubſtantia animata ſenſu prædita. Sunt autem ex his quæ ſenſum habent, alia alijs acutiore obtuſioreue ſenſu prædita. prout magis aut minus neruo participant eò fit, vt carnoſæ partes nerueis minus ſenſiant ꝙ hæ ob neruorum ſubſtantiam intermiſtam acutiore ſenſu ſint: illæ obtuſiore ob eorundem vel paucitatem, vel profundum ſitum. vnde obtuſiorem fieri ſenſum conſequens quidem eſt. Hepar enim ob id obtuſo eſt ſenſu ꝙ neruo careat. nec niſi per fibroſam membranam cui alligatur ſenſum vix vllum habeat. Sic & oſſa inſenſilia per ſe facta ſunt, quòd neruus nullus eorũ ſit ſubſtantiæ intermiſtus qui ſenſum illis præbeat. Verum igitur eſt quod hic à Galeno dicitur, ex his quæ ſentiunt, aliud magis, minus aliud ſentire. Concludit deinceps quaſi corrolario quodam ex ſuperioribus illato. elementa vno plura neceſſariò eſſe oportere, ob eas quas contra Epicurum & Empedoclem attulit ſuperiore, & hoc ipſo capite rationes. quod tum hic, tum in commentarijs ad libros de natura humana Hippocratis, tum libro de elementis abundè demonſtratum eſt. Sed ijs tantum qui (vt antea capite ſexto dixit) in parato omnia habent vnde ſcientiam comparare poſſint. Hi porrò ſunt, quibus eſt natura ad quiduis perdiſcendum perſpicax, ingenium acre & expeditum, qui etiam optimis præceptoribus ſedulam operam nauarunt, qui laborum patientiſſimi dies noctéſque in ſtudijs verſantur, vnius inueſtigandæ veritatis amore flagrantes. tum verò qui methodum veri à falſo diſcernendi nacti ſunt qua veritatem percipere & errorem ac falſitatem redarguere queãt, atque in ea ſe per omnem vitam exercuerint. Hi planè ſunt qui in parato omnia habere dicuntur. vnde ſolidam ſapientiam nanciſci poſſint & ad quos hæc Galeni commentatio ſcripta eſt. Ijs verò qui refractario ingenio, ſupino, aut tardo ac hebeti ſunt (ac proinde increduli) vt ne quidem an methodus aliquã demonſtrandi ſit inquirere dignantur, ijs profectò vt indignis ſacro hoc ſermone dogma tantum communicandum non eſt. Eſſe verò quoſdam huiuſmodi qui demonſtrandi viam aut ignorent, aut reſpuant & deſpicatui habeant, & Ariſtoteles & Galenus abunde demonſtrarunt.

Porrò demonſtrandi methodus ac certa ratio hæc eſt, vt primum à rei inueniendæ eſſentia exordiamur, id enim omnis demonſtrationis fundamentum eſt ac totius ſubſtructionis baſis, ſi rerum eſſentiam teneamus. Eos enim (inquit Galenus) qui cum demonſtratione quippiam ſunt dicturi à rei eſſentia exordiri oportet. Inueſtigabitur autem cuiuſque rei eſſentia, ſi quid, qualeue ſit vnumquodque eorum quæ inquirimus inuenerimus. quod per eſſentialem vocatam cuiuſque rei definitionem perquàm commode perficitur, cum ea totam rei quam definit eſſentiam atque naturam complectatur probeque explicet vnde exacta rei notio aperta nobis fiat. quod Ariſtoteles lib. 1. magnorum moralium cap. 2. expreſſit, inquiens, definitionem, cuiuſq; rei referre eſſentiã oportere. Vbi verò rei eſſentia quam demonſtratione agnoſcere cupimus definitione perſpecta iã nobis fuerit, ad illius proprietates

Ariſtoteles lib. 1. poſt cap. 3. & li. 2. metaph. cap 3 Gal. libr. 1. meth. med. & Com. 1. ad libr. de nat. hum. libro. 5. de ſymp. cau

 tates

tates quæ per ſe inſunt inueſtigandas properandum eſt. Quæ & ipſæ etiam ex definitione noſcuntur. Si quidem demonſtrationem omnẽ ex his eſſe quæ per ſe ſunt ac neceſſarijs: tũ verò ex proprijs quæ rei accidunt & per ſe hoc eſt ex propria rei natura conueniunt, conſtare oportere Ariſt. dixit. Nec ſolum eſſentiã & proprietates quæ per ſe inſunt demonſtrantẽ [lib. 1. poſt. cap. 6. 7.] ſcire oportet, ſed & omniũ maximè cauſas eſſentiæ rerũ ac generationis earum agnoſcere neceſſtrium eſt. Cum demonſtrationis omnis principia cauſæ ſint (ſi quid Ariſt. creditur) & ſcire nos vnumquodque tum arbitremur, cũ cauſam exiſtimamus cognoſcere propter quã [lib. 1. poſt. cap. 2] res eſt. vt cum ſolem ſupra horizõta ferri videmus, diẽ eſſe dicimus ꝙ diei cauſa ſit lux ſolis ſupra noſtrũ hemiſpheriũ lati. aut cum mulierem concepiſſe aguoſcimus viri congreſſum neceſſariò admiſiſſe verè affirmamus quod conceptionis cauſa ſit viri cum muliere congreſſus & ſeminis in vtero retentio. vt lib. de ſemine Gal. Itaque ad rectè demonſtrandum primum omnium, vt antea diximus, rei eſſentiam definitione cõpræhenſam tenere oportet atque ab hac inchoare. ſecundò cuiuſq; rei propria quæ rei per ſe inſunt & ea quoq; ſcire conuenit: tũ verò productrices cuiuſq; rei cauſas propter quas res eſt. Nec tamen hæc ad demonſtrandum ſatis ſunt, niſi prius quod aſſumendum ad demonſtrationem eſt, vel euidens ipſum ſit, vel prius iam demonſtratum. vt lib. 2. de temperamentis Gal. ſcitiſſime dixit ſiquidem demonſtrationis omnis & inuentionis principia ſunt quę ſenſui atque intellectui euidentia ſunt. vt lib. 1. de ſimpl. facultatibus c. 37. idem affirmauit. cum demonſtrationũ duo omnino in genere principia eſſe, ſenſum inquam & notionem euidentem, à quibus demonſtratio omnis ac fides proficiſcitur, Gal. conceptis verbis affirmarit. [lib. 1. de ali. facul. c. 1. & lib. 3. de natu. facul.] Demouſtrationem namque omnem ab euidentibus inchoare, eſſeq; id ab omnibus conceſſum idem Gal. lib. de cuiuſq; animi peccatornm cognitione & medela nos belle docuit. cum à rei quæſitę experientia ſumendæ ſumptiones in demonſtratione ſint etiam ex Ariſto. mente vt lib. 1. de ſemine Gal. ex Ariſtot. ſententia protulit. atque ob id demonſtrationum in diſciplinis progreſſum fieri per experientiam & rationem vel cõiunctim vel ſeparatim lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem affirmauit idem Galen. Quæ omnia nos vt exemplis confirmemus (ſi quidem diſcentes oportet in exẽplis exerceri lib. 9. Methodi medendi proditnm) aliquot in medium afferemus exempla ex quibus quęnam ſit vera demonſtrandi via ac ratio exploratnm haberi poſſit. Demonſtrare volo morbum omnem noxam adferre corpori, ſic rectè demonſtrabitur. Quodcunq; prærer naturam eſt noxam corpori adfert, omnis autem morbus præter naturam eſt, omnis igitur morbus noxam corpori adfert. In qua quidem demonſtratione videre eſt aſſumptiones ex euidentibus & experiẽtia comprobatis eſſe acceptas. Si quidem quod in maiore apponitur, quodcunque præter naturam ſit, noxam adferre. id quidem experientia conſtat. ſiue enim intemperies ſit, ſeu mala conformatio corporis, ſeu ſoluta vnitas partium, confeſtim noxam eſſe corpori illatam cernimus. omnem autem morbum præter naturam eſſe ipſius definitio à Gal. poſita, & à rei eſſentia petita abundè docet. [lib. 1. de ſanit. tu. & li. 1. de morb. diff. & lib. 3. de ſymp. d. ff.] Definitur namq; morbus cõſtitutio corporis pręter naturã à qua primò & per ſe actiones lęduntur. ab his ſic poſitis neceſſaria ſequitur concluſio, omnem morbum noxam corpori adferre. Sic ſi probare demõſtratiua ratione voluero, febrẽ diſſoluere corpus, hoc ſyllogiſmo vtar. omnis præter naturã calor corpus diſſoluit, omnis febris calor eſt præter naturam, oĩs itaq; febris corpus diſſoluit maior experientia conſtat perſtans. n. in corpore præter naturã calor, ſiue in ſpiritibus, ſeu in humoribus aut membris figatur, corpus inde diſſolui magis, aut minus pro ratione ſubiecti in quo calor ille ſitus eſt, planè videmus. minus quidẽ in ephemeris, magis in putridis, multò maximè in hecticis. Hoc namq; caloris præter naturã proprium eſt, vt corporis ſubſtantiã diſſoluat plus æquo nimium calfaciendo & exſiccando. Siquidẽ ſiccitas eſt lima caloris omnẽ autẽ febrẽ calorem eſſe præter naturã ex ſua ipſius definitione conſtat. Definitur namq; febris calor eſſe præter naturã vniuerſum corpus occupãs & a corde procedens vt Gal. & Auic. omniſq; medicorũ ſchola cõi conſenſu exiſtimarũt. inde ea ſequitur cõcluſio, vt febris oĩs qua febris eſt corpus diſſoluat. [li. 1. de diff. feb. & lib. 1. de mor. dif. Auicenna fen prima. 4. c. 1.] vnde emaciari & inaniri corpora in febribus ob eã quæ in corpore fit diſſolutionẽ experimur. Hæc pro exẽplis adduxiſſe ad huius Galeni loci explicationem ſatis viſa ſunt. vt quo pacto texendæ ſint in Medicina demonſtrationes rudes docerem (Non enim magnis Dijs & Pœnatibus in re medica, ſed tyronibus & vix dum initiatis hæc in eorum profectam cuduntur)

id

id etiam vt docerem, perinde atque in Mathematicis disciplinis certissimas fieri demonstrationes, nempè Geometria, Numerandi peritia, Astronomia (quod Gal. lib. de cuiusque animi peccatorum notitia atque medela scitissime dixit) sic etiam in Medicina demonstrationi locum esse propè Mathematicorum certitudini parem. Nam vt illorum demonstrationes ex definitionibus, communibus animi conceptionibus (quas dignitates vocant, atque petitionibus constant, vt apud Euclidem libris primo, tertio, & vndecimo est videre: atque apud Ptolomeum libro Almagesti; sic sanè & quæ in medicina demonstrantur à definitionibus, dignitatibus, & petitionibus, ceu à fontibus deriuantur. Habet enim Medicina suas & ipsa definitiones, habet & dignitates, & postulata. Definit namque Medicina sanitatem, Morbum, symptomata, causam, Actionem, Passionem, Facultatem curationem, Præsensionem, Crisim, signa: tum vero separatum vnumquodque morborum genus, atque causarum, symptomatum etiam ac facultatem corpus regentium. Nec suæ Medicinæ cōes animi conceptiones desunt qualis vna hæc est. Nihil sine causa fieri, omnem morbum sui productricem causam habere curari nequaquam morbum posse manente quæ ipsum excitauit causa, manente causa, ab ea exordiendam curationem esse, medici munus esse, vt celeriter, vt tutò curet. Curare proprijs remedijs vnumquodque morbi genus oportere, & itē cōtrarijs perficiendam curationem esse. Isthec namque omnia in medicina instar dignitatum sunt quæ per se fidem faciant quale illud in Geometricis omne totum est maius sua parte. Et si ab æqualibus æqualia demas residua esse æqualia. Quin & vice postulatorum seu petitionum in Medicina hæc sunt licere medico ægris opem ferre, & si congrua victus ratione curari posit morbus medicamentis non vtendum, & primum leuiora tentanda, mox fortioribus vtendum & curationem omnē ad perfectionem esse ducendam & extremis morbis extrema esse ad salutem remedia adhibenda. Isthæc namque vice petitionum sunt in re Medica perinde atque in Geometricis à puncto in punctum lineam ducere, lineam in quātam uis longitudinem extendere, & eius generis similia de quibus Enclides initio libri primi sui de Geometria operis. Itaq; qui ex definitionibus medicis, & communibus animi conceptionibus, atque postulatis, assumptiones ad demonstrandum texere nouerit is profecto demonstrandi methodū in arte probè tenebit. Quam sanè demōstrandi rationē, cum suis illis de demonstratione libris vere aureis (quantum quidem cōiectura assequi licet, ex ijs quæ sparsim in omnibus suis operibus scripsit Galenus) omnia sit mirifica arte complexus quæ ad quiduis recte demonstrandum pertinent; deploranda nobis tam fructuosi monimenti omnibus seculis atque disciplinis profuturi iactura est, quos si haberemus, non tātopere esset nobis in demoostrationibus conficiendis laborandum cum quindecim illis libris à Galeno ea de re æditis, quicquid vsquam à Platone, Aristotele, Theophrasto, Chrysippo, atque eius notæ Principibus viris traditum est, id omne ceu in promptuariam cellā redigerit in illis commentarijs quæ de demonstratione inscripta sunt nobilis rerum demōstrator Gal. Sed hæc est temporum iniuria, hæc studiosorum calamitas, vt quæ optima sunt malè pereant & quasi aura dissoluantur quæ nullius ferè momenti sunt, integra maneant atque seruentur. Sed hic iam interprætationis capitis finis esto.

## CAPVT NONVM.

Rursus igitur ad institutum reuersi, finem ei imponamus. Quoniam elementum per totum alterabile est, quot vniuersa sint, deinceps referamus ab ijs quę euidenter apparent auspicati. Tex.

GAle. summus docendi magister, & demonstrandi artifex mirus, cum superiore capite vnum tantum elementum esse non posse: nec ex vno tantum sed ex pluribus corpora constare docuisset (quod demonstrare in animum induxerat) ad id institutū reuersus, confutatis contra sentientium opinionibus, quot in vniuersum ea sint elementa ex quibus corpora constare pro confesso omnibus tum Philosophis tum Medicis habitum est, docere hoc capite pergit, ab ijs exorsus quæ sensibus conspicua sunt: quæq; euidēter apparēt. ꝙ demōstrationē omnē ab euidentibus inchoare debere vnū sit ex publicè cōfesfis. vt idē autor lib. de cuiusq; animi peccatorū cognitione atq; medela scitissime dixit. ob id Com.

hoc capite demonſtratiua methodo, quot ſint ea ex quibus corpora conſtant, docere ingreditur. & quonam pacto quibusue qualitatibus elementa agant, & id quoque demonſtrare ſatagit, ne in prauum dogma incidat Theſſalicorum Medicorum more. Siquidem principium prauorum dogmatum vnum id eſt, nihil de demonſtratione prius meditatum, ſimul res ipſas inquirere, vt idem lib. ſecundo de temperamentis, & lib. primo methodi medendi affirmauit. Demonſtrandi namque ratio non ſolum in alijs diſciplinis quę id patiuntur, ſed & in Medicina ſummè neceſſaria eſt. vt lib. 3. de Hippocratis & Platonis decretis à ſe libris de demonſtratione oſtenſum eſſe confirmat. Sed iam ad Gal. de re propoſita dogma explicandum accingamur.

Tex.

Quæ rem quamcunque alterant eam tetigiſſe anteaquam immutaſſe neceſſe eſt. vt ſenſus docet, & ipſa rerum natura indicat. Nam abſurdiſſimum eſt, aliquid in Aegypto à flamma quæ hic eſt alterari. Atqui ſi ex contactu id quod mutat inalterat, quarundam tactilium qualitatum ratione fieri. Quid igitur impedit quominus has omnes inſpiciamus?

Com

Oſtenſurus Gal. quotnam elementa numero ſint, ex quibus conſtituatur humanum corpus, alterabilia eſſe tota per tota elementa, initio huius capitis dixit. vt tandem quomodo alteratio in mixtis fieret, doceret. quod facit hac ſerie quam nũc interprætaturi ſumus. Cuius antequam ſenſa explicemus, quid ſit elementa ipſa per ſe tota alterabilia eſſe promendum: id verò nihil prorſus aliud eſt, quàm inuicem agendo & patiendo alterationem ſubire, nullamq; eſſe accipere elementi cuiuſuis partem, quæ non alterari à contrario queat. hoc ſiquidem eſt per totum alterabile eſſe elementum quod ipſe miſtionis modus indicat. cum ſit mixtio, eorum quæ miſcentur alteratorum vnio. Quæ concors eſt Philoſophorum ac Medicorum omnium ſententia. Ex quo intelligere eſt, cum in compoſitione mixti alicuius ex elementis, alterari ipſa inuicem elementa oporteat (vt Auicenna rectiſſime complexionem definiens dixit) oportere inquam, ſubſtantias elementorum miſti compoſitionẽ ingredi, alioqui ex ipſis conſtare corpus non poſſet. Vires tamen ac qualitates integras & ſuperſtites manere, vt antę miſtionem erant, minimè certè affirmandum eſt. Nam ſi integræ maneant elentorum corpus conſtituentium qualitates ac vires, nũquam profectò mixtio fiet. cum iuxta mixtionis naturam oporteat eorum, quæ miſcentur vires integras, & qualitates remitti atq; infringi. vti in mixtione aquæ & vini experimur, qua in miſcella neque vin virtus integra nec aquæ manet: ſed ita confuſa vtraque, vt cum in ea miſtura & vini & aquæ qualitas & virtus appareat, neutrius tamen eorm integra (& vt erat) ſuperſtes conſpiciatur. quod guſtanti experientiæ fide conſtat. Quam tamen opinionem (ſeruari ſuperſtites & integras elementorum vires & qualitates, in miſtis) nonnulli magni nominis viri tutori aggreſſi ſunt. aſſerentes, etiam poſt mixtionem integras eas ſeruari. Quòd ſi pugnandum claſſicorum authorum ſententijs ſit, aduerſarios habebunt magno cum exercitu in hac re, Platonem in Philebo, Plotinum libro de miſtione per omnia c. 11. Ariſtotelem lib. 2. de generatione & corruptione cap. 7. hos, qui ita ſentiunt ex diametro aduerſarios habebunt: cenſentes conceptis verbis frangi remittique elementorum vires ac qualitates ſi quippiam ex ijs vt mixtum confici debeat. Quin & Hippocrates lib. de hominis natura id apertè teſtatur, inquiens, nec generationem in nobis perfectam fore niſi calidum, frigidum, ſiccum, & humidum inuicem temperatè & pari modo ſe habeant neque à pluribus quicquam gigni niſi mutuo temperamento mixtis. Quòd ſi generatio (vt vult Hippocrates) in nobis perfecta fieri non poteſt, niſi calidum, frigidum, humidum & ſiccum inuicem temperatè ſe habeant: temperatè autem ſe habere neutiquam poſſunt, ſi omnium integræ qualitates ſuperſtites maneant, nec vtique mutua actione & paſſione infringantur: neque quicquam gigni poſſit, niſi mutuo temperamẽto mixtis ijs ex quibus componitur, vt idem præcitato loco dixit) profectò impoſſibile eſt, in mixtis conſtituentium elemeutorum vires ac qualitates integras ſuperſtites remanere. Quòd & Galenus libro de Elementis primo, & item de temperamentis eodem, & Auicennas. Fen prima Primi Cano. doctrina de complexionibus conceptis verbis affirmarunt. Ex ſubſtantijs vero elementorum, alteratis tamen per tota atq; inuicem mixtis corpora conſtare, non tm̃ ex eorum qualitatibus,

fen 1. prim. doct. de cõpl.

An vires & qualitates elementorum in miſtis integre maneant.

An elementa ſecundũ eorum formas in mixtis maneãt

inde

inde conſtare poteſt, quòd ſine ſubſtantia nihil quicquam per ſe ſubſiſtens conſtare vſquam poteſt. Cum ergò mixtum omne conſtare per ſe euidenter conſtet, ex his ſubſtantiis, quæ ipſum conſtituunt, conſtare ipſum neceſſe eſt. Vnumquodque ex ijs conſtat ex quibus com ponitur, vt domus ex lapidibus alteratis, exequatis, & ſuo loco atque ordine poſitis. ſic & humanum corpus ex elementis temperatè mixtis coaleſcere neceſſum fuit. Vt & experien tia docet, & expreſſit libro de temperamentis priore Galenus. dum corpora animalium ca lido, frigido, humido, & ſicco conſtare vnum eſſe ex publicè confeſſis affirmauit. Manere itaque elementa in mixtis ſecundum eorum formas mutua actione ac paſſione refractas, im mutatas, & alteratas, Galenus ipſe libro de Elementis priore fidem fecit. Quicũq; (inquit) ex igne, aqua, & terra, & aere, alteratis atque inuicem tranſmutatis, ac per tota confuſis, & temperatis fieri exiſtimant aliquid vim ſentiendi habens, contingentia dicunt. Quicunq; verò ex ijs quæ remanent qualia fuere, impoſsibilia dicunt ſi ſolum miſcentur inuicem, ſi- cuti in aceruo frumenta, vel hordea, ciuer ac fabæ. An non graui hac ſententia Galenus ex elementornm ſubſtantijs inuicem tranſmutatis, alteratis, & per tota confuſis mixta conſta re conceptis uerbis aſſeuerauit? idque inſuper non remanere ipſa in miſtione qualia antea fuere, nempè integra, vt in aceruo hordeum, frumentum fabæ, cicer. quæ & ſi mixta in acer bo ſunt atque confuſa, integrum tamen vnumquodque manet, vt experientia docet. Ibi enim in aceruo ex his coalito, & integrum frumentum, & hordeum, & cicera, & fabas eſt in uenire, non ſic autem in eo quod ex elementis conſtat in quo nihil integrum. ſed refractũ, & temperatum eſt inuenire, perinde atque in tetrapharmaco vocato medicamento, quod ex cera, reſina, pice, & adipe conſtat cernere licet: in quo poſt miſtionem nihil integrũ, qua le antea fuerat, eſt inuenire, non ceram meram, non reſinam, picem, aut adipem, quemadmo dum neque in illo altero quod ex ærugine raſili; cera & oleo conſtat, de quo lib. tertio me- thodi medendi Galenus. Firmum itaque his rationibus maneat, integras ac ſuperſtites, (quales antea fuerant) non poſſe in mixtis elementorum qualitates manere: docente con- trarium experientia nempè remitti ipſas atque infringi temperateque ſe habere, vt ſupra ex Hippocratis ſententia attulimus: hanc iterum confirmante Galeno, dum inquit, Quia in corporibus animalium, nullum eſt ſyncerum atque integrum elementum, non propte- rea dubitare debemus, quòd non temperentur ex iſtis. Ex elementorum autem ſubſtan- tijs refractis atque per tota confuſis mixta & animalium corpora coaleſcere, non ex eo rum qualitatibus Galenus ipſe plena fide libro de Elementis primo affirmauit in hæc ver- ba. Nam (inquit) quòd nolit Hippocrates communium elementorum qualitates, corporũ elementa ſtatuere, iam ſatis puto demonſtratum ex uerbis Hippocratis, quæ iam à nobis fuerunt allata. Et paulò poſt, de eiuſdem Hippocratis ſententia hæc protulit. Neq; enim (ſubdit) ex qualitatibus ſolis ipſe (ſcilicet Hippocrates) opinatur fieri animalium genera- tionem, quæ neque ſeorſum à corporibus poſſunt exiſtere, uerum ex ipſis corporibus, quæ ſcilicet ſummas habent qualitates. Iſta enim erunt communia omnium corporum elemẽ- ta. Non igitur ex elementorum qualitatibus ſeu virtutibus, animantium corpora conſta- bunt, vt falsò nonnulli credidere; ſed potius ex ipſorum met elementorum ſubſtantijs quæ refractæ ſint atque per tota confuſæ, qualitateſque eas habeant. Apertiſsimum igitur ex ijs Hippocratis & Galeni aſſertionibus relinqui debet, ex elementorum ſubſtantijs refractis animantium corpora conſtare, non ſolis elementorum qualitatibus quod nobis erat probã dum. Nunc verò ad partis huius explicationem ueniamus, qua vult Galenus ea quæ rem quamcunque alterant, eam tetigiſſe, priuſquam immutaſſe neceſſe eſſe. cum abſurdiſsimũ & contra experientiæ fidem habentur, aliquid in Aegypto à flamma quæ in Europa, diſtan- tiſſima parte eſt, alterari: quòd ex contractu id quod mutat alterationem atque mutationẽ inferre ſoleat nec uſquam aliter. Equidem contactu actionem omnem fieri ac perfici quæ quidem corporea fit, vnum eſt ex publice in Philoſophia confeſsis. Niſi enim agens, id in quod acturum eſt actu contingat, nunquam actionem ſuam exeret. Vt inductione per om- nes naturæ & artis actiones probari perquam apertiſsimè poteſt: neque enim ignis niſi nos proximè contingat unquam calefaciet, nec cibus nutriet ni corpori contactu aſsimiletur, & apponatur, neque locali motu progredi, ni pedibus terram cõtingamus. aut equo veha- mur cui iuncti ſumus. Nec item faber ferrarius clauem, ſeram ue conficiet unquam, ni ferrũ

Libr. 1. de Elem.

Ex elemẽtorum ſubſtantiis refractis animantiũ corpora cõſtare.

manibus

manibus attrectet. sicque de reliquis omnibus. Quæ cum ita sint, necessum quidem est, vt quæcunque immutare aut alterare quicquam possint, id ne prius agant, quàm sese mutuò contingant, debitaque uicinia & proximitate constantia, actionem suam in id quod immutationem, alterationemve passurum est exerant atque perficiant. Cum uerò contractus corporum sit, non qualitatum, ut libro secundo de Anima Aristoteles, & libro de sensu & sensili, & lib. primo de generatione & corruptione cap. 8. euidentissimè certe constat (quod & nos paulò antea hoc commentario exactè docuimus) ex elementorum substantiis refractis non ex ipsorum tantum qualitatibus viuentium corpora constare. Quibus autem qualitatibus elementa ipsa per contactum agant dilucida serie iam explicare aggreditur philosophica narratione hoc loco Galenus. Quam partem priusquam exponamus tacitæ obiectioni quæ aduersum Galeni sententiam fieri posset, est respondendum. Pro constanti haberi vult Galenus, quæ rem quamcunque alterant, cum prius tetigisse quàm immutasse necesse esse. quòd actio omnis contactu fieri dicatur.

*Obiectiones aduersus Galeni dicta.*

Contra quæ tamen obiici hæc rectè possunt, Calefieri nos à sole, nec tamen per contactum, cum longissimè distet à nobis sol, nec illum contingere vllo pacto possumus, at nihilo secius actionem ille suam à cœlo in terras imprimit nosque radiis suis uehementer calfacit, vt parum absit quin etiam vrat: ut per medios caniculæ dies experimur. Tum etiam dum igni admoti incalescimus, ignem tamen non contingimus, sed aeri proximo adstantes, longè ab igne disiti sumus. Non ergo profectò actio omnis contactu fiet, si hæ ignis & solis actiones vti probauimus sine contactu perficiuntur.

*Obiectionum dilutio.*

Ad quæ respondendum est, duplicem esse contactum, alterum immediatum cum se duo corpora mutuò absque ullo interposito medio contingunt, qui uerè contactus dicitur. Alter verò, qui continuatione ad rem quæ excipere actionem debet, ad eum medio aliquo interiecto peruenit. vt cum sol aerem radiis suis calfaciens, aerque ipse calfactus, ac nos ambiens atque contingens rursus corpora nostra calfacit. Sic etiam dum ignis proximum illi aerem ad certam distantiam calefacit, si ei aeri sic calfacto nos exponamus, prorsus ab illo alterabimur. Itaque dicendum omnem actionem contactu etiam immediato fieri. Nam dum à sole aut igne incalescimus, per contactum immediatum aeris calefacti qui nos contingit id fieri experientia docet. Nec usquam dare erit actionem cuiusuis generis vllam, quæ non cuntactu eius rei fiat in quam actio ea exercetur. Vt inductione per omnes actionum differentias, quæ quidem corporeæ sint, manifestum fieri potest. Atque per hæc abundæ obiectioni præfatæ satisfactum esse putamus.

**Textus.** Acutum sanè quod contingit secat, verum substantiam eius non alterat, quemadmodum nec grauitas, Sed contundit quidem & hæc, verum per totum patientis substantiæ mutationem non efficit. Qnin nec durities ita sibi proximum alterare potest, ut in aliam speciem traducat.

**Com.** Qvonam pacto quæ partium continuitatem vel secundo, vel pungendo, aut contundendo soluunt, actionem suam perficiant, hoc loco docere pergit Galenus, inquiens, acutum omne id quod contingit secare, siue punctura, siue cæsura continuitas soluatur, sed præterea tamen, nullam ei substantiæ quam secuit alterationem inferendo. cum illam neque calidiorem, frigidiorem, humidiorem, sicciorem ve, quàm antea esset reddit (hoc enim alterationis nomine intelligendum venit, cum pars se ipsa calidior, frigidior, humidior aut siccior pro alterantis ratione fuerit effecta.) Qđ enim secat, tantum diuisionem per se facere potest, alterationem non sic: cum uim tantum secandi non alterandi ad unam quampiam elementarium qualitatum uim habeat. Sic etiam qđ grauitate contundit, atterendi quidem substantiam potestatem habet, non alterandi. Grauis enim lapis parti cuipiam incumbens, non nisi compressu, pondere & grauitate sua, contundere potest calfacere, refrigerare, aut quomodolibet ipsam alterare minime certe valet. quod alteratio ad qualitates elementarias proprie, non ad secantia, contundentia, aut alioqui continuum soluentia pertineat. Acuti verò nomine hoc loco, non solum quod in mu-

cronem

cronem definit, quodque mucronata acie pungere potest, Sed & alia omnia quæ secare, & diuidere possunt intellexisse eum ratio cogit. ea enim omnia profectò acuta esse dicuntur, si properè & vehementer partium vnitatem soluant, quo pacto aciem cultelli, nouaculæ, cusis, aut cuiusuis alterius teli acutam esse rectè dicimus, si celeriter, si confestim, si profundè in partem sese adigat. hoc enim hac parte acutum rectè dici meretur. alias verò acuti significationes (quæ pené infinitæ sunt) vt huic loco parum accomodatas volens sciensque de industria relinquo. & ad Galeni seu sa explananda me conuertens, quæ rei medicæ sunt ad huius loci interpretationem accingar. Cum ait Galenus, acutum, id quod contingit secare: verum substantiam eius quod secat non alterare, iudicare conceptis verbis planè videtur, secantis & diuidentis teli vnicam tantum esse rationem, vt soluat, vt unitatem partiũ disiungat & separet, non vt alterationem inferat quæ ex qualitatibus elementaribus manare solet. vti & antea exposuimus. Atque ex hoc loco Auerroys mens de doloris causis expresse conuinci potest, quam ille libro tertio collectionum suarum capite 31. conceptis verbis expressit, inquiens, continui solutionem non per se dolorem inferre, sed per id quod temperamentum immutaret, quòd esset continui solutio, prauus quidam motus ad quem partis intemperies sequeretur. Cum contrà hic Galenus acutum omne & continuitatem soluens secare quidem quod contingit, non tamen eius substantiam alterare verissime protulit. nempè quod sit experientiæ fide probatum. Non enim quod continuum soluit, partem quam diuidit, qua ratione id facit, aut calidiorem, frigidioremvè, ficciorem aut humidiorem reddit, sed tantum quod vnitum, quod continuum erat, dissoluit. contra quàm Auerrous existimarit. in quem cum abundè satis superiore capite huic proximo magnis rationibus egerimus, illius de hac re opinionem subuertentes, alia addere opus non erit. sufficit enim ex theorematis medicis demonstrasse quod continuum soluat, per se partem alterare non posse ex quo euerti Auerroes ea de re sententiam apertissimum fecisse me eo quod citauimus capite arbitror. Quod autem subiicit, nec duritiem quoque ita sibi proximum alterare posse, ut in aliam speciem commutare posit, rectissime certe dixisse visus est. Nempè accidentia quæ substantiæ inhærent, in aliam quandam qualitatem transmutare substãtiam possunt, in aliam autem speciem traducere minimè certe queant. quòd accidentia immutare qualitates substantiæ inhærentes possint, substantiam autem ita euertere nequeũt vt speciem immutare valeant. Caliditas namque frigiditatem substantiæ inhærentem, humiditas siccitatem, siccitas humiditatem auferre vi sua potest, eadem tamen semper manente substantia non enim ob id, quòd alterata substantia sit, speciem mutat. Magis namq; & minus (quod est ab Aristotele proditum) speciem non immutant. quòd, eodem autore, substantiæ immutatio generatione, aut corruptione fieri habeat ut dum ex semine humano homo sit, aut dum corruptione & interitu ex homine cadauer efficitur. Hæ profectò substantiæ immutationes sunt non alterationes, vt per quas, species in aliam speciem traducantur, non sola in subiecto qualitatum alteratio fiat. Quæ huius loci explicationi sufficere credimus.

Auerrous notatur.

Caliditas tamen & frigiditas, totam cui adest substantiam alterat. Ita verò humiditas & siccitas, & si non subitò quemadmodum prædictæ, certè temporis spatio & ipse subiecta transmutant. An igitur aliam adhuc alterandi qualitatem habemus, an omnes hoc numero compræhenduntur? Certe solas prædictas efficientes tum dici, tum censeri conuenit, præsertim primam inter eas oppositionem. Atque in hac magis caliditatem, quæ omnium longè efficacissima est, post hanc frigiditas est, mox humiditas, siccitas postea. Nulla verò qualitas alia, ea quibus adest, per tota inalterat. Quod namque diuellit, contundit, & secat, & pungit, id quidem facit, verum per totam substantiam patientis alterationem non extendit, vnde nec in alteram essentiæ speciem transfert, sed in plurima separat. Itaq; niuem si diuidas in minima, nihilominus & ipsam seruabis. sin calefeceris non amplius Textus.

pliusnix erit. Etenim ex aqua ipsa refrigerata, non in vnum collecta nascitur. Hoc siquidem substantiæ incrementum, illud generatio est. Iam verò contrariorum in parua diuisio, substantiæ diminutio est, calefactio autem, alterius substantiæ generatio, siquidem priorem inalterauerit speciem.

Com.

QVid discriminis sit inter diuellentia & partium vnitatem soluentia, atque ea quæ alterationem faciunt, præcedenti serie explicauit Galenus, docens ea, quæ diuidunt & secant, partium unitatem soluere quidem, non autem inalterare posse. Nunc verò hoc loco, quid qualitates elementariæ efficere posśint quæve earum in agendo potestas sit, quæ vehementiores, remisśiores, ac segniores, quæ sint, ordine indicat, vt quid cuique tribuendum iure suo sit, id tribuamus. Quatuor porrò esse elementarias qualitates omnes, quæ totam cui inhærent substantiam alterare posśint, affirmat. Hæ in uniuersum sunt caliditas, & frigiditas, humiditas & siccitas, quas omnes effectrices idque merito uocat Galenus. Siquidem Caliditas uel Aristotelis libro quarto Meteororum testimonio, & Galeni hoc loco, qualitatum omnium actuosisśima & ad agendum efficacisśima & maxime potens esse dicitur, quòd celeriter in quæ agit permeet, quòd uim & impetum sua celeritate & agendi promptitudine cieat, quòd naturam suam ijs in quæ operatur breui impertiat, quod demum diducat, fundat, attenuet, & rarefaciat. quæ alteri qualitatum nulli sunt à natura tributa: ac proinde non ulla qualitatum alia res uicinas, magis, aut celerius, vehementiusque alterare, quàm ipsa caliditas solet. quòd cita sit atq; vehemens illius actio, ea maxime ratione, quòd ignis participatu calida omnia dicantur constat autem ignem, mobilem, acutum, lucidum & in actione vehementisśimũ esse ut superiore capite elementorũ proprietates recensentes dicebamus. Hanc porrò frigiditas sequitur, quæ & ipsa in agendo efficax quoque deprehenditur. cogendo, densando, adstringendo, vehementerque refrigerando vt in glaciali hyeme, niuosis & montosis locis aquilonibus expositis experimur. Humiditas verò & siccitas, & si non perinde atque mox enumeratæ, tamen & ipsę agendi potestate minime destituuntur. quòd & si non subito quemadmodum caliditas & frigiditas, paulò tamen longiore mora subiecta in quæ agunt transmutare possunt. Vt in imbriferis & pluuiis constitutionibus experiri licet, tum & in siccis atque squalore nimio obsitis. Siquidem imbriferæ constitutiones corpora languida, grauia, humore madentia longosque morbos creare solent. Vti & siccæ constitutiones acutos & perinitiosos morbos gignere consueuerunt vt docta Hippocratis lib. tertio aphorismorum, aphorismis sexto ac septimo mens fuit. Possunt igitur & humiditas & siccitas actione sua, ut experientia docet, corpora alterare: atque ob id effectrices eas & dici & censeri voluit hoc loco Galenus. Cur? quòd cum nihil sit in natura otiosum vel Aristotelis & Galeni testimonio, necessarium est & has ambas qualitates ad aliquid agendum natas esse alioqui certe, si nihil operari possent inanis se otiosæ dici mererentur. Neque refert, si in illis segnior & obscurior quàm in calore & frigiditate appareat actio, quòd natura magis ad excipiendam quàm ad inferendam actionem natæ sint sed nihilo secius tamen & actiones ipse suas (& silentè, & temporis spatio) perficere solent. Vt experientiæ fide constat, ab humiditate madidos nos & humore turgentes fieri perinde atque à siccitate exsiccatos squalidosque & attenuatos. Has igitur (& si minus) efficientes, tamen vna cum Galeno censeamus qualitates. Maximè tamen hoc nomine caliditatem & frigiditatem dignamur, potisśimum uerò caliditatem, vt ad agendum omnium efficacisśimam maximeque potentem. Atque hæ sunt qualitates omnes quæ alterandi substantiam uim habent. Nam quod diuellit, contundit, secat aut pungit, soluere quidem partium vnitatem potest, alterationem tamen inferre, aut in alteram essentiæ speciem transferre, aut permutare nequicquam possunt. ut supra exacte monstrauimus, Quod Galenus appositisśimo de niuis diuisione exemplo cõprobat. Niuem enim si in plurimas diuidamus partes, & si illius unitatem dissoluamus in ea minima diuisione, nix tamen sic diuisa, non utique ulla in parte permutata substantia, manet. Sed illam si cale feceris, iam non amplius nix erit sed in aquam resoluetur, ut experien-

Cap. 1.

tia do-

tia docet. Vnumquodque enim in ea reſoluitur ex quibus componitur ut Philoſophi omnes cenſent. Cumque nix ex aqua refrigerata & glaciali frigore concreta gignatur, non ex aqua in unum collecta ut hic vult Galenus (cum aquæ in unum collectio, ſubſtantiæ tantũ incrementum ſit, non ſubſtantiæ generatio) ſequitur profectò diuiſionem, ſubſtantiæ mutationem minime facere poſſe. Siquidem rerum in parua diuiſio, ſubſtantiæ imminutio ac decrementum eſt, non nouæ alicuius ſubſtantiæ generatio. Verum quod hic ait Galenus calefactionem, alterius ſubſtantiæ generationem eſſe, ſiquidem priorem inalterauerit ſpeciem, maiore indagine opus habet nam & ſi alteratio, in contrariam qualitatem permutationem facere poteſt (quod eſt qualitatis proprium) mutationem certè ſpeciei & ſubſtantię facere nequicquam poteſt. non enim qualitas ſubſtantiam in alienam ſpeciem, ſed in contrarium qualitatem permutare poteſt cum qualitatis proprium ſit pro ſui ratione ſubſtantiam inalterare, non tamen aliam facere. Siquidem & ſi in infinitum corpus animantis cuiuſuis generis calefeceris, infrigidaueris, aut quomodocunque inalteraris, certè eius ſubſtantiam non permutaueris. quin ſi homo ſit, homo maneat, ſi brutum brutum, ſi planta planta. Quid ergo ſibi vult hoc loco Galenus, calefactionem, alterius ſubſtantiæ generationem eſſe, ſi priorem inalterauerit ſpeciem? Non aliud profectò quàm oſtendere voluiſſe cũ in propoſito de niue calefacta exemplo, calfactionem niui adhibitam efficere vt permutetur quidem rei calfactæ ſpecies, cum non amplius nix maneat ſed in aquam uertatur. Quæcunque enim à frigido coguntur, à calido liqueſcunt & diſſoluuntur ex Ariſtotelis ſententia. Neque dici poteſt calfactionem cum, ſubſtantiam aliquam gignere. Nam & ſi ex niue in aquam per calfactionem conuerſio fiat, non tamen à calefactione aqua illa gignitur, ſed tantum quod prius erat ſub niuis ſpecie (quæ ex aqua refrigerata, vt hic vult Galenus, naſcitur) nnnc aquæ ſpeciem ex qua genita nix erat induit in contrariam utique qualitatem permutatione facta nempe ex glaciata frigiditate in calorem cuius actione effectum eſt, ut in propriam materiam ex qua conſtabat nix, reſolutio facta ſit. non nouæ alicuius ſubſtantiæ generatio. Vnumquodque enim in ea reſoluitur ex quibus componitur. Itaque ſubſtantiæ nomine latè, non propriè ſumpto hoc loco vſum fuiſſe Galenum abundè conſtat. pro omni eo quod eſſentiam quandam habet. Nec uero nos quiſpiam impudentiæ, aut temeritatis arguat, ſi impropriè locutum hic fuiſſe Galenum affirmare non uereantur cum dixit calefactionem, alterius ſubſtantiæ generationem eſſe. Nam cum calfactio motus ſit ad qualitatem, quo quidem motu caliditas in ſubiectam ſubſtantiam inducitur, profecto talis motus ſubſtantiæ generatio dici nullo prorſus pacto poteſt, ſed qualitatis tantum inductio. Non ergo uerum eſt calefactionem (quod hic ait Galenus) alterius ſubſtantiæ generationẽ eſſe. cum nunquam qualitas ulla aliqua ſubſtantiam per ſe gignere poſsit. ſed ſui ſimilem qualitatem ut caliditas caliditatem, frigiditas frigiditatem & ſic de reliquis omnibus. Quãquam negandum non eſt, qualitates ut inſtrumenta ad ſubſtantiæ generationem plurimũ cunferre vt caliditatem in fœtuum ac fructuum generatione, tum & humiditatem. non tamen unquam profecto qualitas ſubſtantiam procreabit, ſed ſubſtantia omnis ex ſubſtantia gignitur, ut homo ex ſemine ſimiliterque bruta omnia, tum & arbores ex ſui ſeminis vnaquæq; vi & potentia gignitur. Perpetuum igitur maneat, ſubſtantiam omnem ex ſubſtantia non ex qualitatibus gigni ut hac ſerie demonſtraſſe me plenè arbitror. Quoniam uero de niuis generatione Galenus ſermonem hoc loco inſtituit, grauiorum de ea re autorum ſententias promamus. Ariſtotelis certè (cui uni in rebus naturæ explicandis palma meritò tribui debet) niuem gigni ait denſitate nubium friatili quæ ſimul ac in aquam verti cœptæ ſunt, in minuta contunduntur; cum eo, vt illa contuſio ſpeciem ſpumæ, exactumque candorem: numoris autem qui ineſt, concretio, quique nondum fuſus eſt, aut rarefactus, rigorem efficiat. Quæ impetu & confertim decidens νιφετὸς appellatur. Hæc Ariſtotelis libro de Mundo, de niuis generatione ipſiſsima verba ſunt. libro uero Meteororum priore, capite duodecimo, Niuem nubem eſſe congelatam dicit prout pruinam congelatum vaporem. Plato verò in Timæo obſcurioribus quidem uerbis, ſed grandioribus, & quaſi è Mineruæ, hoc eſt diuinæ ſapientiæ adytis, expreſsis, nimium, grandinis, pruinæ & roris generationem tradi- " dit in hæc uerba, Igni (inquit) ſæpe miſcetur aquæ pars tenuis atque humida fluidaque: ſic " ideo nominata, quia lubrica terram circumfluit, mollis quoque ob eam cauſam, quia eius "

Galenus improprietatis hoc loco notatur

bases

„ bases minus firmæ stabilesque, quàm terræ, facile cedunt atque labuntur. Hæc quando ab „ igni destituta, ab aere quoque deseritur, fit leuior, & alienis expresſis cogitur in se ipsam: „ atque ita compacta, si supra terram id contigerit, grando fit, si in terra, glacies: quæ quidem „ tunc fiunt, cum riget cohærescitq; maxime gelu; cum verò minus congelatur, si supra terrā „ accidit, nix: sin in terra ex rore crasſior facta, pruina. Hactenus Plato, cuius nos sensa obscu„ riora vt paulò dilucidius explicemus, animaduertendum Platonem, aquæ genera duo sta„ tuisse: vnum humidum quale est aquarum per terras defluentium: alterum fusile quód vo„ cat, qualis est vapor à terris solis calore sublatus, & in aerem euectus, ex quo in nubes cōcreto pluuiæ, grando, niuesq; generantur. Huiusmodi quidem humidi uaporis genus si terris includatur iuxta Platonis sententiam, metallorum esse ac lapidum materiam inquit: ita ut ex purisſimo humore fiat aurum & adamus, ex imputo & terrestri æs & ferrum. Iam uerò niues, glaciem, grandinem pruinamq; gigni hoc modo dicit, ut nix ex humore in aerem sublato, frigefactoq; prorsus, adeo ut minutim congelatus cadat, efficiatur. Glaciem, aquam esse frigore concretam, propter caloris illam dissoluere potentis priuationem. Grandinem ex guttis pluuialibus, ob aerem frigidum congelatis, induratisq; gigni asserit. Pruinā deniq; ex rorido uapore, ad proximū nobis aerem excitato, frigefactoq; effici docet. Hæc Platonis de niuiū, grandinis, Glacici, Pluuiæ, roris ac pruinæ generatione in Timæo suo autore digna sententia est Galenus hac ipsa quā interpretamur scire, niuem ex aqua refrigerata, non in vnum collecta gigni affirmat, in quo profectò nō satis exactè & ad veri normā niuiū gñationē tradidisse mihi est visus sed cōfusè nimis & indiscrete. nō enim aquæ refrigeratio solius niuis est causa, sed & grādinis, pruinę, glaciei quoq; vt ex p̄citata Platonis in Timęo, & Aristotelis libro de Mūdo & primo Meteororū sentētia abūdè constat. Neq; enim ut nix fiat aquam refrigerari solum sufficit, sed nubem dum in aquā sese vertit, contundi ac minutatim glaciatam instar spumæ candidæ concrescere sicq; in terras labi. idq; nix est. vt præcitatis locis Plato & Aristoteles sensere. Minus itaq; exactè niuis generationem explicasse hoc loco videtur quod sanè mirum non est, cum ex professo de niuis generatione illi hoc loco non esset sermo habendus. Sed tātum niuis alterationem pro exemplo propositi dogmatis, tum & illius in minima diuisionem adferre voluit, vt ostenderet continui diuisionē substantiæ quidem diminutionem: non autem mutationem speciei facere posse. Plutarchus verò grauisſimus autor, libro de Placitis Philosophorum tertio, capite quarto, de Anaximandri sententia niuem fieri testatur, cum aqua delapsando glaciatur, grandinem verò cum quid madido spiritui obducitur. Seneca primæ notæ Philosophus. libro Naturalium quæstionum quarto, grandinem nihil aliud quàm suspensam glaciem esse: Niuem in pruina pendentem congelationem. Quorum neutrum (si ad trutinam res expendatur) verum esse comperietur. Siquidem neque grando suspensa glacies est: cum omnis in terram pondere & grauitate sua decidat, nec pendula in aare maneat & si in illo gignatur. nec nix in priępendens congelatio, cum Autoribus Platone, atque Aristotele, nix nubes sit congelata: pruina congelatus vapor. Sed iam de his satis. Ad Galenum denuò explorandum redeamus.

Galenus de niuis generatione notatur.


Seneca notatur.

Textus. Igitur quæcunque corpora primùm huiusmodi qualitates obtinent, illa reliquorum omnium & carnis elementa sunt: nempè terra, aqua, aer, & ignis, quæ Philosophi omnes qui demonstrationem non refugiunt, elementa esse eorum, quæ generationi & corruptioni subiiciuntur, asseuerarunt, ac in se mutuò transmutari aiunt, communeque aliquod omnibus esse subiectum. Verum de his uerba facere non instituimus. Neque moueri quis debet multitudine à ueritate aberrantium, uerum demonstrationi, si eius est facultas, fidem adhibere. Porrò si omnino demonstrationis substantiam ignorant, ut nonnulli qui se Philosophos dicunt, uereri se sententiam ferre confitentur, credendum non erit. Nam perinde est, ac si quis discere uellet, quonammodo solis defectum præsagiri oporteat, priusquam in numeris se & lineis exercuerit. Fugiendi itaq; eiusmodi homines

ſunt,tanquã barathra. Quippe ſecũ aliquando eos quibus cũ verſantur,attrahũt, vel omnino inficiũt,niſi in logica ſpeculatioe abũdè quis exercitatus fuerit. Hactenus ẽt illi diſciplinæ,ſi vnquã alij rei, incũbendũ eſt. Sed hæc præter inſtitutũ.

QVænam ſint partium noſtri corporis & reliquorum omnium miſtorum corporum elementa,hac feriæ docere pergit Galenus inquiens,ea eſſe quæ primum & præcipuè qualitates illas effectrices poſſident, caliditatem dico, frigiditatem, humiditatem,ac ſiccitatem. Ea porrò ſunt,terra, aqua, aer, & ignis. Nam in nulla alia priuſquam in igne,aere,aqua, ac terra qualitates has eſt inuenire atque ob id primæ merirò vocantur. quòd primis illis corporibus inſint: & quòd ijs nullæ ſint aliæ qualitates priores, eædemque ipſæ & elementariæ quoque dicuntur, quòd elementis primum inſint illiſque conueniant. Simplicia namque compoſitis priora natura eſſe oportet. Vt omniũ Philoſophorum concors ſententia eſt. Atque eadem hæc ipſa elementa, non ſolum carnis & reliquarum noſtri corporis partium omnium elementa reuera ſunt, ſed & eorum omniũ quæ generationi & corruptioni ſubijciuntur, nempe metallorum, vegetabilium ſeu plantarum, animantium, lapidum gemmarum & vt in ſumma dicatur, vniuerſæ ſubſtantiæ quæ materiæ innititur, quatuor illa prima corpora ignis, aer, aqua & terra ſeſe immiſcẽt, vt ex quibus omnia conſtent, quod cõmuni teſtimonio atq; aſſeueratione Philoſophorũ omniũ qui demonſtrationi fidem habent (quæ quidem aſſertio publica pro lege eſſe debet, vti & idẽ Galenus in Cõmentarijs ad librum de natura humana conceptis verbis affirmauit, inquiẽs pro lege eſſe debere, quod omnes homines arbitrantur) teſtatũ vult hoc loco haberi Galenus. à quo quidem veritatis dogmate, ne tranſuerſum quidẽ vnguem diſcedere debent qui verè Philoſophantur, nec deterreri multitudine à veritate aberrantiũ, quominus & ipſi viã veritatis ſequantur. Nã vt eſt doctiſſimè à Pythagora dictũ, per publicã viã, id eſt vulgi, & à veritate aberrantiũ, eundũ non eſt. Sed cũ paucis ijſq; ſapientibus ſentiendum. iuxta vetus prouerbiũ, loquendũ vt multi, ſentiendũ verò vt pauci, quòd ſermo detur cunctis: ſed animi ſapientia paucis. vt grauiſſime Cato dixit. Quòd verò ex ijs elementis in ſe mutuo tranſmutatis omnia conſtare velit Galenus, planũ facere videtur (quod & nos ſupra annotauimus) elementa quidẽ in mixtis, alteratis tñ & refractis eorũ ſubſtãtijs ineſſe. cũ ait quatuor illa prima corpora elementa eſſe eorũ omniũ quæ generationi atq; interitui obnoxia ſunt. ipſis tñ in ſe mutuò tranſmutatis, ꝙ ſane fieri minime poſſet, ni eorũ ſubſtantiæ, retractæ tñ, & inuicẽ ex mutua actione & paſsione alteratæ in mixtis remanerent. cũ tranſmutatio ſine ſubſtãtia quæ tranſmutatur effici nequeat cũ ſit mutatio quædã ad ſubſtantiã. Subiicit tãdẽ Galenus, ſi hi qui demõſtrationẽ refugiunt, (& ſi ſe Philoſophos dici velint, hocq; nomine glorientur,) ſi inquàm ſententiã ferre ſe vereantur, credendũ illis non erit, quòd nuda adferentes uerba plus ſibi credi poſtulant, quàm qui demonſtrationũ fide loquuntur. vt idem libro ſecundo methodi medendi ſcitiſſime dixit. Neq; enim ſi quis diſcere velit quonam pacto defectum ſolis prædicere oporteat, interea verò neq; in Arithmetica & Geometria, (quæ numerorum & linearum diſciplinæ ſunt) fuerit exercitatus, nunquam profectò de ſolis defectu ratiocinari, ne per ſomniũ quidem poterit. Quoniam vero pro exemplo id hoc loco appinxit Galenus, haudquaquam verebimur in aliena caſtra non tanquam transfugæ ſed vt exploratores tranſire, nempè ex Ptolòmei, Purbachij, & Ioannis à ſacro boſco adytis de deliquij ſolis & lunæ ad huius loci pleniorem explanationem cauſis, tractare. Porrò qđ Græci ἔκλειψιν nos defectionem recte vocamus, quod cum accidit, aſtrum id qđ deliquiũ patitur, deficere ſuo lumine videatur, quo tpe in deliquio poſitum eſt, vt experientia ipſa docet. Siue enim ſol, ſiue luna intra terminos Eclypticos motu ſuo cõſiſtant, lumine priuari ea cerimus. hoc eſt lumen ſuũ nobis impartiri pro eo quo impedita ſunt tẽpore, non poſſe. Fieri aũt aſtronomi oẽs volũt quã defectionẽ dicimus, in luna quidẽ, cũ ea ſoli oppoſita in capite vel cauda draconis ſub linea Eclyptica vocata cõſtiterit. ꝙ tum vmbra terræ ſecundũ diametrũ ſeſe media ſoli & lunæ obtrudat, interpoſituque ſuo lumen, quod nobis impartiri luna mutuò accepto à ſole lumine ſolet, auferat quanto quidem tempore inter vtrunq; ſidus poſita obſtiterit, quod lunæ deliquium vocant. Solis vero tum deliquium eſſe volunt, cum luna ſoli coniuncta in capite, vel cauda draconis conſtiterit. tunc enim

lunę corpus inter aſpectum noſtrum & ſolem intercidere, obiectuq; ſuo tantam luminis ſolaris partem nobis auferre quanta fuerit lunę portio corpori ſolari obiecta. Nam cum opacum corpus ſuapte natura luna ſit, nec à ſe lumen proprium habeat, ſed à ſole mutuetur, efficitur profectò, vt ſoli obiectum vmbram neceſſario creet. Siquidem iuxta vitellionis, & Perſpectiuorum omnium autorum ſententiam, ipſaq; experientia teſte, opacum corpus luminoſo obiectum ob id vmbram neceſſario profert, quod denſitate ſua radios luminoſa corporis neq; admittat, neq; ad nos perferri ſinat. Atq; hę in vniuerſum ſunt deliquij ſolis & lunæ cauſę. Vti Ptolomeus libro ſexto Almageſti à capite quinto vſque ad duodecimum & Proclus libro de ſphera, Purbacius libro Theoricę Planetarum capite de paſsionibus Planetarum diuerſis, & Ioannes à ſacro Boſco capite quarto. libri ſui de ſphera doctiſsimè tradiderunt. Vtriuſq; autem defectionis nos hic figuram appinximus, vt ex ea inuenes quaſi in tabula expreſſa deliquii ſolis & lunę rationem tenere queant. Nam exemplorum ea certiſsima haberi debent quę ipſi oculis vſurpauimus. Vt nono methodi aſſerit Galenus. ob id Geographi omnes, atque Aſtronomi ſubditis ſiguris & terrarum ſitus, latitudines, longitudinesque, hoc eſt dimenſus & eleuationes verſus polos, & cardines orientis & occidentis, tum vero in cælo circulorum, linearum, & ſyderum poſitus, declinationes, & magnitudines nobis ob oculos ponere ſolent, quod nos in præſentia efficiemus.



Deliquij lunaris affiguratio.

De liquij solaris affiguratio.

Sub finem capitis cauta admonitione vtens Galenus, eos tanquam barathra fugiendos doctis omnibus cenſet, qui vel demonſtrationis ignari, ea uti neſciunt, vel eos etiam qui cũ eam didicerint, ea tamen vti nolunt deſpicatui eam halentes, quod huiuſmodi homines plerunq; factioſi, elati, ſibi fidentes, alios in eandem perniciem quaſi contage quadam trahant qua ipſi male feriati homines peſsimè affecti ſunt ob id cauendos meritò cenſet hoc loco Galenus, ne à recta aberrantes via in erroris & falſitatis deuium deducantur. Atq; hic capitis finis eſto.

## CAPVT DECIMVM.

Nunc ad id reuertamur. Ex quatuor elementis inuicem contemperatis similaris vna pars nascitur. pro temperamenti qualitate, vel sensibilis, vel insensibilis.

Com. QVod prius capite nono dictum fuerat, id & nunc denuò repetit. nempe, ex elementorum substantiis refractis & inuicem contemperatis mixtorum corpora constare. quod ex hoc loco desumi vel apertissime potest, cum ex quatuor elementis contemperatis similares partes constitui hic velit Galenus. Cum enim non nisi ex substantia, substantia gigni quæpiam possit, si mixtum futurum sit quod gignitur (quod enim substantia non est, id generationi subiectum idoneum esse non potest. vt Aristoteles voluit) efficitur profectò, ut cum similaris pars ex quatuor elementis inuicem contemperatis gignatur (quod hic ait rectè Galenus) oportere inquàm elementa ipsa secundum eorum substantias contemperatas partem similarem gignere. cum id efficere qualitates ipsę per se nequeant. vt quæ seorsim à substantiis consistere nequeant. cum earum esse, sit in alio esse, non per se subsistere. Sunt namq; qualitates omnes in substantia, ceu in subiecto. Est enim qualitas secundum quam quales esse dicimur. Aristoteli capite de qualitate. Quid verò similaris pars, dictum antea capite secundo abundè est. Et Galenus lib. de morborũ differentiis capite tertio exactè explicauit. Pro temperamenti autem qualitate vel sensibilẽ vel insensibilem fieri partem, perinde est ac si quis dicat, vnamquanq; partem, suam esse naturam sortitam, vt vel sensu prædita sit, vel sensu destituta, rara, vel densa, dura uel mollis, idq; à temperamento alio atque alio obtinere. vt hic & libro secũdo de tẽperamẽtis Galenus. Siquidem ut idem alio loco ait, tẽperaturæ naturas nostras magis minusve passibiles faciunt. Eodem namq; autore Galeno, temperatura quatuor elementorum, natura nostra dicitur. Sensilem porrò partem aliquam esse, est ipsam uim per se habere noxia & vtilia percipiendi quod neruosæ substantiæ participatu fit. uti insensilem esse, cum noxia nec utilia sensus defectu deprehendere ualet. ea vi destituta, qua talia depræhendi solent, nempè sensifica facultate. unde meritò insensilis ea pars dicta est. ossa autem, insensilia natura de industria fecit, non solum quòd terræ elemento temperie sua respondeant, frigida & sicca cum sint, vti terra, adhæc solida, densa, iuertia pigra, sed etiam quòd cum essent futura totius corporis fundamenta, ac ueluti carinæ ac bases quibus partes molles inniterentur, ea insensilia esse oportuit, tum òb duritiem & soliditatem ipsorum, tum vt ne ab externis iniurijs & a nimijs motibus corporis labefactari ipsa possent. quod fieret, si sensu prædita ipsa essent. tametsi per membranam incumbentem (quam periostion vocant) aliquo sensu per sympathiam & vicinitatem incumbentis membranæ prædita esse videantur. sed reuera ipsa per se insensilia ossa facta sunt, quod ex ipsorum sectione experientiæ fide percipi potest, cum ferra dissecta nihil prorsus sentiant.

Libr. 1. de gener.

Libro. 3. apho. com. 11.

Lib. 3. aph. com. 2.

Simili ratione & particulares in vtroq; genere differentiæ omnes, temperaturæ differentiam sequuntur. Pro huius enim ꝓprietate aliud os, aliud caro, aliud arteria, aliud neruus efficitur. Cæterum cuiusq; horum proprietas in temperamenti proprietate consistit. Siccior namq; & calidior leonis caro est, humidior frigidiorque ouis, media inter utranque humana. Atque inter ipsos homines Dionis caro, exempli gratia, calidior est, frigidior autem Philonis. Quapropter tot similarium partium simplices differentiæ sunt, quot elementa. calidiores, frigidiores, humidiores, & sicciores. Compositæ uerò aliæ quatuor, humidiores simul & frigidiores, calidiores & humidiores. Tertia siccior una & calidior, dein quarta frigidior simul & siccior.

Textus.

Partem

PArtem quampiā vel ſenſilem fieri vel ſenſu deſtitutā, pro temperamenti qualitate, ſerie præcedenti dixerat. Hac vero ipſa, particulares in omnibus partibus tā ſenſu p̄ditisquàm in ſenſilibus differentias, temperaturæ in ipſis partibus rōnē, ac differentiā ſequi confirmat. Siquidē temperaturæ quæ parti inſita eſt, proprietati ac merito adſcribendum eſt, vt hoc caro ſit, aliud os, arteria, neruus. Vbi enim calidior humidiorq́; temperatura adfuerit, ex ea carnem gigni neceſſarium eſt, ac proinde carnē calidam humidamq́; eſſe ſuaptè natura dicimus, quod temperaturam illam ſequatur unde genita eſt. Agens enim omne in id agit, ut quoad poteſt effectum ſibi ſimile reddat, quæ conſtans eſt Philoſophorum omnium aſſertio. Sic vbi frigida ſiccaq; temperies in parte uim obtinuerit, ſimilia gignet membra, os, arteriam, neruum. ac proinde effici vult meritò Galenus, vt cuiuſq; horū proprietas in temperamenti quòd à natura ſortitum eſt, proprietate cōſiſtat. propriam nanque & inſitam temperaturam perpetuò partes ipſæ ſimilares omnes ſequuntur, quòd temperatura, partis ipſius ſubſtantia eſſe Galeno dicatur atq; natura. Nam carni eſſe carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuiq; id eſſe quod eſt (ait primo de uſu partium Gal.) per qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam miſtionemq; contingit. Cap. 9. Idq; ſumma certè ratione, quòd (vt lib. 3. aphoriſmorum Commentario ſecundo dixit Galenus) temperaturæ ipſæ, natura noſtra dicuntur. Atq; hoc ipſum q̄d modo dictum eſt, partes ipſas temperamenti proprietatem ſequi, exemplis appoſitis confirmat Galenus. Siquidem leonis caro calidior ſicciorq́; eſt: ouis verò frigidior & humidior, media inter hæc hominis caro, nempè leonis carne frigidior, ouis uero calidior. Sic & inter homines vaſta quædam in temperaturis ipſis differentia eſt. Vt ſit vnus alterius reſpectu calidior, frigidior alter, humidior aut ſiocior, & ſic quoq; in compoſitis temperaturis. Quę quoniam ex ſe plana ſunt ampliore interpretatione non indigent.

Textus.

His accedit princeps omnium temperatiſsima: Sed de his ſatis in opere de temperamentis tractatum eſt.

Com.

IN opere de temperamentis octo eſſe temperaturarū formas, ſeu differentias, ac ſupra eas eam quæ verè temperata dicitur, quamq; hoc loco principem omniū meritò vocat Galenus, ab eodem dictum eſt. Nos verò hic ad huius partis explicationem, quid temperamentum ſit, quid, & quotuplex temperatum dicemus. De reliquis facilis eſt explicatio. Itaque temperamentum Galeno, & medicis omnibus dicitur, (Libro .. de temper.) elementorum in nobis ad recte obeundas actiones congrua miſtio, quod enim ex elementorum concurſu atque miſcella naſcitur, refractis utique ſummis eorum viribus, ac mutua inter ſe actione & paſsione confuſis ac contemperatis, id ſanè temperamentum iure optimo appellatur. Auicennas, qualitatem quandam eſſe uoluit, ex mutua elementorum in ſeſe agentium actione paſsioneque reſultantem. Poteſt & qui volet temperamentum harmoniam quandam atque concentum ex diſsimilibus atque contrarijs conflatum dicere, in conſenſionem quandam coeuntibus elementis. Quæ niſi moderato & concordi quodā nexu in mediocritate poſito ſeſe cōplectantur, temperamentū profectò nunquā efficient. ſubſtantijs utique elementorum totis per tota confuſis, vt exemplo de vini & aquæ miſtione probat ſub finem primi de Elementis libri Galenus. Indicans in temperamenti ac ſubſtantiæ mixti generatione, totas per tota elementorum ſubſtantias confundi atq; miſceri. perinde atq; in vini & aquæ miſcella, amborum ſubſtantię inuicem agitatę, confuſæ, & per minima intermiſtæ eam quę ex aqua & vino fit temperaturam pariunt, idq́; dogma Galenus eo loci ob certitudinem perpetuò amplectendum docet atque affirmat. Non igitur ut gloſſematarii quidā è neotericis Auicennā ſequentes ineptè garriūt; ex elemētorū qualitatibus tantū temperies ipſa naſcetur. cū ſeorſim abſque ſubſtantia ſubſiſtere qualitates nequeant: ſed magis ex refractis probeq́; ſubactis elementorum ſubſtantiis coagentibus quidem eorū etiam qualitatibus orietur temperies ipſa in nobis. Nec obijci quidem poteſt, ex tā multis coalitū ſubſtantiis, vnū non eſſe cū vnius una ſit tantum forma non plures. Nam quę ad generationem mixti, elementorum ſubſtantię concurrunt, eæ tum dum ſeſe inuicem

mutua actione permiserit atq; confundunt, vnum nõ efficiunt, ſed tum ſolum vbi ab actione ceſſatum eſt. tumq; iam non plures eſt inuenire varias ſubſtantias, ſed tantum vnã ex miſcella genitã. perinde atq; in tetrapharmaco vocato, & ſi piſcis, reſinæ, ceræ, & olei ſubſtantias in vnũ permiſceri ad illius generationẽ cernimus, nõ tamen in eo probe apparato quatuor illas memoratas ſubſtantias actu, ſed unam tantum quæ medicamenti propria ſit, eſt ſpectare. Temperatum porrò Galeno id dicitur, quod ex contrariis æqua prorſus inter ſe portione coeuntibus conſtat. quod Græci εὔκρατα id eſt contemperatũ ſeu cõmenſuratũ vocant. Id autem duplex eidem autori lib. primo de temperamentis ſtatuitur, aliud abſoluto ſermone cum paritas exacta in miſto ſeruatur, omnibus inquam elementorum viribus & mole æquatis, & quaſi in bilance ſeu ſtatera poſitis vt neutrum altero præponderet, quod temperamentum ſcholæ æquale ad pondus nominant. Galenus medium in uniuerſa ſubſtantia vocat. Eſt & alterum in ſingulis generibus dictum; quod tũ in plantis, tũ in animantibus eſt inuenire. atq; id eſſe vult Galenus, in quo & elementorũ ſymmetria ac moderatio ea ſubeſt, quæ animanti aut ſtirpi conuenire maxime videtur. quod & ipſum temperatũ ad iuſtitiã idem autor appellauit. cũ mediocritas ea quæ ad poteſtatẽ refertur his adſit nõ paritas ſeu æqualitas ea exacta, quæ pondere & menſura talis eſt, ſed quæ eo qđ pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Hoc enim iuſtitia diſtributiua eſt, cum cuique vel plantæ, vel animanti pro ſui dignitate & operationibus obeundis, tantũ ſymmetriæ elementorum datur, quantum illi neceſſariũ fuerit. Dedit enim præpotens Deus unicuique animanti temperiem eam quæ functionibus eius maximè conueniat & quantum animantis, ſeu plantæ cuiuſuis ſpecies pro ſuis actionibus obeundis mereri videtur. vt doctiſsime Arabs Auicenna cap. 2. doctrinæ de cõplexionibus dixit. Temperatũ porrò in uniuerſa ſubſtantia (quod æquale ad pondus ſcholæ vocant) ab utroq; extremorum pari abeſt ſpatio atq; interuallo, & ex æquali elementorũ portione conſurgit. Ea Galeni mens eſt, libro de temperamentis primo, cum ait, Illud modo determinantibus nobis, quòd ubi ſubſtantia quæpiam eucratos, ſiue temperata dicitur, tum hac alia ſiccior, alia humidior, & alia frigidior, alia calidior eo loco eam quæ ex contrariis æqua prorſus inter ſe portione coeuntibus conſtet, εὔκρατα ſiue temperatam nominari. Quod ſanè temperamentũ, quod mediũ in vniuerſa ſubſtantia vocauit Galenus, & ſi ab eodẽ autore ſtatuatur derq; illius imaginẽ quandam ſmiſcentibus nobis aquæ feruentiſsimæ parem glaciei modum, id ipſum tamen intellectu magis, quàm re ipſa concipi poteſt. Nam nec pari inter ſe portione atq; menſura ad mixti cuiuſpiam generationem concurrere elementa poſſunt, nec ſi poſſent, ab his ſic co euntibus nulla prorſus actio ſequeretur. quòd quantum eſſet vitium in agendo tantum eſſet reſiſtentiæ in contrarium. æqua nimirum inter ſe proportione coeuntibus elementis. atque ob id rectiſſimè Philoſophi cenſent, cum à paritate, ſeu æqualitate proportionis nullam ſequi actionem affirmant. Ac proinde Galenus libris tum primo de ſanitate tuenda, & de temperamentis, cogitatione potius quàm reipſa comprehendi affirmat, nec ſolide conſiſtere poſſe verũ ad exactam hanc æqualitatem elementa miſcere humanæ facultatis non eſt, ſed uel Dei, uel naturæ ut lib. primo de temperamentis affirmauit Galenus. Itaq; dari non poſſe temperatum illud in uniuerſa ſubſtantia, quod æquale ad pondus dicunt, multæ ſanè atque efficaciſſimæ rationes demonſtrare uidentur. Primùm quòd cum in tali temperamento moles elementorum æquatas pareſq; omnium vires concurrere oporteat, id autem fieri nunquam poſſit: ex quo poſita paritatem molis elementorum, perpetuò tamen caliditas cum ſit qualitatũ omniũ actuoſiſsima & maxime efficax, vt paulò ante dixit Galenus: ſitq; ipſa ceteris in agendo potentior, ſemper in proportione pari cũ reliquis poſita præualebit. ob ſummã agendi vim reliquorumq; vires ſuperabit. Vt nunquã paritas & molis elementorum & poteſtatũ æqua ſeruari poſsit. Quin & ſi tale daretur in uniuerſa ſubſtantia medium, ipſum neq; in loco quieſcere, neq; ad locum uſpiam moueri poſſet. Vt docte ex Algazelis ſententia tradit conciliator. Nam ſi in terra ut loco proprio quieſcat, iam terra cetera vincet, neque æqualitas ſeruabitur, ſicq; ſi alibi quieſcat, id elementum reliqua ſuperabit. Vnumquodq; enim in eo loco naturaliter ſiſtitur quod elemento uincenti proprium fuerit. Inde fit, vt grauia in imo ſemper, leuia in ſublimi ſuapte ſponte quieſcant, eoque naturæ ductu ferantur. Si autem moueatur, uel ſurſum ipſum moueri vel deorſum oportebit, ſi ſurſum euincent in

Libr. 1. de temper.

Libr. 1. de temper.

Libr. 1. de temper.

Libr. 1. de temper.

Temperatum in uniuerſa ſubſtantia eari non poſſe. Prima ratio.

Secũda ratio.

Diſſer. 18.

eo iam

eo iam elementa leuia aer & ignis, ſi deorſum, grauia terra, & aqua. Itaque nullibi ipſum quieſcere, aut moueri fas erit quod in miſtis corporibus omnino admitti non poteſt. Ob id rectè Auerrous primo cœli & mundi Com. 7. illud dixiſſe eſt viſus. Impoſſibile (inquit) eſt in corporibus compoſitis aliqua componi æqualiter. Et ſi eſſet aliquod compoſitũ æqualiter, contingeret quòd aliquod corpus non moueretur omnino, ſed ſtaret in quocunque loco poneretur. Et rurſus idem autor, libro ſecundo de generatione & corruptione Com. 48. ſi æquales (ait) fuerint potentiæ, tunc non fiet altera forma, ſicut declaratum eſt in quarto Meteororum. atque ob id ſub finem commentarij huius Galenum coarguit quòd medium hoc in vniuerſa ſubſtantia poſuiſſe ſit viſus. Quin & lib. quarto Meteororum Com. 10. longiore ſerie idipſum confirmat, & libro decimo Metaphyſices Com. 23. & lib. ſecundo collectionum medicinalium c. 1. Quibus in locis omnibus Ariſtotelem interpretans, medium hoc in vniuerſa ſubſtantia dari minimè poſſe magnis certè rationibus contendit. Cui lubens hac in parte aſſentior.

Tertia ratio.

Nam cum in omni miſti alicuius generatione atque adeo in omni effectione agens ſuperare paſſum vincente potentia neceſſum ſit (alioqui nulla vnquam ſequetur actio) vbi autem exuperantia inuenitur, illic æqualitas reperiri non poteſt, ſequitur profectò aut vnum ſupra alterum dominari oportere, ſi actio futura ſit aliqua, aut quod æquale fuerit mole & virtute nunquam quicquam producturum. Si quidem proportiones æquales (quòd Ariſtoteles dixit) impaſſibiles adinuicem ſunt.

lib. 4. mot. cor. c. 1. implicitè.

Quarta ratio.

Tum, quòd ſi tale daretur quod ita temperatum perpetuò ſubſiſteret, nullo elementorum alterum ſuperante, nunquàm profectò corruptio illi accideret: eſſetque omnino & immortale & corruptionis expers. Neque enim aut ſenio marceſſeret, aut ſiccitate abſumptus deficeret vnquam paribus ex æquo manentibus per omnem vitam elementis, nec ſuperatis nec ſuperantibus. Atqui immortale eſſe genitum quicquam ex contrarijs coalitum, impoſſibile eſt, vt libris de ſanitate tuenda à Galeno proditum eſt, non ergo profectò tale vſpiam temperamentum erit inuenire quod probandum aſſumpſeramus. Vnde non ego magnis quibuſdam noſtræ ætatis viris manus dare poſſum qui id in rerum natura conſtitui & eſſe poſſe contendunt. Nam & ſi in temperatura illa quæ ex pari glaciei & feruentis aquæ modo reſurgit, quædam medij imago repræſentetur, non tamen profectò ad æquilibrium expenſa equidem, & ſi quod inde miſtum eſt, neque vrat vt ignis, neque refrigeret vt glacies: ſed tempore quodam inter hæc medio tactum afficiat plus tamen certè caloris in ea miſcella quàm frigoris eſt ad tactum experiri. cum nulla ibi frigiditas adſit tactu percepta, adſit tamen leuiſſimus & blandus calor tactum demulcens. Quin difficillimum ac propemodum impoſſibile mihi videtur, ad parem glaciei modum, parem feruentiſſimæ aquæ modum addere, cum nulla ſit tam feruens aqua quin illa feruentior alia inueniri queat. Cum qualitates ſeſe potentia in immenſum erigere & intendi poſſint. vt Philoſophorum omnium concors eſt ſententia.

Solutio rationis aduerſariorũ.

Nec quæ ab ipſis de immutatione temperamenti calidi & ſicci in contrarium quæ per medium fit, ratio haud perinde magni momenti eſſe mihi videtur quin diſſolui facilè poſſit, Nam primum dici poteſt, & ſi in illa transmutatione temperaturæ calidæ & ſiccæ in frigidam & humidam perueniatur ſucceſſiuo motu ad medium motus alterationis ſeu temporis, non tamen ad medium illud quod ponderis vocatur. Neque enim neceſſarium eſt vt cum permutatio fit ab vno extremo temperamento in aliud illi oppoſitum, id fieri per mediam temperiem inter extrema illa duo interpoſitam. cum vel Philoſophorum omnium atque etiam Ariſtotelis teſtimonio quod tranſmutatur, tandiu ſub forma abijciẽda manet quoad in ipſum noua introducatur forma, reliqua priore corrupta. Itaque dum à temperie calida & ſicca in frigidam & humidam illi contrariam conuerſio fit, tandiu profectò corpus, quod demutatur ſub priore temperie conſtituetur, quoad per aſſiduam actionem poſterior temperies inducatur neque vnquam ad id res progredietur, vt dare ſit tempus in ea tranſmutatione, in quo neque calidum & ſiccum, neque frigidum & humidum dici corpus quod demutatur poſſit. Neque enim ſubſiſtere poteſt ſub tali medio corpus quod tranſmutatur quin protinus vincente temperie illa in quam conuerſio fit, totum ad ſe trahat: & victoria parta, ſuas corpori quod tranſmutatur inferat qualitates & ab ipſis ſuperantibus atque vincentibus temperiei denominatio fiat. Atque per hæc diſſolutam exactè puto rationem eam quæ adamantina ab alterius ſectæ hominibus putatur. Conſtans itaque

lib. de longi. & breui vitæ. & lib. 4. de gene. ani. c. 3. implicite.

sit Galenum hic, cúm temperatam vocat inter temperaturas omnes, eam quæ media est eáque principem esse, de iustitiali temperie non ea quæ ponderis est intellexisse eum. Ob id autem meritò principem vocat, quòd reliquarum temperaturarum omnium norma sit ad quam ceu ad stateram reliquæ omnes expendantur. & quòd item operationum perfectione cæteris omnibus antecellat. vt in arte medicinali Galenus. Sed quando de temperamentis sermo nunc incidit, quæ elementorum mistione varia creari concors omnium sententia est, illud accuratè pertractandum hoc loco videtur, (ne quid commentationi nostræ desit quo & ipsa locupletior illustriorque euadat) maneant ne integræ in mixtione ipsa atque adeo in mistis ipsis elementorum vires & qualitates, quod à nonnullis magnæ nostræ ætatis autoritatis viris magnis verborum ambagibus magis quàm rationum ponderibus affirmari ac pro constituto haberi exploratum est. Quorum ego sententiæ, vni veritati tantum & experientiæ innixus, subscribere minimè possum. nullius addictus iurare in verba magistri. Quod sanè dogma, nec si Philosophorum aut medicorum sensa, nec si experientiæ fidem sequamur, sustineri vlla ratione potest, vt quod si admittatur, omnem mistionis naturam euerti sit necesse. Si quidem nisi quæ miscentur, inuicem alterentur & mutua actione ac passione refrangantur, nunquam profectò mixtio vlla sequetur. Cum sit nihil prorsus aliud mixtio (ita tradente Aristotele) quam miscibilium alteratorum vnio. Quòd si miscibilia alterentur (vt mistionis tradita definitio docet) quonam pacto suis integris viribus qualitates sic alteratæ in mixto remanere poterunt? cum alteratione ea summæ earum vires infringantur & multò quàm essent antea remissiores euadant? Quod ne gratis dixisse videri possim, adiuratissimis grauissimorum virorum non dilutæ autoritatis sententijs. primum pugnabo, ostendamque ex Medicis Hippocratem atque Galenum: Ex Philosophis, Platonem, Aristotelem, Plotinum, & Auerroem vna mecum sentire. quibus cum ego profectò errare, quàm cum alijs bene sentire malo. Dein demonstratione vnica docebo, quod ipsi volunt constare minime posse. nempè, vt in mixto elementorum qualitates integræ & summis suis viribus præditæ maneant a Philosophis autem inchoabo qui paulò enucleatius rem totam pertractarunt. Platonemque summum vbique veritatis assertorem in primis à me stantem adferam. Is enim in Philibo de summo bono, voluptatis & doloris naturam perquirens, multa de mistione ex profecto insererit inter quæ hæc.

An qualitates elementorum in mixtis integræ maneant grauis quæstio.

lib. 1. de gene. c. vlt. ad finem.

Σω. Καὶ μὴν ξυμπᾶσά τις γε μίξεως οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἢ παντὸς ἀξία γίγνεται ἡτισοῦν, ἢ τὸ παράπαν οὐδενός. Πρ. Πῶς λέγεις; Σω. Οὐδείς που τοῦτο ἀνθρώπων ἀγνοεῖ. Πρ. Τὸ ποῖον; Σω. Ὅτι μέτρου καὶ τῆς ξυμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν ξύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην αὑτήν. οὐδὲ γὰρ κρᾶσις, ἀλλά τις ἄκρατος ξυμπεφορημένη ἀληθῶς ἡ τοιαύτη γίγνεται ἑκάστοτε ὄντως τοῖς κεκτημένοις ξυμφορά. Πρ. Ἀληθέστατα. Quod est.

Socrates. Atqui neque inuentu difficile est, quam ob causam mixtio quæque vel plurimi vel parui facienda sit. Protagoras. Quo pacto ais? Socrates. Nemo hominum id ignorat. Protagoras, quid hoc inquam? Socrates, quòd mixtio omnis cuiusuis modi fuerit, si vel mensuræ, vel naturæ commensurati expers fuerit, necessario omnia quæ mixta sunt & mixtionem ipsam perdet. Neque enim temperies hæc fuerit, sed tanquam intemperatus quidam atque fortuitus concursus inde accidet. Protagoras, verissima hæc. Hactenus Plato, ex cuius serie videre possunt, qui integras in mixtione manere elementorum qualitates arbitrantur, Platonem velle in mixtione seruari mensuræ ratione omnino oportere, si mixtio futura est, alioqui (vt ait Plato) miscibilium temerarius atque fortuitus concursus mixtionem non efficiens erit. At quæ mensura erit, si omnia suis viribus integra in mixto maneant? &, vt ipsi volut, qualia antea fuerant? si namque talia manent qualia prius, cum impermixta tum essent, impermixta profectò manebunt. Quæ enim summa sunt, taliaque permanent, ea quidem & simplicissima & in mixtionem non cadunt ijsdem viribus summis prædita. Id enim mixtionis naturæ repugnat id quod longa serie Plato eodem ipso loco docet dum in nobis nihil syncerum neque integrum remanere demonstrat, dum ex igne, aere aqua & terra viuentium corpora constare: sed non synceris neq; integris, conceptis verbis testatur. Cuius seriem hic describam fides vt maior dogmati constet.

Σω. Ἴθι δὴ τὸ ἐπιόντα περὶ τούτων νῦν ἡμῖν λόγον ἄθρει. Πρ. Λέγε μόνον. Σω. Τὰ περὶ τὴν τῶν σωμάτων φύσιν ἁπάντων τῶν ζῴων, πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ πνεῦμα καὶ καθορῶμέν που καὶ γῆν, καθάπερ οἱ χειμαζόμενοι φασὶν ἐνόντα ἐν τῇ συστάσει. Πρ. Καὶ μάλα. χειμαζόμεθα γὰρ ὄντως ὑπ' ἀπορίας ἐν τοῖς νῦν λόγοις. Σω. Φέρε δή, περὶ ἑκάστου τῶν παρ' ἡμῖν λαβὲ τὸ τοιόνδε. Πρ. Ποῖον.

Σω.

Σω. Ὅτι σμικρόν τε τούτων ἕκαστον παρ' ἡμῖν ἔνεστι καὶ φαῦλον, καὶ οὐδαμῇ οὐδαμῶς εἰλικρινὲς ὄν, καὶ τὴν δύναμιν οὐκ ἀξίαν τῆς φύσεως ἔχον. ἐν ἑνὶ δὲ λαβὼν περὶ πάντων νόει ταὐτόν. οἷον πῦρ ἔστι μέν που παρ' ἡμῖν, ἔστι δ' ἐν τῷ παντί. Πρ. Τί μήν. Σω. Οὐκοῦν σμικρὸν μέν τι τὸ παρ' ἡμῖν, καὶ ἀσθενὲς καὶ φαῦλον τὸ δ' ἐν τῷ παντὶ, πλήθει τε θαυμαστὸν, καὶ κάλλει καὶ πάσῃ δυνάμει τῇ περὶ τὸ πῦρ οὔσῃ. Πρ. καὶ μάλα ἀληθὲς, ὃ λέγεις. Quod est, Socrates, Age igitur quod sequitur cõtemplare ex sermonibus meis. Prot. Dic modo, Soc. Quæ circa corpora uiuentium sunt, ignẽ, aquam, spiritum, atque terram in compositione inesse conspicimus, sed fluctuantiũ ut aiũt instar. Prot. Et maxime quidem: in ijs enim sermonibus reuera propter ambiguitatem fluctuamus. Soc. Ergo de unoquoque eorum quæ circa nos sunt id accipe. Prot. Quidnam? Soc. Quod vnumquodque horum apud nos exiguum ac uile, nec ullo modo syncerum, & integrum, nec uim natura sua dignam ferens, qued quidem in uno, animaduertens, de reliquis omnibus idem existimato. uelut ignis, est quidem apud nos, est etiam in uniuerso. Prot. Est. Soc. Non ne igitur hic noster exiguus imbecillus, & uilis, sed qui uniuersi ꝓprius, quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quæ ad ignem pertinet potestate? Prot. vera nimium loqueris. Quænam sit Platonis mens de elementis uiuentium corpora constituentibus hinc elici apertissimè potest. nempè, quatuor illa prima ac simplicissima elemẽta, compositionem viuentium omnium ingredi quidem, sed fluctuantium instar, hoc est instar fluctuum maris minime quiescentia sed mutuo collisu ueluti agitata, minime syncera & integra remanere, sed reciproca actione repressa, quòd exigua sint & uilia, ut ipse ait, nec uim natura sua dignam referentia, quæ compositionem nostram constituunt elementa.

Quòd si sic (prout ita se habere experientia ipsa docet) quo modo quæso integris suis viribus ea ex quibus coaliti sumus constare ac superesse in compositione mixti poterunt? Sed relicto Platone, Plotinum Platonicæ doctrinæ sectatorem egregium audiamus is, libro de mixtione per omnia, capite secundo, hanc de mixtione verissimam protulit sententiam. Sane (inquit) qualitas differens, cum qualitate congrediens, ob idipsum quòd cum altera iam conflata est, nequaquam permanet pura, neque quæ erat, est omnino, sed iam deleta uel obscurata. Hæc ipsissima Plotini latinè loquentis verba sunt. (Græco namque codice destituor, ob id Græca non apposui.) Quid ad hanc euertendam opinionem clarius dici possit non video. cum qualitates in mixtione congredientes nequaquam puras permanere, neque quæ prius erant verissimè certè affirmauit. Cum tamen qui hanc positionem tuentur, qualitates in mixtione puras & integras & quales prius erant (hoc est summis suis uiribus præditas) remanere contendant. quod fieri non posse Plotinus superiore sententia clarissime demonstrauit. Sed quid? an non multò locupletius Aristoteles rem hanc totam explicauit? ἆρ οὖν ἐπειδὴ ἔστι καὶ μᾶλλον καὶ ἧττον θερμὸν καὶ ψυχρόν, ὅταν μὲν ἁπλῶς ᾖ θάτερον ἐντελεχείᾳ, δυνάμει θάτερον ἔσται· ὅταν δὲ ἔσται μὴ παντελῶς, ἀλλ' ὡς μὲν θερμὸν, ψυχρὸν, ὡς δὲ ψυχρὸν θερμὸν διὰ τὸ μιγνύμενα φθείρειν τὰς ὑπεροχὰς ἀλλήλων, τότε οὔθ' ἡ ὕλη ἔσται, οὔτε ἐκείνων τὸν ἐναντίων, ἑκάτερον. ἐντελεχείᾳ ἁπλῶς ἀλλὰ μεταξύ. Quod est, Quapropter postquam calidum & frigidum magis & minus est, quandoquidem simpliciter est alterum actu, potentia alterum erit. Quando autem non omnino, sed ut quidem calidum, frigidum, ut autem frigidum calidum, quia quæ miscentur corrumpunt suas exuperantias vicissim, tunc neque materia erit, neque illorum cõtrariorum alterutrum actu, simpliciter, sed medium. Ex quo sanè loco uidere est de Aristotelis sententia, quæ miscentur suas inuicem excellentias atque exuperantias in mixtione corrumpere. quod est summas suas uires remittese nec illorum contrariorum ex quibus mixtio fit, alterutrum simpliciter, hoc est summe tale remanere, sed medium quoddam fieri quod neque summum, neque integrum sit, sed ex summis refractis contemperatum, & medium resultans.

Libr. 2. de Gener. & Com. cap. 7. num. 26. uel traduo, uel. 47. ex vatablo.

Explicatio loci Aristotelis.

Hæc germana & rerũ naturæ consentiens Aristotelis de mixtione sententia. quam pro aris & focis, ceu uerissimã tueri (si Philosophi esse uolumus) omnino oportet. vtpotè ab summo viro profectam, & sensuum ac experientiæ fide firmatam. Cui reluctari, est sensibus fidem abrogare & (ut est in prouerbio) gygantum more cum Diis pugnare. Hi porrò Philosophi

losophi omnes sententiam hanc ab uetustissimo & sapientissimo Hippocrate mutuasse mihi sunt visi, qui libro de hominis natura, omnium primus posteris intulisse veritatis lucẽ, & fenestram aperuisse mihi planè est visus, sub hac verborum serie quæ generationis in rebus modum docet, & ex quibus homo constet demõstrat, Πρῶτον μὲν οὖν ἀνάγκη τὴν γένεσιν γίνεσθαι, μὴ ἀφ᾽ ἑνός. πῶς γὰρ ἂν ἕν γ᾽ ἐὸν, τι γεννήσειεν, εἰ μή τινι μιχθείη. Quod est, Primũ q̃dẽ igitũ necesse est generationem fieri non ab vno, Quomodo enim vnum existens, aliud quid generarit si non alicui misceat? Et paucis interpositis subdit. Καὶ πάλιν, εἰ μὴ τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ, καὶ τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ μετρίως πρὸς ἄλληλα ἕξει καὶ ἴσως, ἀλλὰ θάτερον θατέρου πολὺ προέξει καὶ τὸ ἰσχυρότερον τοῦ ἀσθενεστέρου, ἡ γένεσις οὐκ ἂν γένοιτο. ὥστε πῶς εἰκὸς ἀπὸ ἑνός τι γεννηθῆναι, ὅτε γε οὐδ᾽ ἀπὸ τῶν πλειόνων γεννᾶται, ἢν μὴ τύχῃ καλῶς ἔχοντα τῆς κρήσιος τῆς πρὸς ἄλληλα. Quod est, Et rursus (ait Hippocrates) si non calidum, frigidum, & siccum & humidum moderate & æqualiter inter se haberentur, sed alterum alterum multum præcelleret, & fortius debiliore præstaret, generatio fieri non posset. Proinde quomodo verisimile est, ab vno quid generari eum neq; à pluribus generetur, nisi temperamentum habuerint inter se probè conueniens?

Explicatio loci Hippocratis.

Si itaq; authore Hippocrate generatio perfici nequit nisi pluribus in temperamentum quoddam coeuntibus, calido, frigido, humido & sicco inuicem mixtis qui fieri potest, vt summis suis viribus prædita quæ ad generationem concurrunt, remaneant? Summis nanque viribus constare, & temperata fieri quæ generationem perficiunt impossibile sanè est. Atqui vult Hippocrates quæ generationem complent, moderate & æqualiter se habere, (quod uerba illa indicant μετρίως καὶ ἄλληλα, καὶ ἴσως ) quod si sic, summas profectò amittere vires atq; integritates suas & exuperantias oportebit. ea quæ generarionem perficient. ut & hic Hippocrates, & supra Aristoteles in ea quam citauimus eius autoris sentẽtia uoluit.

Lib. 1. de temper.

Quod & ipsum exemplo à Galeno proposito indubia fide confirmari potest, dum ad aquæ summè calidæ atque feruentis, parem modum glaciei adijcit. in qua mistura neutrum illorum suas integras vires conseruare explorata sensuum fide cernimus. Nam ubi mixta sint, nec urit feruens aqua, nec impensè refrigerat glacies, sed ex his tepor quidam innascitur, qui blando sensu tactum afficiat. Et quæso (quonam alio faciliore & pleniore testimonio euerti eorum sententia potest qui integras seruari uires eorum quæ mixtionem perficiunt affirmant, quam hoc ipso a Galeno illis proposito potest) in cuius autoris mẽtionem cum iam incidimus, æquum est, ut illum pro se loquentem, & horum sententiam ad veri normã refellentem audiamus. Is porrò priore de elementis libro hanc tulit de re proposita sentẽtiam. ὡς ἐκ μὲν τῶν μὴ μεταβαλλόντων τὰς ποιότητας τῶν στοιχείων, οὐκ ἐγχωρεῖ γενέσθαι τι τῶν ἑτερογενῶν, ἐκ δὲ τῶν μεταβαλλόντων ἐγχωρεῖ. Quod est, Ex elementis quæ secundum qualitates non transmutantur diuersi generis aliquod fieri non contingit, ex ijs autem quæ transmutantur, contingit. Itaqne si, ut hoc loco vult Galenus, ex his quæ non transmutantur nihil etherogeneum fieri contingit, sed ex ijs tantum quæ transmutantur (alterari omnino & immutari oportet ea ex quibus aliquid fit, quod si immutentur, non ne iam a priore statu in quo prius erant desciscunt) Alioqui enim nisi a priore statu deciderent, plane non immutarentur hoc namq; est immutari & alterari, a priore in quo prius erant statu decidere. cum sit alteratio, definiẽte Aristotele, mutatio in magis & minus. ut lib. 5. Physicorum textu. 19. conceptis uerbis affirmauit. Fit enim alteratio quando manente subiecto sensibili existente. transmutatur in eius passionibus aut contrarijs, aut medijs existentibus. Vt idem autor lib. primo de Genera. & Cor. astruxit. Quamobrem cum necessariò qualitates elementorum transmutari in diuersum oporteat, si quid diuersi generis ex ipsis nasciturum est (ut hoc loco censet Galenus) profectò nunquam integræ manebunt qualitates quæ sic demutatę sunt. id enim repugnat, demutari ipsas, & integras manere. Sed rursus eundem Galenum audiamus de hac re doctissimè differentem οὐκ ἐξ ἀτόμων, οὔτ᾽ ἐκ πυρὸς καὶ γῆς καὶ ἀέρος καὶ ὕδατος, ἐγχωρεῖ γενέσθαι τὸ αἰσθητικὸν σῶμα μενόντων ἀμεταβλήτων, καὶ τοιούτων ὄντων οἷα πέρ ἐστι κατὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν καὶ μὴ πασχόντων. Hæc Galeni series libro priore de elementis conscripta, talem nobis de re proposita sententiam profert. Neque ex atomis (ait Galenus) neque ex igne, & terra, & aëre, & aqua fieri

Cap. 4. textu. num. 16. V. I vel 23. ex uatallo.

contingit

contingit corpus sensu præditum, si hæc non transmutentur, sed talem seruent qualem antea habuere naturam, & non patiantur vult ergo Galenus vt corpus sentiendi vim habens gignatur, concurrere quatuor hæc elementa, ignem dico, aerem, aquam, & terram, sed ita tamen, vt nisi transmutentur & inuicem patiantur; nunquam quicquam inde gignetur. nēpè si talem seruent qualem antea habuere naturam. quod est integris suis viribus remanere quæ corpus constituunt elementa. hoc namque est talem seruare qualem antea habuere naturam. Itaque si pati, si transmutari elementa in corporis alicuius sensu præditi constitutione oportet (vt hoc loco affirmat Galenus) quomodo quæso talem seruabunt, qualem antea habuere naturam? quam si seruent, nec patiantur, nunquam quicquam profectò gignetur. vt belle hic docet Galenus. Qui & ipse ad hanc euertendam opinionem fortius insistens, eodem ipso de elementis priore libro aliā denuo in hæc verba protulit sentētiā.

Ὅσι μὲν οὖν ἐκ πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ γῆς, καὶ ἀέρος, ἀλλοιουμένων τε καὶ μεταβαλλομένων καὶ κεραννυμένων δι' ὅλων, ἀξιοῦσι γίνεσθαί τι τῶν συνθέτων σωμάτων αἰσθητικὸν, ἐνδεχόμενα λέγουσιν. Ὅσι δὲ μενόντων οἷάπερ ἐστὶ καὶ μόνον οὕτως ἀλλήλοις ἀναμιγνυμένων, ὥσπερ ἐν σωρῷ πυρῶν καὶ κριθῶν, ἐρεβίνθων, τε καὶ κυάμων, ἀδυνάτοις ἐγχειροῦσιν. Quod est.

Quicunque igitur ex igne, & aqua, & terra & aere, alteratis atque inuicem transmutatis ac per tota confusis, & temperatis fieri existimant aliquid vim sentiendi habens, contingentia dicunt. Quicunque verò ex ijs quæ remanent qualia fuere, & solum miscentur inuicem, sicuti in aceruo frumenta, vel hordea, cicer, ac fabæ, impossibilia moliuntur.

Hæc præclara Galeni censura, hoc Areopagiticum de re proposita iudicium, quo pro tribunali sedens causa cadere sua eos affirmat quicunque putant ex ijs quæ remanent qualia fuere, & suis integris viribus constaret, gigni inde aliquid posse impossibilia inquàm moliri qui talia affirmant quòd fieri nequeat, vt componentibus ipsis sua in integritate manentibus, nec vspiam alteratis, aliquid inde nascatur ab ipsis genitum. Eos verò qui ex igne, aere, aqua & terra alteratis, ac inuicem transmutatis, & per tota confusis, & temperatis gigni sensile alquod corpus putant, vera & contingentia dicere.

loci Galeni explicatio.

Sic enim contingit mixta fieri, ex elementis alteratis probèque confusis ac temperatis, non ipsis sua in integritate manentibus. & vt in aceruo ex pluribus cerealibus diuersi, quidem generis coalito, fabis, hordeo, cicere frumento euenit. quorum quodque non immutatum neque alteratum, nihil conficit, nec gignit. sed hoc faba erit, hoc frumentum hoc cicer, in vnum coaceruatis omnibus, nec vspiam immutatis verum vbi hæc omnia minutissime contrita, tota per tota confusa, permista, & inuicem contemperata in vnum fuerint iam tum profectò vera mistio constabit. nec, vt prius, ibi erit frumentum, hordeum, fabam aut cicera in sua integritate qualia prius erant inuenire: perinde atque in tetrapharmaco vocato medicamento quandiu pix, cera, resina & oleum integra manent tetrapharmacum non constat medicamentum, sed tum cum ipsa probe inuicem intermista ac tota per tota confusa fuerint & in vnam quandam substantiam ac formam redacta. Non ergo ex ijs quæ qualia fuere remanent, conflari quicquam vnquam poterit, ut hoc loco Galenus, sed ex transmutatis, alteratis atque confusis gigni unumquodque ætherogeneum corpus uidemus. Sic enim se res profectò habet concordi naturæ lege, ut nisi miscibilia, inuicem mutua ac reciproca eorum actione & passione alterentur & immutentur, & a priore in qua prius erant integritate desciscant, nunquam mixti alicuius corporis generatio constabit. nunquam mixti in unam quandam formam productio fiet.

Quamobrem qualitates elementorum suis summis uiribus præditas, & in sua integritate constantes remanere (quod isti uolunt) impossibile præcitatis autoribus uisum est. utpote sensuum fide exploratum habentibus, mixta omnia ex refractis & contemperatis ex quibus constāt elementis constare. naturæque repugnare, ut manentibus integris quæ misceri oportet elementis, mixtio procedat. Quandiu enim miscibilia integris suis uiribus manent, pugna tum ingens fit elementorum summis suis potestatibus congredientium, & alterum alterum sua ui atque potentia superare contendit donec refractis summis eorum potentijs in formam quandam & qualitatem mediam decessio fiat quam rectè Medici temperiem vocant. vt haud ineptè Auicennas temperiem ita desinierit, ut sit qualitas ex actione contrariarum inuicem agentium qualitatū elementariarum, quarum partes ita permistæ sunt ut cuiusque earum plurimum contingat plurimum alterius. indeque uocata temperies

fen. 1. pri doc. 3. c. 3

peries

peries insurgat. Et si hanc Auicennę definitionem euertere maxime.

In Ferneliũ pro Auicenna.

Fernelius vir magni nominis contendit. sed inani tamen (vt mihi quidem videtur) conatu imponit namque Auicennæ dum illius definitionem interprætans, existimat id Auicennam sensisse, quintam quandam qualitatem temperiem ipsam esse eamque simplicem quæ superstes, reliquis in congressu pereuntibus, omnium vires potestate compleat. & & quasi suo sinu complexuque recipiat. Hæc enim ipsissima Fernelij viri maximi, & de re medica, deque bonis artibus omnibus optimè meriti verba sunt, quæ ille libro tertio de naturali parte Medicinæ capite primo exarauit sed nihil tale excogitasset Auicennã euidens ratio est. Nam non quintam quandam qualitatem, temperiem esse vnquam commentus est, sed qualitatem solũ eã esse quæ ex mutua actione elementariarum qualitatũ inuicẽ agẽtium & patientium insurgat neque vult reliquas omnino in congressu perire sed refrangi, alterari atque remitti quod ex illis verbis in definitione positis apparet cum ait, quarũ (qualitatũ. s.) partes ad tantã paruitatẽ redactæ sunt vt cuiusq; earũ plurimũ cõtingat plurimum alterius. Quòd si in temperamenti productione, ita commiscentur elementariæ qualitates, vt plurimum sese contingant, iam profectò non perijsse ipsas fateri necessarium omnino erit. Procederent reuera aduersariæ Fernelij rationes, si perire omnino elementariæ qualitates in temperamenti productione solerent. quod cum non fiat, neque id vnquam, immo oppositum conceptis verbis Auicenna adstruxit, infirmas esse neque concludere quicquam aduersus Auicennam fatendum est vt quæ efficto non vero fundamento innitantur. Sed vt eo tandem redeat vnde digressa est oratio, ostendisse me abundè arbitror, ex prædicatæ autoritatis viris, rationibusque ex eorum sententijs ac mente prodeuntibus, fieri non posse, vt integris manentibus elemẽtis mistio aut temperies vlla gignatur. quod & prę-

li. 1. & 2. de gen. & cor.

ter citatos autores Auerrous itidem fidus Aristotelis interpres sensit superest vt quod me extremo loco facturum sum pollicitus id præstem. Vt inquam, rationem quæ demonstrationis vice sit adferam, qua meam assertionem tanquam fossa ac vallo munitam cõfirmem. Est autem ratio hæc. Mistio omnis est miscibilium alteratorum vnio, ita definiente Aristotele.

lib. 1. de gene. cap. vlt.

Atqui integris manentibus elementis nulla tum alteratio in eis cadere potest, quandiu sua integritate manent: non ergo integris manentibus elementis vlla mistio fiet, neque item temperies ulla nascetur. Siquidem cum ex mistione elementorum inuicem agẽtium & patientium, temperiem nasci omnes indubia fide censeant: ut autem mistio fiat, alterari miscibilia oporret (id enim de essentia mistionis est, ut eius definitio docet (quæ autem alterantur, integra & qualia prius erant manere non possunt, cum sit alteratio in contrarium mutatio, ut Aristoteles prodidit, sequitur profectò necessario, fieri non posse

lib. 8. Phys. cap. 1.

ut mistio constet, integris manentibus quæ mistionem perficiunt elementis. Quæ enim in in sua integritate & summis suis uiribus prædita manent, ea nunquam alterata aut in contrarium mutata esse dicemus. quòd rerum naturæ repugnet idem & alteratum esse, & sua in integritate manere. Constans itaque maneat elementa in mistione summis suis uiribus prædita & sua in integritate permanentia neque mistionem neque temperiem ullam creare posse. quod nobis erat probandum. Sed de hoc quæsito iam satis. Ad Galenum explicãdum denuo reuertamur?

Textus.

Verum Præsens sermo qui similarium virtutem ac vitium, in elementorum symmetria & ametria, quasi dicas commoderatione & immoderatione elementorum inuenit. Deinceps uitium ipsarum à morbo distinguet. Porrò ab utrisque rei notione (vt in opere de demonstratione ostensum est) primum exordium distinctio sumet. Quæ igitur sani corporis habitus notio, quæ ægri est? Sanus quidem corporis status naturæ actiones inoffensas habet, æger offensas. Proinde cum sanus quispiam imbecilliores quidem, quàm alius secunda valetudine præditus, functiones obit, nondum verò læsas, intemperatior sanè est, sed nondum ægrotat.

Qui-


Vibus notis sani corporis habitus atque ægri distinguantur hoc loco explica- Com
re aggreditur Galenus. ostendens, in quo nam similarium partium virtus &
vitium maximè posita sint. nempè in commoderatione & immoderatione
elementorum. Si quidem salubre omne moderatum ut morbosum immode-
ratum esse oportet. salubritas namque nihil prorsus aliud est quàm bonus il-
le corporis status ex elementorum in nobis symmetria emergens, vt morbosa dispositio
malus corporis habitus ametriam sequens. Itaque id demonstrare cupiens Galenus a rei es-
sentia exorditur, quod sic enunciare conuenit sermones eorum qui cum demonstratione
quippiam sunt dicturi. vt libro de demonstratione à se scripto, & rursus libro quinto de Cap. 4
symptomatum causis idem Galenus dixit. Igitur sani status notio hæc est, vt inoffensas &
incolumes ad naturæ ordinem actiones edat qui tali statu præditus est, prout ægri corpo-
ris status hæc notio fuerit, vt qui eo fuerit statu, naturæ actiones læsas atque offensas ha-
beat. Terminus nanque qui vtrunque distinguit (ait in arte medicinali Galenus) est ope- Cap. 8
rationum læsio sensibilis. vbi enim læsas cernimus naturæ actiones, mox ægrotare corpus
ratione optima iudicamus. Quippe cum sanus corporis status, & morbosus aduersarij ex di
metro sint, contraria illis inesse omnino necessarium est. Quamobrem cum in altero inof-
fensæ & incolumes naturæ operationes sint in altero offensas & læsas esse ex contrariorum
lege oportet. Sed cum ampla sit sanitatis latitudo, vt in arte medicinali Galenus, efficitur, Cap. 8
vt sanus quispiam imbecilliores quàm alius secunda etiam valetudine præditus, actiones
edat. vt varij sunt in hominibus sanitatis pro temperamenti & habitus corporis varietate,
gradus verum is qui imbecilliores edit actiones, intemperatior quidem dici iure poterit,
non tamen æger vt qui nondum ægrotet. Sed quid est imbecilliores edere actiones? nihil
prorsus aliud quàm minus robustas atque infirmiores quàm qui meliore statu fuerit, ede-
re. Si quidem imbecillitas (autore Galeno) est functionis alicuius membri infirmitas cum libro. 1. de
probè munus suum perficere nequit. Imbecillitatis porrò omnis, causa est, autore Galeno, morb. diff.
vel meatuum ametria, vel intemperies aliqua. Itaque qui infirmiores edit operationes, ob cap. 5.
id intemperatior dicetur, quòd actionum imbecillitas intemperaturæ omnino (quod ad si libro 1. de
milares partes attinet) adscribenda sit, vt mox ex Galeno attulimus, non tamen profectò morb. diff.
is iam ægrotare dicendus erit. quòd & si infirmas, non tamen læsas actiones habet. neque cap. 5.
præter naturam afficitur, vnde lædi actiones possint. vt in exemplo qui frigido, & sicco sunt
temperamento, calidis & humidis imbecillius cibos conficiunt, non tamen ob id ægrotāt.
Nam sibiipsis pro naturæ suæ modo satagunt inseruire, & operationes temperaturæ suæ cō
gruentes edunt. & si non exactas atque perfectas, vt qui salubriore sunt corporis statu at-
que hæc hoc loco Galeni est de sani corporis statu & ægri sententia. quā explicatus in libro
artis medicinalis exposuit. Atque ego in hac huius loci interpretatione duo verba casti-
gaui in Andernaci Guinterij versione malè versa vel etiam omissa erant. nam vbi hic dici- Castigatio
tur, similarium virtutem ille verterat bonitatem (Græcè enim est [illegible]) quod nos re- versionis
ctius uirtutem, quam ille bonitatem transtulimus. in partibus namque similaribus, iuxta Andernaci
familiarem & consuetum Galeni loquendi modum, uirtus insunt & uitium, non bonitas
aut malitia quæ magis ad humores quàm ad partes pertinent. Est enim uirtus partis, robur
ipsius atque potestas, qua sua munia obire rectè potest. prout uitium, infirmitas qua actio-
nes suas probè edere non potest. Addidimus etiam in uersione huius partis, dictionem
hanc (Elementorum) quæ in uersione Andernaci deerat Græcè enim est [illegible] id est ele-
mentorum. ne quis me hæc, & si leuia, non animaduertisse meritò caussari possit.

**Igitur inter salubres corporis habitus unus est temperatissimus, octo intem-** Tex.
**perati. Morbus nullus est temperatus, sed omnes intemperati, & tot sunt nu-**
**mero quot salubres intemperaturę. Quòd si ex sanis alios temperatos, alios in-**
**temperatos statuere non placeat, is alterum duorum dogmatum sequi cogetur,**

uel omnes ſemper ęgrotare, uel unam eſſe omnium temperiem, uirorum, mulierum, iuuenum, ſenum, puerorum, athlętarum, priuatorum, operariorum, in ocio degentium, ualentium, imbecillium; Sed utrumque abſurdum eſt. Ergo tertiam quandam ſanitatis latitudinem eſſe oportet; ut plurimę in ea ſanorum corporũ differentię in maioris ac minoris ratione compręhendantur, ſicut in alijs omnibus habet. Etenim domus, nauis, lectus, arca, ueſtimentum, calceus, currus uel melius uel peius habet priuſquam ęgrotet. Atque hi tres corporis ſtatus in omnibus nobis ſtatuendi ſunt. optimus, deprauatus, & morboſus; Sed optimus unus eſt, perfectisſimum enim deterius eſſe non poteſt, reliquorum duorum, innumerabilis copia eſt, habent autem differentias ratione maioris & minoris.

Com. HAbiturum corporis qui in ſalubritate poſiti ſunt, differentias recēſet hoc loco Galenus ſubinde etiã morboſi ſtatus diſcrimina in genere ponit. inter ſalubres verò vnum eſſe temperatiſſimum corporis habitum ſtatuit, octo intemperatos. Porrò is temperatiſſimus dicetur corporis ſtatus, cum corpus ab ipſo naturę ortu optimam habuerit in ſimplicibus & primis particulis temperaturam, atque in his quæ ex illis componuntur inſtrumentis commoderationem. quo habitu ſi præditum fuerit corpus, ſalubre ſimpliciter nuncupabitur. vt in arte Medicinali Galenus. Dignoſcitur autem tale eſſe, tum ab his quæ ſecundum eſſentiæ rationem inſunt, & ab his quæ ex neceſſitate conſequuntur operationibus & caſibus, quæ accidentia propriè vocantur. Atq; ab eſſentiã quidem ipſa, ſi optimã in conſimilium partium ratione temperaturam obtinuerint in caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate: vt nec iuſto calidius, frigidius, humidius, aut ſiccius habeat corpus. In inſtrumenris verò ea ſit commoderatione, vt in quantitate, numero, formatione, ac ſitu nihil delinquat. Ex his verò quæ ex neceſſitate talem corporis habitum cõſequuntur, quod ad conſimilia attinet, vt in tactu, quo ad qualitates primas & quæ illas cõſequuntur, mollitiẽ dico ac duritiem, in mediocritate exacta poſita iſthæc omnia inueniantur, Quantum verò ad aſpectum vt colore optimo ſit ac ſuaui, & in lænitatis ac hiſpiditatis mediocritate. In operationibus autem vt perfectiſſimas edat. Ab his verò quæ inſtrumentarias partes conſequuntur, à commoderatione & pulchritudine omnium totius cosporis inſtrumentorum, ac præterea earum quæ ipſis inſunt virtute operationum. His ſignis optimus ille corporis ſtatus qui & temperatiſſimus hic à Galeno dicitur deprehendi poteſt. ſi qua eidem autori fides habenda. Temperatum corporis habitum octo intemperati ſequuntur. prout ab illo, exceſſu caloris tantum, frigiditatis, humiditatis, aut ſiccitatis declinant aut per coniugationem cum calore ſimul & humiditate ſuperantibus à iuſto temperamenti modo diſceditur, vel calore & ſiccitate, frigiditate ſimul & humiditate, aut frigiditate & ſiccitate. Itaque hi ſunt octo illi intemperati corporum ſtatus quatuor ſimplices, & quatuor per coniugationem ſimplices dicuntur, cum vna tantum qualitate à iuſta illa temperie diſceſſum eſt, coniugati verò cum ambabus vt mox à nobis dictum eſt. Atque hi omnes in latitudine ſanitatis reponendi ſunt. vt Galenus lib. artis Medicinalis ſcitiſſime demonſtrauit. quòd hi omnes actiones inoffenſas & minime læſas habeant congruenteſque ſuo temperamento actiones edant. Morbus verò (ſubdit hoc loco Galenus) nullus temperatus eſt, ſed intemperati omnes, ea ſcilicet intemperie quæ & præter naturam eſt, & actiones offenſas habet, Recte autem omnem morbum intemperatum eſſe dixit, quòd cum is ſanitati ex diametro opponatur, ſanitas autem omnis in bona ſimilarium partium temperie ſita ſit vt infinitis in locis oſtendit Galenus, ſequitur profectò, ex neceſſitate conſequi, vt morbus in intemperie omnis eſſentiam ſuam habeat. quod de morbis conſimilium partium, non inſtrumentariarum intelligendum uenit. cum in his multa morborum genera ſit abſque intemperatura inuenire. vt cum in ſola formatione, ſitu, numero, magnitudine ſeu quantitate peccatum eſt, tum certè non in mala tem-

Cap. 4 Dignotio temperatiſſimi ſtatus corporis.

In arte medicinali capi. 8.

Cap. 8. nonæ verſ.

lib. 1. de ſani. tu. & li. 1. de morb. diff. c. 2.

temperie, sed vel in formatione sola, situ, numero aut quantitate morbus essentiam suam habet. Tot autem esse numero morbos compertum est, quot sunt & intẽperaturę salubres nempè octo in genere si quæ intemperaturæ salubres sunt, occasione aliqua præter naturã fiant, tot genera morborum inde nascentur quot modis à salubri intemperie decessio fiet vt cuique intelligere facillimum est. Quòd si quis adeò sit stupidus, vt fateri nolit ex sanis alios temperatos esse, intemperatos alios. is profectò confiteri cogetur omnes qui à temperato corporis statu recesserunt, & si sanas sibi & inoffensas edant actiones, ægrotare. posteaquam intemperatos nolunt in latitudine sanitatis constitui. quo nihil à veritate & experientiæ fide alienius dici potest. uel tandem in id erroris delabetur qui ita existimat, ut una omnium sit temperies, uirorum, mulierum iuuenum, senum, exercitatorum, & in ocio ac umbra degentium. quod cum absurdissimum sit & experientiæ contrarium, fateri profectò necesse erit, magnam esse sanitatis latitudinem, ut in arte Medicinali doctè explicauit Gal. in qua plurimæ sanorũ differentiæ, prout magis minusue ad tẽperamentũ accedunt, ab eo ue recedunt, collocẽtur. Atq; hi tres cõmemorati corporũ status, in nobis statuẽdi sunt, si experientię fidẽ sequi uolumus nẽpè optimus deprauatus, morbosus sed qui optimus est, cũ sit omniũ perfectissimus, unũ & singularẽ tantũ esse oportet. quod. n. summũ est pluralitatem secum non admittit, deprauatorum autem, hoc est insalubrium, tum & iam actu ægrotantium innumerabilis ac propè infinita est copia ratione maioris minorisue deprauationis aut ægrotationis. unde innumeræ & insalubrium corporum, & ægrotantium differentię oriuntur. Huius Galeni dicti hæc est ratio, quòd inter id quod optimum, & id quod deterrimum, ingens intercapedo ac distantia sit. ut potè extremis existentibus latitudinis totius humani temperamenti terminis ac limitibus, intra quos contineri sanitatem & morbum oportet. Igitur inter hæc duo extrema, medium interesse aliquod oportet quod utrinque collatum nullius participatione extremorum gaudeat. Id vitiosum seu deprauatum dicimus, quod neque optimum neque ægrum est. ad optimum nanque collatum, vitiosum seu deprauatum rectè dicetur. Quo in genere sunt intemperati omnes corporis status qui secũdum naturam nobis insunt, vt calida intemperies, frigida, humida, sicca tantum. vel per coniugationem tales redditæ: quæ omnes, si ad optimam, nempè temperatam conferantur vitiosæ certè sunt. Si verò ad alterum extremum, nempè ad morbosum conferantur, integræ & salubres iure dicentur. quòd non ægrotent qui tali intemperie donati sunt, & sibipsis sani viuant, & si non omnino inculpatas habeant actiones. Atque hic iam capitis finis esto.

Cap. 8.

## CAPVT VNDECIMVM.

Textus.

Quoniam igitur in hunc sermonem venimus, ab eo desistentes, summatim ea quæ diximus repetamus. Nam sic perspicuum euadet quid in proposita quæstione inuenimus, quidque inueniendum restat. Proposuimus enim, artem sanitatis effectricem constituere, non ut ædificatoriam, quæ domum extruit. Sed illam quę partem eius labefactatam restituit. quanquam hic non eodem prorsus modo.

Com.

MEdicam artem vnam è factiuarum aut potius reficientium numero esse, supra capite secundo dixit. rursusque sub finem libri dicturus est. ac proinde hic Medicinam ædificatoriæ conferens, non perinde se habere artem eam quæ sanitati hominum dicata est, atque ædificatoria circa id quod efficit. Siquidem ædificatoria domum ipsa facit: Medicina ipsa sanitatem non efficit: per se & primo: est enim id naturæ, non artis opus. & si non minimum tamen ad eam rem ars medica præstat. Esse autem naturam nostram quæ præcipuè sanitatem efficiat, Hippocrates his verbis testatus est. Νούσων φύσιες ἰητροί. id est, Morborum, naturæ medici sunt. Ars autem medica sanitatem tantum reficere dicitur instar eius qui labentem

lib. 6 Epidem. particula. 5. apho. 1.

& ruinosam domum instaurat. sed non prorsus tamen eodem modo atque qui domum reędificat. cum non omnino collapsę domus reparatio, sanitatis restitutioni respondeat. Nam insensilis est quæ reparatur domus; qui verò sanatur sensu eximio præditus nihilq́; referre putat architectus, siue quadratis, siue oblongis, rotundis ue lapidibus vtatur, modo operi conueniant. Medicus, quibus præsidijs vtatur, magni æstimat, & vt singulis morbis, pro ætatis, sexus victus rationis, consuetudinis, cœli, temporis, ac regionis natura, tuta & accomodata præscribat remedia maximè studet. vt lib. 1. de Medicamentis secundum locos: & lib. 1. therapeutices ad Glauconem dixit Gal. Id nanque est methodo curare, cognito morbo apta exhibere quæ sanitatem præbeant medicamenta, vt lib. 2. meth. medendi ab eodē authore proditum est. ac proinde & si tam ædificatoria quàm medicina, in hoc conueniunt quòd vtraque quod vitiosum est reficit, discrepant certè in hoc quòd altera in vili materia & insensili opus exerceat suum, in qua (vt ait Galenus) aut nihil aut minimum periculi est,
lib. 1. apho. com. 1. si in ædificando erratum sit, altera verò, nempè Medicina, in nobilissima substantia homine vires exercet suas. ac proinde si delinquatur in medendo, aut noxa aliqua grauis aut mors sequitur. Nobilitas enim subiecti medicum in operando timidum facit. vt medici affirmant ob id rectissimè ab Hippocrate dictum videri potest, experimentum esse periculosum ob materiæ scilicet dignitatem atque præstantiam, non propter transmutationis facilitatem
vbi supra. vt exponit Galenus. Nam in corpore humano illa experiri quæ non sunt experientia com-
lib. 1. aph. com. 1. probata, non est citra periculum. cum mala experientia autore Galeno ad totius animalis interitum terminetur. Quamobrem medici hoc esse officium & celsus & Gal. volunt, vt ce-
Celsus lib. 3. c. 4. leriter, vt tutò, vt iucundè curet. Tutissimis namque præsidijs, & quoad fieri potest, & res ip-
Gal. 12. metho. med. sa patitur, naturæ familiaribus perpetuò est vtendum vt lib. 4. Methodi medendi, & libro de prænoscendo affirmauit Galenus.

Tex. Verum idipsum quod quæritur erat inuenire, quatenus similiter ædificatori corporis vitia corrigere potest qui artem sanitati tuendæ dedicatum tuetur. At quia ad hæc omnia, corporis naturam prænouisse, cuius vitia ars curatura est, oportet, ideo hoc ipsum disquisiuimus. Inuenientes autem partium status, & actiones secundum naturam esse, quibus tuendis restituendisque quum vitiatę fuerint, omnem operam adhibere debemus, ex quot rebus id quod secundum naturam est constet, perscrutati sumus. Porrò quum iam exploratum habeamus, instrumētariarum substantiam ex simplicibus constitui, & harum ex quatuor elementis, deinceps ambarum partium morbos considerabimus.

Com. RD. quæritur, in quo similiter, in quo dissimiliter, tum ædificator domum, tum medicus sanitatem reficiat. In eo verò vtrique similiter, quòd & via quadam ac certa methodo ille in reparanda domo, hic in resarcienda sanitate vtantur. quòd item instrumentis congruis id quod moliuntur efficiant: quòd rursum vtrique veri artifices sunt: quòd in tempore munia vtrique sua perficiant. In eo verò dissimiliter, quòd medicus in viuente ac nobilissima omnium materia, homine ipso, munia exercet sua: ille in vili & insensili paruique pretij. Medicus naturam ægri vel adminiculantem, vel repugnantem his quæ molitur, habet: ædificator nihil tale habet sed prout ille materiam operi adaptauerit, sic nascetur opus. contra medicus, qui & si omnia quæ secundum rationem sunt fecerit, non tamen ei sæpenumero pro ratione succedit. vt Hippocrates li-
lib. 2. aph. 52. bro de lege dixit, inquiens, φύσεως γὰρ ἀντιπρασσούσης, κενὰ πάντα, quod est, natura repugnante esse irrita & vana omnia. Et alio loco, omnia secundum rationem facienti, si nō succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud. Tum in eo etiam discrepant, q̃ ædificator scit quidnam ars sua profutura sit, adhibitis his quæ ad artē cōplendā necessaria sunt.

Medicus id ignorat. Nam quantumuis rectè ac methodo morbum pernouerit, præſidia apta admouerit, & in tempore auxiliatus fuerit, tamen quò res exitura ſit non tenet. Cum plerunque (quod Celſus ait) moriatur is de quo medicus ſecurus fuerat: & ſeruatur de quo deſperarat. In ijs ergo diſſimiliter ſe habent ædificator ac medicus in his quę ſuę ipſorum artis ſunt inueniendis atque methodo tractandis.

Ac iam omnium ferè corporum tum ſalubrium, tum ægrotorum cognitionem ratio nobis inuenit, neque hanc vniuerſam, ſed ſpeciem quandam duntaxat & veluti exemplum. Atqui totam ſanorum morbidorumque corporum eſſentiam habebimus quam ipſi materiæ ſpecies indiderimus. Tex.

Difficilis planè & abſtruſus hic Galeni locus videtur. qui enim fieri poteſt, vt cum demonſtratiua methodo ſe artem conſtituturum ſit in procemio pollicitus, ad eamque conſtituendam, corporum, morborum genera omnia ac ſpecies, differentiaſque noſſe ſit operæpretium, qui inquam fieri poteſt, vt dicat non vniuerſam ſe corporum naturam inueniſſe, ſed ſpeciem quandam duntaxat ac veluti exemplum? Rectè quidem & verè Galenus ſpeciem quandam id eſt imaginem pro exemplo in hoc libro proſuiſſe ſe dignoſcendorum corporum, tum ſalubrium, tum ægrotorum affirmauit. ꝙ quoniam compendio quodam hic tantum ea traditurus eſſet, ex quibus conſtituenti artem medicam quid cognitu opus foret peruium fieret, imaginem quandam propoſuit eorum quæ ad conſtituendam artem ſcitu neceſſaria forent. nempè quæ ſecundum naturam, & quæ præter naturam eſſent, qui corporum ſtatus, quæ partium differentiæ, quæ actiones, quæ vitia idque compendioſa, non abſoluta doctrina. quæ & ipſa ex libris de vſu partium, de locis affectis, de morborum differentijs petenda ſunt, ſi quis vniuerſam atque exactam horum notionem habere deſiderat neque ex hoc loco petenda. Sed quod ſequitur maiorem omnino habere difficultatem videtur. tum n. ſcilicet totam ſanorum morbidorumque corporũ eſſentiam nos habituros, cum ipſi materiæ ſpeciem indiderimus. Id verò eſt, tum nos vniuerſam omnem ſanorum & ęgrotantium corporum notionem habere, cum quæ cuique parti (id. n. materię nomine hic audire oportet) forma, figura, magnitudo, numerus, poſitus, connexio: tum & ſingulatim quæ temperies in ſimplicibus partibus, quæ ſubſtantiæ ratio ſit illi a natura indita (hoc. n. eſt ſpeciem materiæ indere) cum inquam hæc probè cognouerimus, tum profectò plenam ſalubrium & morboſorum corporum eſſentiam tenebimus, ſcientiamque nanciſcemur. Porrò hic lectorem admonitum volo, me hoc loco Andernaci verſionem caſtigaſſe. Ille. n. ſic vertit eam huius textus particulam (Atqui totam ſanorum morbidorumque corporum ſcientiam habebimus & cętera) cum vertendum eſſet. Atqui totam ſanorũ morbidorumque corporum eſſentiam habebimus. Sic. n. Græcè legitur. τὴν δὲ σύμπασαν οὐσίαν quod eſt totam ſeu vniuerſam eſſentiam, non ſcientiã. Sed parui momenti res eſt. ſiue quis ſcientiam ſiue eſſentiam dicat nam & qui eſſentiam tenet ſcientiam habere dicitur, eius rei cuius eſſentiã tenet & qui ſcientiã habere dicitur, ſine eſſentiæ cognitione eã habere non poteſt. tamẽ in Græco Gal. codice eſt, σύμπασαν οὐσίαν, nõ σύμπασαν ἐπιστήμην. i. vniuerſam ſciẽtiã.

Com

Speciẽ materiæ indere quid.

Quippè non ſolum medici eſt cognoſcere ſingulas partes ex humido, frigido, ſicco calidoque mixtis prouenire: verum particulatim quoq; ipſas inſpicere quæ oſſium ſit temperatura, qualis carnium, neruorum, venarum aliarumq; ſimpliciũ omnium, ſimiliter & inſtrumentariarum, quæ cuiuſq; ſit compoſitio, veluti manus, cruris, iecoris, thoracis, pulmonis, cordis, cerebri. Eadem ratione neq; ſatis eſt ſimpliciter genera & differentias morborum cognoſcere, ſed etiam quomodo hi ſingulis in partibus gignantur. Quod ſi fecerimus, non ſolum ſpeciatim ſanum ægrotòmque corpus cognoſcemus, ſed ex tota ſubſtantia quæ vtriſque tum ſpecie, tum materia eam ſuſcipiente conſtituitur.

Com

QVale nam ſit medici officium hoc loco percenſere pergit Galenus inquiens, officij ſui eſſe non ſolum ex quibus ſingulæ ſimilares & ſimplices corporis partes conſtent, nempè ex calido, frigido, humido & ſicco cõtemperatis & inuicem mixtis (quæ conſtans eſt & Philoſophorum & medicorum ferè omnium exceptis Epicureis & Democriticis ſententia) verum quaſque partes ex anatome penitius contemplari, ſenſuumque & mentis iudicio perſpicere qua temperatura ſingulæ quæque partes præditæ ſint, caro, nerui, venæ, arteriæ, oſſa. tum verò etiam quæ cuiuſque inſtrumentariæ partis ſit ſtructura, connexio, ſitus, quæ item actio atque vſus ſingularum partium ſit, & id quoque noſſe operæpretium eſt, vt ſupradictum eſt & dicetur in ſequentibus amplius. Nec ſolum hæc ſcire ſat eſt, ſed & morborum genera & differentias tum verò, vt quanam ratione quique morborum in partibus oriantur: & à quibus effectricibus cauſis producantur, tenere medicum oportet. nempè, vnde nam calidi morbi, frigidi, humidi aut ſicci naſcantur: vnde obſtructiones, putredines, vlcera, fracturæ, luxationes, vnde abſceſſuum genera omnia ſcire conuenit de quibus exacté Galenus libro de morborum cauſis, & in medendi methodo diſſeruit. Quę ſi intenta mente compleuerimus, non ſolum ſanorum ægrotantiumque corporum diſcrimina agnoſcemus, ſed plenè & ex tota ſua ipſorum ſubſtantia quæ vtriſque partibus tam ſimilaribus quam inſtrumentarijs tum ſpecie (hoc eſt forma) tum materia ſeu ſubiecto formam excipiente conſtituitur, id quod quærimus cognoſcemus. At verò extrema huius capitis particula, qua dicitur non ſolum nos ſingulatim ſanum & ęgrum corpus cognituros, ſi quæ ſupra retulimus, exactè nouerimus, ſed etiam ex tota ſubſtantia quæ partibus vtriſq; ex ſpecie & materia eam ſuſcipiente conſtituitur nos id depræhenſuros. difficultatem habet. Quid enim ſibi velint hæc verba, paulò plenius explicandum eſt. & quid per totam ſubſtantiam intelligere velit Galenus promendum, ergo totam ſubſtantiam vocat Galenus, integritatem & perfectionem cuiuſque rei ex ſpecie & materia conſtantem. quibus vnumquodque eſſentiam ſuam, integritatem, atque perfectionem obtinet. Tum enim perfectum & integrum quidque dicimus, cum materiæ ſubiectę & idoneę ſua eſt indita ſpecies, atque hoc ipſum totum ex materia ſuſcipiente & ſpecie indita coalitum, tota cuiuſque rei ſubſtantia hic à Galeno vocatur cum conceptis verbis eam velit ex materia & ſpecie conſtare. Itaque id ſignificare velle videtur hoc loco Galenus, ſi exactè quæ ſupra memorata ſunt tenuerimus, nos totam eſſentiam integritatem atque perfectionem ſanorum hominum & morboſorum (quod eſt ex tota ſubſtantia hæc dignoſcere) nos cognituros. Tum profectò ex tota ſubſtantia quicqnam cognoſcemus, cùm quæ ſit illius materia, quæ ſpecies, quæ proprietates quæ hanc conſequantur, quis ſubſtantiæ modus per nouerimus. Eſt igitur tota ſubſtantia in rebus, id quod ex materia atque forma indita integratur. Cuius ſi perfectam notionem ad ſenſum expoſitum habuerimus, ex tota ſubſtantia rem cognoſcere iure dicemur. atque hunc ego huius partis germanum intellectum eſſe arbitror. Porrò medici quoſdam eſſe morbos totius ſubſtantiæ aſſeuerant, qui vt quales ſint dignoſcere valeamus, ſciendum, morbos quoſdam partium tum ſimplicium, tum inſtrumentariarũ ad materiã pertinere, quoſdã ad ſpeciẽ, alios verò ad totã ſubſtantiã eſſe referẽdos. Id. n. vnũ eſt ex publicè in Medicina confeſſis. Qui. n. ad materiã pertinent hi ſunt qui vna cũ intẽperie affluxum ſubſtantiæ alicuius habent. Huius generis morbum Gal. intemperiem cũ affluxu ſubſtantiæ vocat vti qui ſine tali affluxu fit, intemperiẽ nudã appellat. atq; hæc nuda intemperies quæ ſine affluxu ſubſtantiæ eſt, morbus dicitur ſecundum ſpeciem. Morborum namque forma atque ſpecies quæ ſimilaribus partibus propria eſt, intemperies eſſe dicitur. Porrò morbus qui totius ſubſtantiæ nuncupatur, is eſt cum integritas atq; perfectio qua vnũ quodq; conſtat (id. n. tota rei ſubſtantia eſt) vi morbi illius diſſoluitur ac perit, non intemperiei alicuius vitio, aut affluxu ſubſtantiæ manifeſta qualitate lædentis, ſed morbidæ excretionis alicuius tota ſua natura ſubſtantiæ noſtræ aduerſaria. Sunt enim non ſolum inter plantas & animantia anthipathiæ quædam naturales, ſed & inter corpora noſtra & deleterias quaſdam ſubſtantias corpora noſtra corrumpentes. Inter plantas enim vitis & braſſica ſeſe perimunt, colocynthis omnes propè ſe plantas enecat. Pullis & accipitri, Gallinis & Vulpi, Oui & Lupo, Cani & feli naturali quadam inimicitia & odio

Tota ſubſtãtia quid

5. de morb. differentijs c. 5. & lib. 5. de Sym. cauſ. c. 4.

mini-

minime conuenit, sic & substantiæ nostræ cum deleterijs vocatis ingens dissensus est. Illa enim suapte natura omnem nostram substantiam vi occultiore quadam euertunt, atque in pernitiem dedunt illam corrumpendo. Auicennas priores quos diximus morbos ad materiam pertinere, materiales ob id meritò vocat: qui nuda intemperie sine affluxu substãtiæ constant, in materiales. De morbis verò totius substantiæ fen prima quarti canonis capite de febre pestilenti tractauit. De quibus etiam longè ante eum Hippocrates libro de natura humana. Omnes porrò hos morbos exactè cognoscemus, si morborum differentias omnes tenuerimus, & quomodo singuli in partibus morbi gignantur pernouerimus. Possem hic multa de materia & specie ex Platonis in Timæo sensis, & ex Plotino libro de materia, & Aristotele primo de physico auditu inserere: quæ quoniam ad Philosophum magis quam ad medicum pertinent, & ad huius Galeni loci interpretationem nihil aut parum conferunt, silentio prætereunda duxi, ne vel vaga & profusa nostra hæc commentatio videri possit, & quæ aliena à proposito sunt inseruisse de industria videri possimus. Fen.2. primi.

## CAPVT DVODECIMVM.

Restat verò percensere, quomodo morbos cures & sanitatem tuearis quæ in duobus commentariis plenissime tractauimus: nempè medendi methodo, & libro de sanitate tuenda. In præsentia ea tantum attigisse sufficit, quæ ipsorum methodum indicare possunt. Itaque medendi methodus ex sanorum ægrorumq; corporum affectu incipit.

HOc capite Galenus vbi iam quæ cognitu necessaria essent artem constituenti superioribus capitibus abundè expressit, ad ea quæ superesse videntur ut exacta habeatur constitutionis artis ratio, transit. nempè ad methodum tum tuendæ sanitatis tum morbi curandi, qua in tractatione non equidem methodum qua perfici illa possint est hoc loco traditurus, cum ea de re locupletissimè in libris de sanitate tuenda atque de medendi methodo tractatum sit. In hoc verò opere ea tantum attinget non quæ methodum compleant, sed quæ agendorum methodum indicare possint. inter quæ affectus ipsi corporum præcipuum locum tenent. dicente nimirum Galeno, principium methodi medendi morbi esse cognitionem ab affectu namque omnis medendi sumitur ratio atque ob id meritò medendi methodum ex sanorum ægrorumque corporum affectu incipere rectè hic dixit Galenus, quòd indicationem omnem quæ de medendo est ab ipso affectu sumere primum omnium oporteat affectus namque est qui curationem desiderat atque ob id ab eo agendorum insinuationem (quæ indicatio est Galeno teste) sumere expedit. Hic verò notandum Galenum paulò licentius medendi methodi nomine esse vsum si quidem cum medendi ratio omnis circa morbos versetur, siquidem mederi est morbos curariua methodo auferre indeque medicinam dictam censuit Galenus libro de partibus artis Medicinalis. medendi tamen methodum hoc loco, non solum ad ægra corpora quibus propriè accommodari debet: sed & ad sana quoque corpora adaptauit. dum medendi methodum ex sanorum ægrorumque corporum affectu incipere dixit. cum tamen ægris corporibus tantum non sanis medicationis & medendi nomen debentur. Medetur siquidem ægris medicus, sanos conseruat & tuetur. Nisi velimus medendi nomen paulò latius sumi, pro omni medici actu qui circa humanum corpus exercetur siue id præcautio, siue conseruatio, siue curatio sit. Dum enim medicus arte sua sanis prospicit ne in morbum delabantur præcautione adhibita, vel dum ex artis tuendæ sanitatis præceptis, sanitatem tuetur, vel dum congruis præsidijs morbis medetur, id omne mederi quodammodo dicitur. si tamen propriè loqui velimus, medendi methodum ægris tantum non sanis corporibus accommodabimus. Com. Lib.2. metho. med. Lib.2. metho. med.

Quoniam enim insigniter sana, siue similaris, siue organica fuerit, commode- Textus.

rata

rata omnino est, immoderata quæ ægrotat: inspicere ipsius Cymmetriam oportet, quę tandem hæc sit, quia altera ei contraria symmetria necessaria est in similarium quidem & simplicium particularum statu qualitas: in instrumentariis, si in magnitudine sit, alia magnitudo, si in figura, alia figura, ita si in positu, & numero. Proinde in omnibus ex intemperie ad moderationem redditus à contrario fieri oportet.

Com.



Væ communis curationis morborum omnium ratio sit, tum in similaribus, tū in instrumentariis partibus consistentium, docere serie hac pergit Galenus. ab eo exorsus quod veluti principium quoddam in uniuersa hac tractatione haberi debeat, nempè partem omnem, quæ inculpata fruitur sanitate (hoc enim est insigniter sanam esse partem) siue similaris ea fuerit, seu organica, moderatam omnino esse, quod non nisi in moderato & symmetria quadam eorum quę partem constituunt sanitas consistere posit quæ tunc in nobis viget cum suam quàm à natura acceperunt moderationem partes seruant. à qua vbi recessum est, mox & malè edi actionem, & dissipari ac dissolui sanitatem, vel sensuum iudicio experimur. vnde fit, vel contrariorum lege cogente, ut eam quæ ægrotat partem immoderatam esse fateri cogamur. Siquidem cum contrariorum contrarias esse rationes omnino oporteat ita asserente Aristotele, sit autem sanitas morbo contraria, & è diuerso, atque ea, in moderatione partis posita sit, consequens est, vt in immoderantia morbus partis ponendus sit. atque ob id rectissimè capite nono illud dixit Galenus, morbum nullum temperatum esse, sed omnes intemperatos habendos, quòd ea constitutio quæ præter naturam esse dicitur, & actiones lædit, nihil prorsus sit aliud in similaribus & simplicibus partibus, quàm intemperies partis qua à iusta ipsius symmetria discessum est. vnde actionum noxa sequitur. ac proinde nunc ut recta curationis viam teneamus, inspicere nos iubet symmetriam partis Galenus, quænam ipsa sit, num calida, frigida, humida, aut sicca, aut per coniugationem calida & humida, calida & sicca, frigida, & humida, frigida & sicca, secundum naturam, vt inquam hac perspecta, qua pars incolumes & inculpatas edit actiones, si quando ab hac deficiat, alteram sciamus symmetriam illi contrariam opponere. Vt ad commoderationem pristinam pars redigatur atque id est, quod dicit, inspicere partis symmetriam oportet: quæ tandem hæc sit, ea ratione, scilicet, quia altera ei contraria symmetria necessaria est, ad curationem inquam, si quando à priore defecerit. Vt si in calidam qualitatem discessio facta sit, per frigidam erit medendum. & sic in aliis oppositionibus. rectissimè igitur infert, qualitatem, esse symmetriam hac in partium similarium statu quando quidem non nisi in qualitatibus elementariis partis similaris symmetria aut ametria consistere potest. Itaque si una duabusve qualitatibus à iusta commoderatione pars discesserit, iisdem ipsis qualitatibus, sed contrariis, ad suam commoderationem reducenda pars erit. Sic etiam in instrumentariis per contraria progrediendum perpetuo erit. Vt pro viciata figura rectam inducamus, pro magnitudine, alteram illi oppositam ita in numero atque positu vt paulò post explicabit fusius Galenus. Cur hæc? quòd in omni quæ in parte nascitur intemperie, ad moderationem reditus, vt à contrario fiat necesse est. Vt tum hoc loco tum in arte Medicinali voluit conceptis uerbis Galenus.

Cap 89.

» cum inquit, Curatio vnam præcipuam ac communissimam habet intentionem, ad id quod » est dispositioni auferendæ contrarium. cuius dicti rationem mox subijciens, ait, Etenim » si omne immoderatum est præter naturam, moderatum vero secūdum naturam, necesse est » omnino, vt immoderatum ab immoderato contrario, ad mediocritatem redigatur. In hac » eadē sententia prior Galeno fuit Hippocrates libro de hominis natura inquiens. Εἰδέναι δὲ χρὴ » καὶ τάδε, πρὸς ἐκείνοισιν. ὅτι ὁκόσα πλησμονὴ τίκτει νοσήματα, κένωσις ἰῆται. ὁκόσα δὲ ἀπὸ κενώσιος γίνεται νοσήματα, πλησ- » μονὴ ἰῆται. ὁκόσα δὲ, ἀπὸ ταλαιπωρίης γίνεται ἀνάπαυσις ἰῆται. ὁκόσα δ' ὑπ' ἀργίης τίκτεται, ταλαιπωρίη ἰῆται. τὸ δὲ ξύμ- » παν γνῶναι δεῖ τὸν ἰητρὸν, ἐναντίον ἵστασθαι τοῖσι καθεστεῶσι, καὶ νοσήμασι, καὶ εἴδεσι, καὶ ὥρῃσι, καὶ ἡλικίῃσι, καὶ τὰ συντείνοντα » λύειν, καὶ τὰ λελυμένα συντείνειν. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα τὸ κάμνον ἀναπαύοιτο, ἥτε ἴησις τοῦτό μοι δοκέει εἶναι. Quod est, » Quia & hæc insuper ad illa nosse oportet, quod quoscunque morbos repletio parat, sanat » euacuatio;

euacuatio: & quicunq; ex euacuatione fiunt morbi, repletio sanat. Quicunq; verò à labore fiunt, qui es sanat, qui autem ab ocio gignũtur, labor sanat. In summa medicum scire oportet opponere se contrariũ instantibus & morbis, & naturis, & temporibus, & ætatibus, & distẽdentia soluere, & soluta distendere. Sic enim vel maxime morbũ sedauerit, & mihi sanè, hoc ipsum sanatio esse videtur. Quin & in aphorismis eandẽ ferè sententiam protulit, inquiens. Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἀννοσήματα γένηται κένωσις ἰῆται. καὶ ὁκόσα ὑπὸ κενώσιος, πλησμονὴ. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις. Quicunq; morbi (ait) ex plenitudine fiunt, euacuatio sanat: & quicunq; ab euacuatione plenitudo & aliorũ contrarietas. Quam item sententiã, curationem inquã contrarijs ꝑfici debere, libro de flatibus is ipse Hippocrates, aut quisquis eius libri autor fuerit, his verbis expressit τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰάματα. Cõtrariarũ cõtraria sunt remedia. qđ præceptum perpetuò verũ esse, Galenus libris octauo & vndecimo methodi affirmauit Aristoteles aũt multò Galeno vetustior idipsum censuit, cõtrariis curationẽ omnẽ perfici libro Problematũ priore, problemate primo inquirens cur exuperanriæ nimiæ, cõmittendi morbi vim habeant, quia (inquit) vel excessum vel defectũ pariant qua quidẽ re morbum consistere certum est. Sed expressius eiusdem sectionis problemate secundo. Cur (inquit) morbi sæpe curari possunt, vbi quis abundè excessit? Equidem nõnulli medici eam artem exercent (subdit) vt non nisi per excessum agant, uel vini, vel aquæ, vel salsuginis, vel cibi, vel inodię. An quoniam causæ quæ morbos committunt, aduersæ inter se sunt? atque ita efficitur vt genus alterum duci per excessum alterius in mediũ possit. Ex qua verborum Aristotelis serie videre est, omnem excessum excessũ contrario in mediocritatem duci. Atque ex his tam multis classicorum autorum sententijs demonstrationis uiribus innixis, quæstionis eius solutio haberi potest, Num curatio omnis contrario perfici habeat, de qua veteres nostri glossematarij Gentilis, Iacobus foroliuiensis, Iacobus à partibus & senensis Hugo ad fastidium vsque chartas profusis scriptis suis impleuere. Nos ea tantum attingentes quæ quæstioni dissoluendæ satis fiat ea promemus quæ erudito lectori satisfaciant. Hinc sumpto initio, curationem seu sanationem nihil aliud esse quàm affectuum præter naturam certa quadam methodo sublationem. vt libro vndecimo Methodi à Galeno proditum est. Præsentes namque tollere affectus, siue amouendis ijs quæ naturæ opus impediunt id fiat, siue per medicamenta, quid ipsi moliamur, oẽs profectò homines curare dicũt. Vt libro quarto methodi habetur.

Num curatio omnis cõtrario ꝑficiatur.

Insuper & illud animaduertendum esse, multò latius contrarij hic nomen accipi, quàm Philosophis in vsu sit. Siquidem Aristoteli ea propriè & veré contraria dicunrur, quæ non possunt eidem simul adesse: & quæ plurimum differunt cum in eodem genere sint. quod est ea se simul in eodẽ pati nõ posse, cũ vnum contrariũ sui contrarii sit corruptiuũ atq; ob id contraria se muicẽ pati impossibile esse rectissimè ab eodẽ Aristotele dictũ uideri põt. Itaq; contrarij nomine in præsens id omne censendũ est, quod per se ac virtute potestateq; propria morbo depellendo idoneum fuerit. Quodcunq; enim, cuiusvis generis morbum virtute sua propellere poterit & deturbare ne noxam corpori inferat, id profectò morbi cõtrarium æstimandum erit, siue victu congruo & morbo opposito id fiat, seu medicamentis tũ intrò assumptis, tũ foris admotis, idq; ratione sanè optima. Nam cũ ea sit contrariorũ natura vt sese mutuo profligent nec vna esse eodẽ in subiecto adæquato (vt Philosophi loquũtur) possint, efficitur profectò, vt quodcunq; in morbi leuamen adhibitũ morbũ sustulerit id illius contrariũ habeatur. Si quidẽ autore Aristotele non nisi à contrario corruptio fieri põt. Rectissime igitur dictũ ab Hippocrate, Aristotele, & Galeno videri potest (quod & nos supra attulimus) contrarietatem, curandorũ morborũ summam præcipuamq; intentionem atq; scopũ esse. Sed ne quid nos contrarietatis in curando ratio fallat, sciendũ nõ omne contrariũ curandis morbis idoneũ esse, sed id tantũ, quod qualitate aduersaria qualitati morbificæ opponitur, & est per se nõ ex accidenti tale, aut secundũ imaginationẽ, tũ uero pari gradu ex aduerso positũ quo morbus à iusta temperie declinauerit. Si enim decẽ numeris (vt in exemplo) dicessio ad calidũ facta sit, decem numeris ad frigidũ deducere corpus oportet, quæ docta Galeni in arte medicinali sententia fuit. Si enim remissius, aut inuadidius sit quod ad curationem adhibetur auxilium, id morbi superiorem excessum vincere nunquam poterit, cum à minore proportione sequi non possit actio ut Philosophi censent. Contraria porrò ex ipsa rerum natura inuenienda esse, vndecimo methodi prodidit Galenus.

Lib. 5. methap. c. 10.

Lib. 1. phis. textu. 6. 7.

Lib. 1. decẽlo. textu 20 & libro. 2. moralium ad Eudemium. c. 11.

Capit. 86. 89. & li. 3. meth. med.

Libr. 5. polit. c. 8. li. 2. de gener. & cor. textu Come. 56.

nus. Vt calidum frigido, atque hoc illi, sicco humidũ & huic siccũ, ex ipsa rerũ natura & experientia duce contraria esse deprehenduntur, quod horũ scilicet & contrarij sint effectus, & contrariæ itidem causæ, quod ad contrariorum rationem requiri Aristoteles varijs in locis affirmauit. Hisce igitur in contrariorum delectu obseruatis, quas modo diximus conditionibus, perpetuum habendum erit ac firmum, curationem omnem contrario perfici, qđ inductione per omnia morborum genera probari quàm apertissimè potest. Si quidem in qualitate fuerit morbus, qui propriè ad similares & simplices pertinet partes, & intemperies dr̃ contraria qualitate curari experimur in qualitatibus, nempè contrarietas maxime inest, ut Aristotelis in prædicamentis capite de qualitate affirmauit, atq; ea causa est, cur in affectibus præter naturã curandis oẽs homines cõtraria esse adhibenda dictitant, quòd experientia duce id fateri cogantur. libro quinto methodi à Galeno proditum. Si verò in instrumentariis partibus morbus insit, vel uitiari figuram, numerum, magnitudinem, aut situm necessario oportet. Itaque pro uitiata figura, integram & rectam quoad fieri maxime poterit restituere ex vsu erit, pro numero uitiato, eum qui secundum naturam sit, atque ita de magnitudine & situ à iusto modo deficientibus, pro quibus semper ex diametro opposita adhibere oportebit si methodo curare uoluerimus. Vt hoc ipso loco conceptis verbis nos docet Galenus, quam viam si perpetuo (delectu tamen contrariorum habito) secuti fuerimus, nunquam in curatione morborum aberrabimus, nec calumniam vnquam patiemur. Superest ut iis obiectionibus respondeamus, quæ aduersus hanc à tot seculis præiudicatam & assertam ab vniuerso medicorum cœtu sententiam fieri solent quarum

Prima obiectio. Fen. 4. pri. cap. 1.

prima Auicennæ autoritate nititur inquientis. Amplius scire debes quòd non omnis repletio, neque omnis complexionis malitia suo medicatur contrario ex euacuatione, & oppositione, sed quandoque sufficit sola regiminis bonitas. Cui sententiæ ita satisfactum volo vt dicatur, id tantum voluisse Auicennam, tam leues esse interdum morbos, ut medicamentorum quæ arte parantur adminiculo non egeant: sed sola victus ratione absq; medicamentorum vsu curari, quod & prior eo affirmauit primo locorum affectorum Galenus dum ait, exiguos morbos naturam per se superare, illosque duntaxat morbos externo indigere auxilio, quos ob magnitudinem natura uincere non potest. Et tamẽ etiam ij ipsi morbi contrario curari dicendi sunt, nempè facultatis robore quo depellitur morbus, estque illi robur hoc naturæ contrarium, seu etiam congrua illa adhibita victus ratio, qua depulsus

Secunda.

est morbus uim certe contrarii habet. Aiunt etiam multos morbos ad substantiam pertinere vt lapis in uesica, ascarides, sextus in manu digitus, at substantiæ nihil contrarium, non ergo hi suo contrario curabuntur. Dicendum, hos morbos non ut substantiæ rationem habent actionem lædere, nec morbos esse censendos, sed prout affectus sunt præter naturam, qui omnino vel ablatione chyrurgica manu facta vel euacuatione tolluntur. atque hæc il-

Tertia. Lib. 5. aph. 21.

lis morbis ad sensum præexpositum contraria censenda sunt. Opponunt item tetanũ iuxta Hippocratis sententiam frigidæ aquæ vsu & in illam immersione curari. Respondeo, non aquæ frigidæ vsu tetanum curari, sed caloris natiui reuocatione ab aquæ frigiditate facta, qui calor reuocatus & ualidior factus, neruos calfaciens & humorem frigidum discutiens,

Quarta.

morbum ut contrarium curat. Quòd balneo calentis aquæ curari sæpe febrim cernamus, id neutiquam caliditati aquæ accidentariæ quæ magis morbum auget quàm discutiat, adscribendum est, sed frigiditati ipsius in membris derelictæ qua febris tanquam à uero cõtrario

Quinta.

leuatur. Insurgunt etiam dicentes, quosdam per se morbos sola naturæ vi curari, non ergo ij saltem suo contrario curabuntur. cum nihil contrarium in morbi ableuationem adhibeatur. Obiectioni huic respondet Diuinus autor Hippocrates libro de arte dum illud confitetur, multos quidem absque medicis sanatos fuisse, non tamen absque medicina, nã aliquid facientes vel non facientes sanati sunt, nempè vel inedia, vel cibo, somno, quiete, vigilia, siti, balneis, aut labore utentes sanitatem adepti sunt, idque quo sanati sunt, morbi semper

Sexta.

contrarium esse dicetur. Obiiciunt insuper, dolorem dolore leuari, ut sexto Epidemion particula secunda, aphorismo tertio dixit Hippocrates. Cui respondendum est, sententiam eam adulterinam esse nec Hippocrate dignam: adiectamque ab scriptore aliquo, & Hippocratis scriptis insertam, neque inueniri in eo contextu qui omnium fidelissimus putatur, qui ab Dioscoride scriptus est. Vt in eius partis commentario notat Galenus. neque enim

vnquam

vnquam profectò dolor dolorem curat, niſi per accidens. vt cum Empyci, aut coxendicis dolore tentati utuntur. non enim dolor qui exuſtione fit, eos morbos curat, ſed diſcuſsio frigidi humeris latentis qui igne diſſoluitur. Quomodo etiam alteri obiectioni reſpódebi- Septima. mus, quòd quæ refrigerata ſunt calfacere oportet exceptis his quibus ſanguit fluit, aut fluxurus eſt, vt lib. 5. aphoriſmorum dixit Hippocrates. Dicendum id merito accidentis euenire, non merito morbi. Nam quæcunque refrigerata ſunt non niſi calefactione illi contraria curari poſſunt, ſed in ſanguinis fluxu, calfacienribus vti prohibemur, nē reſeratis calore Aph. 19. venis denuo ſanguinem fundant. Atque per hæc & abundè quæſtioni propoſitæ ſatisfactũ, & obiectionibns in oppoſitum reſponſum eſſe arbitramur. Ad Galenum modo.

Texus.

Nam quod præter naturam habet, dum ad naturam reducitur, ueluti per uiam quandam, eandemque, ſed ex oppoſito redire debet. Si iam redibit ex oppoſito, per contraria præſenti affectioni ſuccuritur, atque hic modus communiſsimus generaliſsimusque omnibus morbis curandis fuerit, contrarium; ſicut alibi quoque Hippocrates tradidit: contraria, inquiens, contrariorum ſunt remedia.



Ixerat proximè, in omnibus ab intemperie morbis ad moderationem reditum à Com. contrario fieri oportere eius nunc dicti probationem adfert. Siquidem cum id quod præter naturam in corpore exortum eſt, ad naturalem ſtatum reduci neceſſarium ſit (hoc namque curare eſſe, medici volunt, corpora in naturalem ſtatum, ab eo qui præter naturam eſt, vindicare: & naturales partium actiones, ſi quæ vitiatæ ſunt corrigere eſtque id principium ab omnibus in medendi methodo confeſſum, (ut primo methodi affirmat Galenus) cum inquam reduci id quod præter naturam eſt oporteat, id nunquam niſi eadem via, ſed ex oppoſito deſumpta ad naturalem ſtatum redibit. perinde atq; ſi quis ab Athenis ad Thebas proficiſcatur velitque eo redire, eadem quidem via qua progreſſus fuerat, ſed tamen ex oppoſito inchoata progredietur. ſic qui in affectum quempiam præter naturam lapſi ſunt ex oppoſito termino ad oppoſitum methodica ratione reuertentur, hoc eſt contraria qualitate inducta ſi in intemperie morbus fuerit, vel ſi in inſtrumentarijs partibus conſtiterit affectus, pro eo quod vitiatum fuerit, vel in figura, magnitudine, numero, ſitu, integrum reponere vt paulò antea dictum à nobis fuit. Si igitur ex oppoſito vitiati redintegratio fit, profectò per ea quæ affectui præſenti contraria erunt ſanatio perficietur, quæ ſanè ratio, communis ac maximè congruens omnibus morbis cuiusuis generis ipſi fuerint inuenietur. ac proinde rectiſsimè ab Hippocrate dictum videri vult, contrariorũ contraria eſſe remedia. Porrò communiſsimam eſſe hanc medendi viam, nedum hic Galenus, ſed & in arte medicinali, & in medendi methodo eſt profeſſus. Qua de re nos cum ſupe Cap. 89. riore præcedentis textus enarratione exacte tractauerimus, non eſt quod in his diutius immoremur.

Particularium particularia ſunt contraria. calidum nimirum frigido, morbo, Tex. calido frigidum, humido, morbo, ſiccum, ſicco humidum. Sic quidem in ſimilaribus res ſe habet.



Ars hæc tota nullius expoſitionis egere mihi videtur, vt quæ per ſe clariſſima Com. ſit, eſt enim tantum inductio exemplaris quædam in particularibus ſimplicium intemperierum oppoſitionibus, illud vt oſtendat, perpetuò verum id principium in omni morbo curando eſſe, contraria contrariorum eſſe debere remedia. Vt antea dictum.

In

In instrumentarijs autem, vnius cuiusque prędictorum quatuor generum morbosæ immoderationi contrarium inducere oportet, donec ad naturalem symmetriam peruenerimus: veluti si caro maior quàm natura exigit vlceri cuipiam superuenerit, non id offerre congruit quod carnem procreet atque nutriat. Sed quod eam auferat, imminuat, erodat atque corrumpat, quemadmodum si in parte aliqua cauum vlcus acciderit, huic sarcoticum, id est generandæ carnis medicamentum exhibendum est, vtroque verò eatenus vtendum, vt tunc primùm cesses, quum ad symmetriam prius venerit, quàm ad contrarium excedat. Etenim nisi superexcrescentem carnem purgando, in symmetro constiteris, cauam partem efficies. Item nisi cauum reficiendo medium seruaueris, caro superexcrescet. In hoc sanè morborum genere quo particulæ maiores minoresque redduntur, per contraria vt dictum est, curatio adhibebitur.

Com.

T hæc quoque pars, ut intellectu facillima, nihilque in se difficultatis habens expositione non indiget. excercet enim in exemplis discentes, vt ostendat perpetuò in morborum curationibus contrario esse vtendum nos tamen facilioris explanationis gratia ne quicquam remorari lectorem possit quæ opus sunt adiiciemus illud in instrumentariis partibus æquè ac simplicibus morbosam immoderationem inueniri, sed tamen alio modo. Nam quæ in simplicibus partibus immoderatio est, ad qualitatem referenda venit vocaturque intemperies præter naturam: In instrumentarijs, verò ad vitiatam figuram, numerum, magnitudinem, aut situm immoderatio illa reijcienda est, nec enim minus immoderatum est, quod in vnoquoque horum quatuor generum deliquit, quàm quod in qualitatibus excessit. Vt intelligamus immoderationis nomen ijs omnibus conuenire in quibus excessus aliquis defectione reperitur. siue id in qualitatibus siue in aliquo quatuor supradictorum generum contingat. atque hæc immoderatio ad naturalem symmetriam opportuno contrario deducenda est, atque pro

Carnis in vlcere supercrescentis curatio

exemplo superexcrescentem in ulcere carnem adducit, quam Græci ὑπερσάρκωσιν vocāt. quam si curare uoluerimus, ab iis abstinere ægrum iubebimus quæ carnem generant, qualia sunt, crassior victus ratio hoc est plenior, uini & carnium esus, somnus longus, otium & eius generis, quin contra tenuem imperabimus victum, à meri potu arcebimus, sanguinemque si opus sit mittemus, & crebrò purgabimus. Hæc enim inaniendo, carnis generationem prohibent. Tum uerò vlceri quod carnem superfluentem auferat, & imminuat (& si necesse fuerit erodat atque corrumpat) imponemus, cuius generis sunt à leuioribus inchoando

Carnē superfluā detrahentia. Lib. 3. metho. med.

Galla immatura, malicorium, balaustia, ægiptiæ spinæ fructus, modice enim siccantia & carnis super crescentis detractoria hæc sunt, autore Galeno, chalcitis verò, æs vstum, & æris squama, mysi, & fissum alumen, multò his sunt ualentiora, ut lib. 3. methodi medendi affirmat Galenus. Guido autem Cauliacēsis pro leuibus stuppas Canapinas minutim concisas,

Trac. 7. doct. 1. c. 6. §. de corrosiuis.

& spongiam in talleolas tenues dissectam, hermodactilorum pollinem, & alumen vt paulò vehementiora præscribit. Tum verò vbi erosionis carnis maior necessitas ingruerit, ad chalcitin, æruginem æris, ad unguentum ægyptiacum, & apostolorum, tum vero demum, ad trochiscos de calce, & asphodelorum, ad trochisios Andromachi, & Galeni transit quorū in exterenda superflua carne ingens vis est erodendo vehementerque exsiccando. Quin & septicis vocatis, hoc est putrefacientibus medicamentis supercrescentem carnem interdū detrahere expedit. qualia sunt auripigmentū (ἀρσενικὸν Græci vocant) sandaracha, chrysocolla, dryopteris pityocampe, & aconitum, quæ omnia carnem tenellam præsertim colliquare & extere possunt. Vt Galenus lib. 5. de simplicium facultatibus conceptis uerbis affirmauit, atque ob id quòd carnem huius generis medicamenta detrahant, catheretica, hoc est detractoria nuncupantur. Haud immeritò hoc loco Galenus tribus his vocibus vsus esse videtur (minuat, erodat, corrumpat) vt varios superexcrescentis carnis modos & medicamentorum formas indicet. Vbi namque leuiter caro excrescit, minuentibus tantum opus

Cap. 14.

est,

eſt, vbi pluſculũ, erodentibus: vbi vero nimium & contumax eſt quæ ſuperfluit caro, corrũpentibus & putrefacientibus tum eſt opus. Ad caui vlceris curationem ipſo orationis tranſcurſu digreditur poſtea Galenus. indicans ſarcotico hinc vlceri medicamento (id vero eſt quòd carne cauitatem implere poteſt) opus eſſe. Sarcoticũ verò, eius generis. lib. 3. methodi vult eſſe Galenus, vt & modicè ſiccet, & detergendi vim obtineat, quo non modo redundantiã humoris ſiccet, ſed etiam ſordem auferat, in quo à glutinatorio differre ſarcoticũm aſſerit memorato loco Galenus. eouſque autem cum iis medicamentis in curatione progrediendũ eſt, quoad in ſymmetriam naturalemq; ſtatũ pars reuocata ſit. Nam ſi plus æquo nimium inſiſtas in contrariũ ſtatũ lapſus fiet, ſiue ſupercreſcentem carnem deterere, ſiue cauum vlcus carne implere velis. Nam (quod ait hoc loco Galenus,) niſi in ſymmetro (vbi adeptus illud fueris) conſtiteris, cauam partem pro plana efficies. item cauum vlcus reficiendo, hoc eſt carne implendo, niſi mediocritatem in carnis impletione ſeruaueris, excreſcentem in vlcere carnem induces. Atque hæc interpretationi huius partis ſufficiant.

At in altero genere, quo naturalem figurã excedunt, quoniã complures ſunt particulares differentiæ, ſuum cuiuſq; contrarium inuenire debemus. Exempli gratia, ſi pars aliqua gibboſior ac prius euadit, in contrarium ſtatum reducenda eſt præmendo ac repellendo, quæ uerò intrò compreſſa eſt ac ueluti reſima, in exteriorem partem reducere, ut naſum, expedit. Cæterũ ſi aſpera leuia facta ſunt, exaſperare: quemadmodum aſpera leuigare conuenit. Hoc pacto quæ cauitates, uel meatus, uel omnino foramina, aut maiora, aut minora, aut magis caua, quàm conuenit, aut pleniora, aut à craſsis lentisq; humoribus obſtructa habent & hæc per contrarium ad mediocrem habitum deducere oportet. Quinetiam ſitum naturæ egreſſas, in ueterem ſtatum in contrarium ducendo reſtituere, in priorem partem progreſſum, retrorſum, quod retrorſum deflexit, id prorſum trahetur. in alijs duabus oppoſitionibus ſimiliter, nempè quæ ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum uergunt. Quòd ſi naturali numero partium uitiato totum inſtrumentum in morbum incidat, ſciendum ſanè & hic eſt, aliud numeri exceſſum, aliud eſſe defectum, ut in magnitudinis mutatione prius dictum eſt, curationem verò vt illic, in ablatione, adiectioneq; conſiſtere. Hoc autem diſcriminis intercedit, quòd in hoc morbi genere partes integras, in illo earum particulas auferre adijcereque conuenit. Texus.



T hac quoque parte in exemplis morborũ inſtrumentariarũ partiũ diſcentes exercet Galenus, optimã ratus eam quæ in exemplis fit exercitationem. Vti ab eodem lib. 9. methodi medebdi dictum eſt. indicans perpetuò ſiue uitiata inſtrumenti figura ſit, ſeu deprauatus ſitus, numerus, aut magnitudo fuerit, contrarijs adhibitis, in naturalem habitum eſſe deducenda & quænam ea cõtraria ſint quibus curatio perfici poſsit hac ſerie docet. Quæ quoniam & luce meridiana clariora ſunt, & quam dici poteſt copioſiſſimè à Galeno expreſſa commentationis non indigent. tantum quid ſibi uelit his dictionibus Galenus (cauitates, meatus, foramina) explicabimus, tum quibus modis pars quæpiam plenior fieri poſsit, quidq; obſtrui meatus ſit, quæ ubi expleuerimus, finem huic capiti imponemus. Ergo cauitates ab inanitate dictæ videntur. quæ enim partes inanitatem in ſe habent eæ cauæ iure optimo dicuntur, vt venæ, arteriæ, obtici nerui, inteſtina, ventriculus, cordis ſinus, & uterus atq; veſica vtraque tum verò œſophagus, & aſpera arteria. Partes hæc omnes vacuitatem intra ſe quandã habere depræhenduntur. indeq; cauæ dictæ. cauum enim propriè vacuũ ſignificat à chao, & Com.

eius inanitate dictũ vt Festus Pompeius notat, & Sypontinus in suo copiæ cornu id aptẽ ca- Epigr. 77. de lepore, & leone. uũ appellat propriè Galenus, quod conuexo opponitur. Vt lib. 6. aphorismorũ com. 46. dixit, tum & cauitatẽ in partibus omnẽ, ventris nomine aptè designari eodem libro aphorismorum sexto, Com. 20. affirmauit. Quidã (inquit) sine articulo apud Græcos ventrẽ scribũt, volentes oẽm significari cauitatẽ variis aũt occasionibus cauitates partibus à natura inditæ sunt, vel vt liberè sanguis & spiritus cauitatibus uenarũ & arteriarũ inclusi permearent, vel vt cibo potuiq; aditus in corpus præberetur, & aeri ingressus in pulmones & cor, vel vt liberè excrementa alui & vesciæ excerni possent, vel tandem vt concipi fœtus & incrementum accipere in vtero posset, Vt apud Aristotelem lib. 1. de natura animaliũ, & Galenũ libris de vsu partiũ est uidere. Quæ quum magnas vtilitates partibus adferant, (vt in memoratis locis Aristoteles & Galenus) earũ cauitatũ tũ magnitudinẽ tũ multitudine seruari ad rectã actionis obitionẽ est omnino necesse alioqui profectò horũ occasione partis actio læderetur vt Galenus lib. de morb. diff. c. 7. affirmauit. Lædi autem ac vitiari partiũ cauitates cõtingit cum aut coalescunt, aut constipantur, aut obstruuntur, aut constringuntur, aut in sese resident, aut ipsarũ oscula aperiuntur, vt libro de morborũ causis. c. 7 docet Galenus & in eius capitis cõmentarijs nostris nos quoq; explicuimus. Porrò meatuũ nomine varia intelligi põt. Siquidẽ Asclepiadẽ, Democritũq; sequare, imperceptibiles atq; impatile ex primorũ elementorũ concursu partes esse dices in quorũ symmetria, aut ametria sanitatẽ morbumq; reponebant præfati autores. Vt lib. de morborũ diff. ostendit Galenus. Si verò veritatẽ sectemur, meatus quidem esse dicemus peruias quasdã & patentes nostri corporis partes quibus vltro citroq; meare quæ in meatuũ cauitatibus cõtinentur possint. à meãdo enim meatus dicti sunt, & quæcunq; cauitatẽ habent partes, eædem & meatus habere necessario solẽt Hi vero duplices sunt, interni & externi hos Græci πόρους nuncupant, qui tenuiores sunt ac patentiores cutis particulæ per vniuersum corpus diffusæ, totius diflationi ac perspiratui Lib. 11. metho. med. & lib. de diffi. cult. resp. seruientes per quos sanè meatus transpirationẽ fieri Galenus multis in locis docet, quibusque aut à frigore stipatis, aut alioqui impeditis, trãspiratio minus libere procedit sequiturque prohibita corporis difflatio vt octauo & nono methodi & pluries alibi testatur Galenus. Interni verò meatus, instrumentariarum partium cauitates sunt, ijs vsibus seruientes de quibus paulò antea dum de cauitatibus ageremus locuti sumus. Foramina verò, harum cauitatum quasi fores quædam sunt, vt foramina narium, aurium, oris & reliquarum partium quorum adminiculo liber patet in eas partes introitus & exitus earum rerum, quibus excipiendis vel emittendis partes ipsæ à natura constitutæ sunt quæ sanè foramina si coangustẽtur, obstruanturve, aut alioqui stipentur, & tumore aliquo oborto claudantur magnorũ malorum causa fiunt. ab ijs enim sic impeditis aut obstructis, febres interdũ nasci solent, vt lib. 8. method. medendi, & nono, tum lib. 7 aphoris. Comm. 43. affirmat Galenus. Partem verò pleniorem quampiam fieri (quod explicaturos nos promisimus) multis modis contingit, Nam & cum plus alimenti ad eam defertur quàm confici probè possit, pleniorẽ euadere necesse est, & cum excrementis redundat, nec ob expultricis facultatis imbecillitatẽ excerni inde possunt, tum verò etiam, cum in partem aliunde excrementicius influit humor, & per omnia quoque tumorum genera impleri partem contingit. perinde atq; à crassis lentisque humoribus, aut nimia copia redundantibus obstructa parte, ipsam impleri experimur. Vel etiam cum à nimio frigore, aut repellentium medicamentorum nimio vsu introrsum in partem pellitur retrocessione humor qui partem impleat, Hi sunt modi quibus impleri partem quampiam cernimus, qua de re abundè Galenus libro de morborum causis, & de tumoribus præter naturam, & pluries alibi tractauit. Obstrui autem meatus (quod ultimo loco explicaturos nos sumus polliciti) nihil prorsus aliud est, quàm ipsos à multis, crassis, & lentis humoribus occludi, ut tum lib. de morb. diff. c. 7. nono. meth. medendi, & in arte me- Cap. 94. dicinali à Galeno proditũ est, in quo animaduertendum, longé aliud esse coalescere meatus, & obstrui, Coalescunt siquidem, cum in se inuicem partes natura distantes coguntur, quod fieri sæpe solet, aut siccitate nimia, aut tabescente parte & peculiari suo succo alimentoq; destituta, aut Plegmone, schyrro, callo, myrmecide, polypo aliove quopiam tumore obsessa, aut vinculo constricta á quibus coalescere meatus iure dicuntur. Vt obstrui, vel à multis, aut crassis & lentis humoribus propriè dicendi sunt. Atq; hic capitis finis esto.

CAPVT

## CAPVT DECIMVMTERTIVM.

At considerandum venit non in hoc genere solum, sed in alijs quoq; vniuersis quorum facultas nobis adest, vt indicationem consequamur. Nam morbi forma modū curationis indicat, præstari uerò hæc posſit, an minus, non item oſtendit. Textus.

HOc capite Galenus quid medico recte curanti faciendum ſit, quid natura, quid ars præſtare in corpore humano poſsit exactiſsime docet, neque enim medico ſat eſt morbum nouiſſe & quam ipſe indicationem ſuggerat ſcire, ſed illud magis ſpectandum eſt, poſsimus ne quod ipſa indicatio ſuggerit præſtare, & eam ipſam ope noſtra conſequi. Non enim in omnibus quæ à nobis effici debent, ea complendi quæ indicatio poſtulat in noſtra poſitum eſt facultate. cum ea quæ nobis ex morbi eſſentia indicata ſunt, ſæpe ipſi perficere nequeamus ut dum immedicabilem morbum ſanare ſtudemus, morbus enim ſe auferendum indicat auferre tamen ſæpenumero plurimis ex cauſis nequimus. Vt ſi natura morbo ſuperior præ imbecillitate eſſe nequeat, uel morbus eius generis ſit, qui curationem non admittat, vt Elephas, conſummata tabes, vel dum curationis modo repugnans aliquid fuerit quo curatio perfici nequeat, qnalia ſunt ægri proteruitas & inobedientia, rerum ad curationem neceſſariarum defectio, ciborum dico, medicamẽtorum, miniſtrorum & cæteri apparatus ad rectam curationem neceſſarij. Efficiũt enim hæc omnia quo minus quod ab ipſa indicatione ſuggeritur, præſtari à nobis poſsit. Veluti etiam ſi morbus purgationem aut ſanguinis miſsionem poſtulet, hanc autem fieri virium imbecillitas vetet, id ſanè impedit quominus perfici poſsit quòd à morbo indicatũ eſt. Neq; id quidem à morbi forma aut eſſentia petendum eſt. Si quidem (vt rectè hic ait Galenus) morbi forma curationis modum indicat, nempè vel inanitione, ſi de plenitudine morbus ſit, curandum eſſe, vel ſi de inanitione, refectione eſſe illi medendũ. Si nuda intemperies ſit, per contraria obuiam eundum. Verum hæc morbi forma, & ſi curationis modum indicat, non illud tamen docet, poſsit ne perfici aut non poſsit quòd à morbo indicatum eſt. Id autem ex totius corporis habitu, ex uirium tenore aut imbecillitate, ſymptomatum natura morbo aſsidentium, aeris & cœli conditione, regionis natura, conſuetudine, & ęgrotantis more deprẹhendi facile poterit, ſit ne in noſtra facultate, quod à morbo iudicatum eſt explere nec ne atque hinc deſumi poterit ratio ea qua ſcire poſsimus, num quę à morbo pro ſui ablatione indicantur, expleri à nobis queant. Porrò quoniam morbi formam curationis modum iudicare dixit Galenus, ſciendum, morborum in genere vnam tantum eſſe formã, & eſſentiam nempè ut immoderatum ſit vt ſuperiore capite dictum eſt, item noxam functionibus inferre. Hęc enim communis eſt morborum omnium tam in ſimilaribus, quam in organicis partibus ratio. Atq; ob id una erit etiam curationis communis in omnibus morbis ratio, ei quod auferendum eſt contrarium. Vt in arte medicinali, & ſuperiore capite Galenus, verum cum cuiuſvis morbi in ſpecie alia atq; alia ſit ratio, vt alia febrium, alia abſceſſuum, alia vlcerum, quorum omnium diuerſa in ſpecie eſt forma atq; natura, ſit, ut quęlibet morbi ſpecies ſuum peculiarem habeat curationis modum aliter enim qui in intemperie morbi poſiti ſunt, aliter qui in deprauata figura, numero, magnitudine, poſitu: aliter qui in ſoluta continuitate curari debent, ſingulis morbi formis peculiarem curationis modum exigentibus quod hic ait Galenus & quotidiana experientia docet. Com. Cap. 14.

Nam id in uniuerſis factiuis artibus, non ex rei faciendæ notione, ſed agentis cauſæ potentia ac impotentia deſumitur. Adhæc ex materiæ copia, inopiaq;. Itaque res eadem in his fieri, in illis minime poteſt, quemadmodum alio tempore fieri poteſt, alio minus. Textus.

Com. PEnes quid agnosci possit, num quòd à morbo suggeritur perfici atq; compleri à nobis possit, nec ne ostendit hoc loco Galenus, inquiens in factiuis artibus vniuersis, non ex rei faciendæ notione depræhendi posse, sit ne in nostra facultate explere quod à morbo indicatur, sed ex agentis causæ potentia impotẽtiave, materiæ copia aut defectu, quorũ occasione fit, vt res eadem, quam in ægri salutem paraturi sumus, in his perfici, nempè in quibus causa agens potens, ac ualida est ac materiæ, hoc est præsidiorum copia suppetit, in illis minime possit nempè in quibus, vel imbecilla causa agens est, vel materiæ inopia laboratur. Sed quando maiore intelligentia locus hic egere mihi videtur, paulò plenius illũ explicare innitemur. exponentes nimirum, quid factiuarum artiũ nomine Galenus intelligat, quid agentis causæ potentia impotentiave: & quænam ea sit, tum verò quid materiæ nomine intelligẽdum hoc loco sit. Quibus expositis peruius fiet nobis hic locus, qui paulò obscurior esse videtur. Ergo cũ artium quædam in solius veri cõtemplatione positæ sint, quædam in actione qua peracta nihil operis relinquitur, in effectione verò aliæ, quæ post effectionẽ opus relinquunt (illas actiuas, has vero factiuas meritò nuncupant) Erunt igitur factiuæ eæ artes, quarũ finis operis effectio & consummatio est, inter quas, Medicina iure reponenda est, si quidem sanitatem ipsa efficit, hoc est uel præsentem conseruat, vel ablatã reficit atq; restituit. Vt supra nos de Platonis, Aristotelis, & Galeni mente in huius operis prohœmio, atq; capite item primo mõstrauimus. artium discrimina finesq; proponentes. Itaq; in his factiuis artibus omnibus, & si rei faciundæ notio artifici perspecta est (scit enim quiuis artifex quid in arte sua faciendũ illi sit) non tamen ab ea notione desumitur num opus ab artifice compleri ac perfici recte possit, sed si quis operatur, operandi potestatem habeat, aut operãdo inualidus sit, aut artis ignoratione, aut materiæ ad opus necessariæ defectu, aut vitiositate aut instrumentorũ inopia, aut tandem propria infirmitate, impediunt namq; vt paulò antea diximus isthec omnia, quo minus quod propositum in arte est absolui commodè posit. Quid verò peragentẽ causam eiusq; potentiã aut impotentiã intelligat facilis est eius rei explicatio. Siquidem uel naturam hic facultatemq; corporis rectricem intelligere debemus cum ipsa præcipuè sanitatem efficiat, vt sexto Epidemion dixit Hippocrates, dum naturas nostras, morborum medicatrices esse testatus est, vel etiamnum quicquid ad morbi depulsionẽ molimur, causæ enim agentis nomen obtinet quicquid ad morbum profligandum adhibetur. Itaq; si causæ hæ validæ potentesq; fuerint, profectò quòd à morbo indicatur præstari à nobis incunctanter poterit, sin minus, ab scopo deficiemus. Est autem causæ potentia, cum ipsa vincendo morbo sat fuerit morboq; euadit superior, sic contra impotens & inualida censetur, cũ superare morbum imbecillitate sua nequit. Materiæ porrò nomine, præsidia cuiusvis generis omnia quæ in morbi alleuationem dantur (hæc enim sanationis materia sunt: ob id recte Dioscorides libro suo inscriptionem de medica materia fecit) intelligere oportet. Ergo si huius materiæ, hoc est auxiliorum opportunam præsentemq; copiam nacti fuerimus, adimplere quòd à morbo suggeritur planè poterimus. Si ea materia casu aliquo destituamur, ab implendo opere destinato impediemur. Atque ex his causis dignoscere erit, quid perfici, quid minus posit. ac proinde recte hæc subiicit in calce Galenus, quædam in quibusdam fieri, in alijs minime posse, & quæ vno tempore perfici nequeunt, harum causarum defectu, alio, cum hæ suppetunt, expleri commodè poterunt. Vt de Hydropicorum persectionem curatione exemplificat capite illo suo singulari Guido Cauliacensis. Ea enim curatio in inualido compleri minime poterit, in firmo & viribus valente commodè ac citra periculum recta adhibita methodo perfici poterit.

Textus. Natura igitur & medicus, eorum quæ corpori boni causa fiunt, autores sunt. Sed alia naturæ, alia medicis sunt negata. Naturæ quidẽ imposibile est, ita os confractum, vt partes eius à natiua sede aberrent, membrũque distortum sit, corrigere ac conformare, medicis est posibile: quemadmodum & luxatum medicus reponere potest, natura non potest. Cauum vlcus carne replere natura potest, medicus non item: sicut ex semicoctis aut crudis aliquid concoquere. Sed in his medicus naturæ famulatur, opitulaturq;, purũ quidẽ

vlcus

ulcus efficiendo medicamentis purgantibus impositis, illis autem quę concoqui nequeunt, afferando mediocriter calfacientia.

QVid natura, quid medicus facere in homine possint, quid eorũ alteri negatũ sit, q̃d cõcessum, hoc loco docet bellissime Galenus, ostendens & illud interim, quid vtriq; cõe sit. Hoc porrò cõe & naturæ & medico est, quòd eorum vterq; eorum quæ in corpore boni causa fiunt, sanitatis inquàm seruandæ, aut amissæ restituendæ autores ipsi sunt (hoc enim corporis bonum est, integra valetudine frui: cum sit sanitas) autoribus Hippocrate atq; Plutarcho thesaurus omnium prætiosissimus, vt qua neglecta, vel amissa, nulla sit reliquarum rerum omnium vel voluptas, vel fructus) natura videlicet vt opifex, medicus vt minister, boni quod in corpore accidit autores ipsi sunt. Natura (inquit) in arte medicinali Galenus omniũ opifex, medicus verò minister. Naturæ autem nomine audire hic oportet omnem qua regitur animal facultatem siue ea animi imperium & ductum, siue inferioris potentiæ quam vegetatricem dicimus, & naturalẽ, motũ sequatur. Seu ẽt principiũ illud in nobis motionẽ omniũ effectiuũ intelligere possumus quod Hippocrates & Galenus temperiem esse voluerunt, naturamq; nostram identidẽ natiuũ nostrũ calorẽ esse arbitrati sunt. Vt lib. 1. aphorismorum Com. 15. voluit Galenus. & rursus lib. 4. aphorismorũ Com. 37. & lib. 5. Com. 22. & si interdũ natura pro corporis forma sumatur, ut libro 2. aphori Com. 34. à Galeno de mẽte Hippocratis dictũ est. Vt vt res se habeat, naturã quidem in nobis operationũ omniũ seu vitaliũ, naturaliũ, aut animaliũ opificem esse certũ est. quam & ipsam iustissimam, prouidentissimã, sapientis. & artificem uocant Hippocrates & Galenus. Hæc est quæ corpus fouet atq; tuetur, quæ alimoniã illi suggerit, alimentũ concoquit, in partes distribuit, partibus apponit, vnit atq; assimilat: Hæc est quæ somnũ ad animantis quietem conciliat, quæ sensus omnes ad sua ipsorũ munia perfungenda excitat: & dũ fragilitate naturæ in morbũ labi corpus contigerit, ea ipsa est quæ morbos curat, decretoria facit; noxia expellit, & sibi vias præstruit, quæ etiam in morbis concoctionem primùm dein discretionem, demum vacuationem noxiorum molitur. Hæc naturæ opificis proqria munia sunt, quæ (quoad vita in corpore manserit) exercere in ipso nunquam desiuit. tota enim in opere est nec vnquam ociatur perpetuò namq; aliquid quod salutare sit ipsa facit Medicus verò naturæ minister illi assiduè moren gerens famulatur, & pro virili sua ijs quæ perficere ipsa nequit fert opem. Sed iam ad huius loci pleniorem explicationem, quid naturæ negatum sit, quid medico, quid vtrique concessum videndum est. Natura inquit Galenus luxatum membrum, fractumve, ac distortum corrigere ac conformare non ualet, Medicus id perficere potest. Cur id? quòd fracti aut luxati membri conformatio repositione egeat, reponi autem in suam sedem à qua exiuit membrum, sine manus opera non potest. Natura autem manus neutiquam habet quibus in membri repositione, ceu instrumento vtatur, habet autem medicus, ea ratione fit vt medicus id præstare: natura autem minime possit, repositio namque ad artis opus, non naturæ pertinet. Sic contra cauum vlcus carne replere natura potest, medicus non item. Cur? quod caui vulneris impletio ex carnis regeneratione ex subdito moderato sanguine caloris natiui beneficio fieri habet. hoc autem facere naturæ, non artis opus est, ob id natura id præstare: medicus verò minime potest. Neque enim sanguinem ipse suggerere, neque commutationem sanguinis in carnem facere potest, hoc ergo illi negatum est, naturæ concessum. Sic quoque crudos aut semicoctos humores concoquere natura potest, medicus non potest, quòd crudorum concoctio caloris natiui ope à natura fiat, vt lib. primo Epidemorum Commento. 44. & lib. 1. aphorismorum Com. 22. & item lib. 4. Com. 22. cum omnium naturæ operum natiuus noster calor opifex sit & causa præcipua, Vt Galenus lib. 1. aph. Com. 15. asseruit Medicus igitur per se, aut carne implere vlcus, aut crudos semicoctos ve humores concoquere minime potest, & si tamen ad hæc ipsa naturæ munia non minimum adiumenti ipse præstet. Vlcera quidem caua à sordibus detersoriis medicamentis & sordes eluẽtibus purgans, quæ & purgãtia medicamẽta dicuntur, q̃ vlcus sordibus & sanie fœda purgent. & hoc loco Galenus Græce loquẽs φαρμακα καθαίροντα, id est medicamẽta purgãtia vocauit. ea inquã quæ à sordibus vlcus purũ redderent vt intelligamus nõ solũ purgantia medicamenta ea dici q̃ corpus mouẽt humores soluẽtia. sed & ea ẽt q̃ detersione sua vlcus sordibus liberare pñt purgantia

Com.

Hipp. lib. de salubri victu.

Plut. lib. de tuenda bona valetudine. Cap. 87.

Libr. 3. de temper. & lib. 3. aph. Com. 2.

Naturæ elogia.

dici. Sic enim ad verbum loquitur in hoc capite Galenus. ἀλλὰ καὶ εἰς ταῦθ' ὑπηρετεῖ τε καὶ συμπράττει τῇ φύσει ὁ ἰατρὸς καθαρὸν μὲν ἐργαζόμενος τὸ ἕλκος, ἐπιθέσει φαρμάκου. καθαίροντος quod est, sed in his medicus naturæ famulatur, opitulaturq;, purum quidem vlcus efficiendo medicamentis purgantibus impositis. Hoc quidem pacto in cauo vlcere implendo medicus naturam adiuuat sicut in concoquendis semicoctis aut crudis humoribus illi opem fert, calorem imbecillum fouendo mediocriter calfacientibus & adstringentibus medicamentis vt Com. 2. ad librũ primum Epidemiorum Hippocratis super textu. 44. & hoc item loco affirmauit Galenus. Quid vero concoctio sit, a quo fiat, quid crudi humores, quid semi cocti, & vt concoqui habeant, ad caput vicesimum primum tractanda reiiciemus vbi ex professo de concoctione tractandi locus erit.

Textus.

Multa verò ipsa natura quæ prius effecerit denuò generare non potest vt venã, arteriam, ligamentum, neruum & id genus alia. Itaq; primum ad medicatoriam methodum pertinet, sicut diximus, communem omnium scopum inuenire, qui est, contrariorum contraria esse remedia. Dein in vnoquoque genere contraria, ordine collocare. Postremò considerare, quandoquidem natura, vel nos, scopo possimus inseruire, quem indicatio suggerit, quando rursus vtriq; est uel omnino impossibile, vel certo tempore impossibile, vel partim impossibile. Atq; maxima hęc naturalis speculationis portio fuerit, qua exercitatum esse oportet eum qui inuenerit in vnoquoq; quid præstari, quid secus possit.

Com.

MVlta quidem à natura prius effici, quæ vitiata aut collapsa refici ab eadem minime queant, ipsa arteriarũ, venarũ, neruorũ, ligamentorũ, & in vniversum partiũ omniũ quæ ex semine ortum habent sectio indicat, quæ vbi continui solutionẽ passa sunt, in eam quam prius à natura nacta erant integritatem restituere ipsa non potest neq; similẽ quam prius dum formaretur corpus substantiam venæ vel arteriæ regenerare. Vt & ipsa experientia docet & ipsius met Galeni in mille locis testimonio est assertum, quod cur fiat rationẽ reddit libro primo de semine Galenus quod & idonea ad refectionem partis desit materia & facultas formatrix manca sit atq; in eo opere patrando deficiat. neque enim in adultis, aut copiosum est inuenire semen, resarciendis spermaticis membris aptam materiã aut formatricem etiamdum facultatem quæ semen & in vicem & speciem deperditæ partis rursus reformare & effingere queat, qua ratione fit, ut dissecta quæ ex semine membra nata sunt, restitui minime queant, nisi aliena quadam intermista substantia quæ diuisas reuniat, & conglutinet partes. Qua de re nos cum fusissime libro tertio nostrorum locorum cõium medicinæ, capitibus duodecimo libri primi, & decimo quarto libri tertii tractauerimus, non est quod hic amplius ea de re agamus, & ad Galeni hoc loco interprætationem sermonem conuertere satius fuerit. ait porrò Galenus multa quidem quæ prius natura effecerit denuò generare non posse, & cur id fiat iam proximè explicauimus superest ut quid ex hoc Galeni loco elici possit expendamus, id inquàm, formatricem facultatem in nobis absoluto fœtu, nec remanere ipsam, nec (obid quòd nulla sit) suo munere fungi posse. Ipsam porrò non manere post cõpletũ fœtũ, illud indicat, q ad id muneris tantũ à natura inditã esse facultatẽ eã exploratũ sit, nẽpè vt rudẽ fœtũ formet & quám aptissimè fieri pôt, mẽbra omnia cõponat, unde formatrix meritò nũcupata est. Vbi autem ope sua perfectus fuerit fœtus edolataq; mirabili suo ac diuinitatis pleno artificio mẽbra omnia iã non amplius illius indiget corpus, neq; enim, quæ vel sanguinẽ in nobis creat, vel vnitionẽ in partibus dissectis facit, uel quæ carnem regenerat, verè formatrix dici pôt, sed reformatrix potius & refectrix eorum quæ à facultate formatrice prius effecta erant, & hæc ipsa facultas quæ dissecta membra vnit & agglutinat, vnitatemque reficit, non formatrix vllo pacto dici debet, cum membrũ ipsa tum non fingat ex semine & sanguine menstruo, quod formatricis facultatis proprium esse munus Galenus libro de fœtuũ formatione voluit: sed potius altrix, &

An formatrix facultas absoluto fœtu in nobis maneat.

dissoluti

dissoluti refectrix est nuncupanda. vt quæ ex sanguine ad partem delato & immutatricis facultatis ope per alterationem concocto, & in carnis naturam demutato, appositione, vnitione, & assimilatione partem deficientem reficiat. Quæ cum altricis potentiæ munia sint, ad eam non ad formatricem facultatem hæc pertinere censendum est. Deesse autem formatricem facultatem in perfectis animantibus cuius defectione fiat, vt quæ solutionem continui passa sunt ex semine genita membra, regenerari qualia antea fuerant minime possint, Galenus libro primo de semine conceptis verbis testatus est inquiens. In ipsa (inquit) prima ex semine membrorum generatione, tum vniuersus humor adhuc collectus est, ex quo vasorum formatio existit, tum duplex fabricatrix vis adest, & seminis & conceptaculorum vteri, quibus semen proiectum hæserat. In vlcerationibus verò (subdit idem Galenus) præterquam quòd abundantis materiæ inopia est, hæc etiam effectrix vis deest. dum autem in vtero gignitur animal, & materia multa affluit, & altera quoque accedit creatrix vis quæ nõ solum materiam extrinsecus tangit, sed per totam ipsam transit ac permeat. Nihil igitur mirandum est, quòd in foetibus in vtero prima naturæ instrumenta celeriter formentur, quippe cum & materiæ copia & bonitas, & pròcreantium ipsa facultatum efficacia maxime adsit. Hactenus Galenus. Ex qua serie, meridiana luce clarius intuari licet, id sensisse Galenũ, formatricem partium facultatem in perfectis animantibus deesse cuius culpa fiat, vt resecta ex semine membra regenerari non possint, id enim his verbis expressit (Hæc etiam effectrix vis deest) Quòd si desit, vt deesse affirmat hoc loco Galenus, quomodo manere potest & assidue operari in perfectis animantibus eam dicemus, quæ deficit & nulla iam est? Formatricis verò facultatis nomine hic eam intelligi volo quæ prima ex semine genitali, & menstruo sanguine omnia animalis membra diuinitus fingit, format, componit, vt plastes quidam ac pictor vt libro de fœtuum formatione voluit Galenus. quam & ipsam absoluto fœtu non manere in iam perfectis animantibus ex Galeni sententia superius ex libro de semine probauimus. Nam si perstaret, & copiosa adesset materia, natura venam, arteriã, neruum regenerare denuo posset. cuius vtriusque culpa id non fieri posse affirmat citato de semine libro Galenus. eò quòd ad nouam rei alicuius generationem & materia idonea opus sit, & facultate opifice: quorum vtrumque deesse ex eo constat, quòd denuo regenerare partes has horum defectu natura nequit. quæ si adessent, profectò & has partes reficere natura nullo negotio posset. quod cum fieri non nisi rarissime & in tenellis possit, improbari eorum opinio meritò potest qui formatricem in nobis facultatem perpetuò manere nec vnquam otiosam esse affirmant. Quæ si vera essent, ex semine genita membra iterum regenerari ac refici possent quod hic & in libro de semine pro veritatis norma negat fieri posse Galenus. Iam verò ad id quod reliquum est explanandum progrediamur. nempè quid ad medicatoriam methodum pertineat. quæ tria esse vult hoc loco Galenus. Primum cõmunem omnium morborum scopum inuenire. Est autem communis is scopus, morbi per contraria sublatio. Secundò in vno quoque genere suum proprium contrarium collocare, vt calido morbo frigidum auxilium adhibere, frigido calidum, sicco humidum, humido siccum. Postremo loco contemplari atque disquirere quando natura ipsa per se scopo proposito inseruire possit, & quando minime. tum etiam quando eum scopum attingere medicus ope sua & quo tempore possit quæ sanè curanti medico spectãda maximè sunt vt & Galenus superiore serie affirmauit, & nos ea in commentatione omnia ad vnguem explanauimus, vt opus non sit ea hic denuo inculcare.

Textus.

Porrò commentarij duo id perdocent, alter qui de animantis generatione inscribitur, quo disceptamus qua ratione fœtus ex semine & menstruo sanguine ortum habet. Secundus de naturæ facultatibus. Etenim cum de seminis natura consideramus, hæc omnino quæ nobis demonstrata sunt, inde quòd cõplures in foetu particulæ fiant, vi efformatrice, ipsa spermatis substantia materię loco vtente, apparebunt, si methodo demonstratoria speculationem tra-

ctaueris quod vbi inueneris, mirari desines, si nullam earum natura postea rursus recreare queat.

Com.

Libris de semine & de naturalibus facultatibus tum & eo qui inscribitur an animal sit quod in vtero continetur, docet Galenus fœtum in vtero ex semine genitali & prolifico: atque sanguine menstruo, ceu suæ generationis principijs constare, indeque ortum ducere. qubus in locis de seminis natura pro Philosophi more tractans, demonstratiua methodo ostendit formatricem facultatem complures ipsius fœtus particulas ex semine procreare: ipsa quidem formatrice facultate spermatis substantia in eo opere pangendo vice substratæ materiæ vtente. dum enim neruum, arteriam, venam, ligamentum, ossa, membranas, & cartilaginem ex semine fingit, semen quidem ipsum instar idoneæ materiæ ad has partes formandas accipit. ex semine namque vt propria materia hæ partes constant. Nam & si semen in fœtu pangendo opificis magis quàm materiæ rationem subit, vt libris de semine affirmat Galenus, in spermaticis tamen creandis vim materiæ sustinet formatrice quidem facultate quæ in eo est vim opificis gerente. Hæc quæ libris illis demonstrata sunt, si attentè & firmè tenuerimus, rationem profectò inueniemus cur è semine genita membra restitui qualia prius erant, nõ possint. quòd videlicet & idoneæ materiæ copia desit, & formatricis facultatis vis & ipsa quoque deficiat vt ex libro primo de semine ex Galeno paulò ante attulimus. ac proinde vbi hæc à nobis ex locis præcitatis inuenta fuerint, mirari profectò desinemus (ob eas quas

Quæsita de semine.

modo attulimus rationes) cur nullam earum partium natura postea rursus recreare queat. Sed quando de semine hic agitur haud absurdum fuerit inquirere semen quid sit, num opificis tantum an materialis principij in fœtu creando vices gerat, & an mulier semen emittat vt vir. Item an à toto semen secedat ac decidatur, & an potentia animal sit, tum qui de

lib. 1. c. 18.

semine controuersi loci apud Aristotelem inueniuntur adferre, sic enim exactè quæ de semine sciri oportet intelligentur. Quæ & si nos omnia in nostris Medicinæ communibus locis exactè tractauerimus, ne quid tamen studiosus lector desideret quod eum remorari possit, ne ue alibi quærere, quod hic apponi iustum est, compendio de his omnibus in præsens

lib. 2. de semine.

agemus. Ergo semen definiuit Galenus, sanguinem esse in venis quæ eum continent, exquisitè elaboratum atque confectum. Multò sublimius zeno Citteus, qui semen, hominis abstractum ac maiorum generis misturam esse voluit, quod homo cum animæ parte humida transmittit, tale potentia existens, quale id à quo excretum est. Diuina planè & quæ exactam seminis naturam demonstret hæc diffinitio esse mihi semper est visa. cum enim dicit, semen esse hominis abstractum, illius essentiam indicat. est enim reuera semen, hominis abstractum id est homo ab homine auulsus, & propterea rectè abstractum vocauit quasi hominis imago quædam sit, & idea semen. & propterea quæ alia multa è nobis prodeunt, nõ hominis abstractum dicenda sunt. quod hominem non referant, nec potentia homo sint. veluti muccus, vrina, sudor, sanguinis manatio, & humorum extra corpus effusio. Hæc namque excrementa sunt, abstractum hominis minime sunt, quòd ex horum nullo homo constare possit, e semine autem sic, ac proinde recte zeno tale esse semen quale id à quo excretum est affirmauit. Definitionum porrò medicinalium autor, semen esse dixit humorem in vasis quæ à testibus exoriuntur contentum, calido spiritu plenum, ex quo nasci hominem contingit. Medicorum scholæ semen definiunt superfluitatem vtilem vltimi alimenti sanguinei in partes distributi semen quid sit exposuimus. Nunc verò num opificis tantum, nũ materiæ in fœtu procreando uices gerat explicemus. Semen porrò in fœtus generatione

An semen opificis tãtum an materiæ in fœtu rationẽ habeat.

opificis tantum partes agere Aristoteles voluit. quod ubi primum menstruo sanguini motionis principium dedit, uti opifex, euanescere ipsum atque in spiritum dissolui astruxit libro de generatione animalium secundo, capite tertio. Contra uerò Hippocrates & Galenus sentiunt ipsum non opificis tantum partes (quamquam & has præcipuè) sed & materiæ uices in fœtu pangendo prebere. Equidem ob eam quę illi inest spirituosam substantiã caloremque uiuificum opificis partes agit, formatrice in eo facultate instar pictoris membra omnia effingente. Sed nihilo secius tamen, & eodem ipso semine in quibusdã membris

formandis

formandis natura abutitur. ut non ſolum opifex genitale ſemen habeatur: ſed & materiæ loco ſit in vena, arteria, copula, neruo, oſſibus, cæteriſque ex eo genitis membris. vt bellè Galennus libro de ſemine primo capite quinto aduerſus Ariſtotelem ediſſerit, oſtendens fieri non poſſe, ea quæ paulò ante citauimus membra ex ſanguine conſtare poſſe. ſed à ſemine omnia generationis ſuæ primordia habere vt longa ſerie citato loco Galenus. Quæ etiã rationes aduerſus Platonem pari robore pugnant, qui in Timæo partes omnes à ſanguine fieri voluit. Conſtans itaque maneat, ſemen in fœtus procreatione non opificis ſolum ſed & materiæ vices gerere illud modo explicemus, an mulier ſemen emittat vt vir: & ſi emittit, quem vſum in fœtu pangendo illius ſemen habeat. Porrò mulieres ſemen emittere, ipſa experientiæ fide teſtimonioque concumbentium mulierum certiſſimum haberi debet. nec autorum hic teſtimonijs, Hippocratis præſertim atque Galeni id aſſerentium opus eſt, ſiquidem Galeno autore, libro ſecundo de placitis Hipp. & Plat. Quæ ſenſibus expoſita ſui fidem faciunt, ea ex ſe probata ſatis ſunt. Mulieres igitur ſemen emittere pro comperto habendum eſt. ſed cui nam vſui in fœtu pangendo muliebre ſemen ſit, ex Galeni ſenſis nunc promendum. Matricis proceſſibus vtrinque vas ſeminarium eſſe adiunctum ex fœminæ teſtibus procedens ipſa anatome docet. à quibus ſemine plenis ipſum ſemen concumbens mulier eiaculatur. inque vteri ſinum vna cum virili ſemine tum admiſcetur cum vuluam vniuerſam implere ſemen virile exiguitate ſua nequeat. ob id prouidentiſsima natura, quæ virili ſemine irrigari vteri partes non poterant, fœmineo vt delinirentur hac euaculatione prouidit.

Plato notatur.

An mulier ſemẽ emittat.

Hip. lib. de nat. pueri

Gal. lib. de ſemine.

Inde verò commixtis ſeminibus membranulis vt cruſtulis integuntur. vt Hippocrates quoque à ſe viſum in cantatrice ancilla libro de pueri natura teſtatur vt ijs membranulis ambiri atque foueri genitura in vtero poſſit. Atque hunc vſum virili ſemini fœmineum ſemen præbet. vtpote illo frigidius vt in membranam cogi facile poſſit. vt veriſſimum illud ſit, quod eſt ab Hippocrate proditum, ab vtriſque mare inquam ac fœmina ſemen emitti, inuicemque miſceri & ſi oppoſitum Ariſtoteles cum primo, tum ſecundo de generatione animalium libris voluerit fœminas inquam ſemen non emittere & ſi hac in re parum ſibi Ariſtoteles conſtet, vt qui præfatis locis fœminas ſemen emittere negarit, ſemen verò definiens, id eſſe ait quod ex ambobus coeuntibus oritur quo loco vult ab vtriſque mare & fœmina ſimul concumbentibus ſement oriri. Itaque fœminas ſemen emittere etiam de Ariſtotelis ſententia conſequens eſt. At de hac re iam ſatis. An verò a toto ſecedat ſemen; explicandum. de quo inter Ariſtotelem, Hippocratem, atque Galenum ingens controuerſia eſt. nec vbique ſibi in ea re Ariſtoteles conſtare videtur, cum quarta problematum ſectione, problemate. 22. inquirens cur qui concumbunt reſolui atque languere ſoleant, cauſam eſſe ait, quòd ſemen ſecretio quædam à toto ſit, & omni ex parte corporis ſecedat. Libro verò de generatione animalium primo, cap. 18. oppoſitum conceptis uerbis adſtruxit, eorum multis rationibus improbans ſententiam, qui à toto ſecedere ſemen arbitrabantur ut eo loco aduerſus Hippocratem arma ſumpſiſſe Ariſtoteles ſit uiſus. ſed futilibus certè & tanto uiro indignis rationibus.

lib. de nat. pueri.

Cap. 19.

Cap. 4

Ariſtoteles notatur.

lib. 1. de gene. ani. c. 18

Semen an à toto ſecedat.

Ariſtoteles ſibi contrarius.

Porrò a toto ſecedere ſemen, Hippocrates cum libro de aere, aquis, & locis, tum libro de genitura conceptis uerbis affirmauit. Quum ſemen genitale (inquit) ab omnibus cor- „
poris membris procedat, a ſanis quidem ſanum, a morbidis morboſum, fiatque ut ex caluis „
calui gignantur, ex cæſijs cæſij. & 17. & lib. de genitura, Genituram dico a toto corpore ſe- „
cerni, & a ſolidis & à mollibus partibus, & ab humido omni in toto corpore. Quibus ex lo- „
cis apertiſſimè conſtat, ſemen a toto ſecedere Hippocratem exiſtimaſſe. „
atque inde fieri arbitratur, ut a ſanis parentibus ſanum, a morboſis & ualetudinarijs infirmum & morboſum proijciatur ſemen ex quo tandem talis gignatur fœtus quale ipſum fuerit ſemen a quo gignuntur quod & experientia docet, & teſtantur autorum ſcientiſſimi. Quamobrem cum ſenſuum fides id abundè monſtret, à podagricis podagricos, ut plurimum, a cęſijs cęſios, ab elephãticis elephãticos gigni: natoſque parentum referre in membris peculiaribus peculiares & ſimiles notas, quæ in parentum ſimilibus membris conſtitere, an non id iudicio eſt, ab omnibus partibus ſemen ſecedere? quomodo enim brachij, cruris, alteriuſuę partis notæ in fętu imprimerentur quales in parente conſtiterant, niſi influxus aliquis ex his mẽbris

bris in ſemen proiectum decideret ex quo ſimiles notæ inſculpi in fœtu genito poſſent? Scribit Ariſtoteles quendam in Chalcedone brachio fuiſſe compuncto, filium ex eo natum

lib. 1. de gene. ani. c. 17

eandem notam retuliſſe eadem in parte, confuſa tamen minuſque quam in patre explanata nota. Videmus enim natos parentum referre plerumque in membris formā atque ſpeciē naſo, labris, facie, digitis, unguibus. atque ut de me ipſo dicam, ſunt mihi extremi digitorū manus articuli ſecundum indicem & medium recurui, bona pars meorum liberorum eandem in digitis notam recuruam retulerunt. eſt & aquilinus naſus, duo ex meis eandem ſibi formam ſumpſerunt. Nec ſolum in his parentum ſimilitudinem referunt nati, ſed uoce, habitu, geſtu, inceſſuque ac motu eoſdem imitantur quod quomodo fieri poſſet niſi totius inſignia ſemen ipſum ſecum geſtaret, & eaſdem notas quas ſecum a toto corpore tulit plerūque in fœtum tranſmitteret?

Quin & illud a toto ſecedere ſemen oſtendere planè uidetur, quòd a nimio concubitu, non unius tantum partis, ſed totius corporis uires collabi ſentiamus. quod uidelicet ſemē omni ex parte corporis ſecretio quædam ſit. ut & Hippocrates & Ariſtoteles affirmarunt. ut enim ędificij conſtructio, ſic corporis compactio quatitur, dum ſemen decedit. Perinde etiam atque uoluptas quæ toto corpore in cōcubitu ſentitur idipſum arguere quoque uidetur, ſeminis emiſſionem ad totum corpus, ſed præcipuè ad genitaliia membra pertinere ſecedere uerò ab uniuerſis partibus ſemen, uirtute magis & potentia quam corporea mole intelligendum eſt. Vt ita exiſtimemus, membra omnia in id concurrere atque eorum uirtute omnium atque potentia & influxu, ſemen decidere non autem ut mole ſua ſemen ab omnibus partibus ſecedat. Quippe genituram à toto manare id certe eſt, omnium uirtute membrorum decidere, ab ipſiſque notas aliquas referre atque id cauſę eſſe, cur cæſij cæſios, diſtorti, diſtortos generent quòd é ſingulis noſtri corporis partibus aliquid uirium & ſingularis notæ ſemini impartiatur, quam ſecum a parente acceptam unde prodijt ſimilem naſcituro fœtui tribuat. Quæ ab Hipocrate prodita eſſe lib. de aere aquis & locis, & libro de genitura. ſciunt omnes.

Hippo. lib. de aere aqua & loc. & lib. de genitura. Arist. lib. 4. probl. problem. 22

Iam uero an animatum ſemen ſit nec ne, in literas prodamus, quo omnis quæ de ſemine eſt tractatio finem habeat.

An ſemen animatum.

Quæſtionem hanc Rriſtoteles pulchrè li. de generatione animalium ſecundo, capite primo diſſoluit, ipſum quidem ſemen animā in ſe potentiā habere, & animatum potentia eſſe, partemque corporis, motu peracto, eamque animatam fieri his verbis teſtatur. dum quomodo ex ſemine generatio fiat inquirit omnia quæcunque aut natura. aut arte efficiuntur (Ariſtoteles ait) ab eo quod actu eſt, fiunt. ex eo quod potentia tale eſt ſemen igitur (ſubdit) tale eſt motumque habet, & principiū tale ut motu peracto pars exiſtat quæque, eademque ſit animāta. Quin & eodem ipſo capite, rurſus hæc protulit. Sed hoc loco non ex quo oriantur quærimus, ſed a quo partes corporis generentur. aut enim extrinſecus aliquid, aut in genitura & ſemine inſitum agit: idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam eſt. Et paulo poſt, Si (inquit) nihil animæ eſt, quod non aliqua in parte ſit corporis, ut animata quoque pars aliqua protinus ſit, conſequitur. Sub finem uerò capitis, rem totam quaſi compendio concludens hæc ſubnectit paucis. Sed habeat ne ſemen animam, nec ne, ratio eadem atque de partibus reddenda eſt. Nec enim anima ulla eſſe poteſt in alio niſi in eo cuius eſt, neque pars ulla eſſe poteſt, quod particeps animæ non eſt, niſi æquiuocé, ut mortui oculus. Semen igitur (ſubdit) & habere animam, & eſſe potentia, palam eſt. Hæc Ariſtotelis ſummi ſemper philoſophi de ſeminis genitalis animatione ſententia. Nec enim ipſum actu habere animam aut eſſe animam ueriſſimè certè protulit: potentia habere, ipſumque animatum fieri ubi abſoluto generandi motu qui a ſemine, proficiſcitur, pars fœtus factum fuerit. cum enim uitali ſpiritu plenum ſemen ſit, vt Hippocrates dixit & abſtractum ſit uiuentis animalis, ut Zeno Cittieus affirmauit, tale potentia eſſe quale id a quo excretum eſt confiteri oportet. ipſumque aptitudinem maximam ut animetur habere. perinde atque ſulphur potentia ignis eſt, ut qui pronitate ſuæ ipſius naturæ atque ſubſtantiæ facillimè ignem concipiat: ipſumque ignis tandem fiat. Sed iam commentationi huius partis finē hic faciamus ſi modo id præfati fuerimus controuerſos de ſemine ex Ariſtotele locos (quod eramus polliciti) ſupra iam exaraſſe.

lib. de genitura.

CAPVT

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Cæterum in libro de natuturalibus facultatibus factarum diſpenſationem intuēberis, vt inde ſimul facultatem tibi compares inueniendi quæ natura tum per ſe, tum medici opera poſsit efficere, quæque non poſsit, ac illic vbi de cauſarum opificum facultate diſceptamus, & perfectarum partium ſubſtantia, reperies quæ perdita inſtaurari poſsint quæ neutiquam. Tex.



QVænam ex partibus refici inſtaurarique poſsint, quæ minime, & vnde eius rei ſcientia ac methodus petenda ſint, hoc capite rurſus docere Galenus ingreditur. illud interim excuſationis loco adferens, non illi in animo fuiſſe vniuerſam medicam artem hoc libro concludere voluiſſe, quòd amplitudine ſua tā anguſto loco complecti minime poſsit ars ea quæ magnitudine dogmatum & difficultate, longa ab Hippocrate dicta eſt. ſed methodos quaſdam aperire quibus demōſtret ex quibus & quot principijs quibuſque vijs artis conſtiutio conſtat atque firmetur. exempla quędam ac generalis medendi ſcopos adſerens vnde dictis ratio firma ſtare poſsit. Hæc capitis ſumma, hic ſcopus eſt. Porrò, quòd in libris naturalium facultatum diſpenſationem partium intueri liceat, ex ipſa tractatione fit manifeſtum. Diſpenſantur ſiquidem formatæ partes facultatnm noſtri corporis virtute vbi enim primum á formatrice facultate quæ in ſemine eſt, generatæ & effictæ ad normam partes omnes ſunt, mox quæ creatæ ſunt partes, a facultatibus hanc inſequentibus altrice, attractrice, retentrice, concoctrice partes omnes in tutelam aſſumuntur. tum verò animalis facultas partibus ſenſum & voluntarium motum, vitalis vitam per ſpiritum vitalem ac reſpiratum. Naturalis alimoniam, Gignitiua in partibus generationi dicatis generandi vim ſuppeditat. vt nulla ſit pars quæ non his facultatibus aut omnino aut in parte foueatur atque regatur, Qua de re abundè Gal. lib. de facultatibus naturalibus & lib. de facultatum noſtri corporis ſubſtantia, & libris quinto & ſexto de ſymp. cauſ. tum verò libris de placitis Hippocratis & Platonis tractauit. Ex ijs inquam libris, methodum tibi comparabis qua diſcere poſsis quæ natura per ſe, quæ medici opera adiuta efficere poſsit. Ea verò per ſe dicitur natura poſſe efficere, quæ ab interno principio & ſua ſponte nullius externi præſidij adiuta adminiculo complere poteſt. vt vlcus carne implere, concoctionem attractionem, retentionem, expulſionem excrementorum, nutritionem, generationem, incrementumque moliri. Hæc enim natura per ſe efficere potis eſt. & vninerſim omnia quæ ipſa virtute propria operari ſolet. Cum vero quædam ſine aliena ope ipſa præſtare nequeat, vt luxatam partem reponere, vel fractam dirigere, tum certè medici opera indiget. Com. li. 1. aph. 1.

Exempli gratia cartilagine deperdita aliamne regigni ſit poſsibile an, pro ea ſimile quippiam reſtitui. Similiter & os modò poſt primam æditionem perditum recuperari, an ei quippiam ſimile. Item an neruoſa ſepti tranſuerſi ſubſtantia coaleſcere, an cor, iecur aliaque pars quælibet. T. 2.



CVm os, aut cartilago deperditur, quòd ex ſemine genita ſint, qualia antea erant reſtitui minime poſſunt. ijs rationibus quas ex Galeno libro de ſemine attulimus: Illud licet, in vicem deperditæ ſubſtantiæ ſimile aliquid reponere quo pars redintegrari vitiata poſsit. Com.

Itaque

Itaque in osse fracto, cum aliud os regenerare non sit, substantiam quandam glutinosam ex alimenti proprij superfluo genitam natura generat, quam & ipsam in vicem deperditi ossis partibus laceris medijs apponit atque agglutinat eamque substantia, os ferruminãs, fracturam reparat. Substantiam porrò hanc, porum sarcoyden vocant quæ sese media ossi diffracto insinuans & a calore natiuo exsiccata instar ossis ossi adhæret. Sic de neruosa septi transuersi substantia num reparari possit differendum. nempè duabus ipsum substantijs constare. carnosa videlicet & neruea. vt à Galeno libris. v. & vij. de vsu partium, item v. & vi. anatomicarum administrationum & lib. 5. de locis affe. ca. 3. dictum est. Carnosa parte se septum transuersum costis insinuat. media illius pars tota neruea est. Est enim septum transuersum musculus quidam rotundus spiritalia membra a nutritiuis distinguens. vnde dictum est diaphragma a verbo Græco διαφράττει, quod separare significat veteres φρένας, vocauerunt quòd ea parte inflammatione obsessa mens & ratio tentari soleant. Neruosa porrò septi transuersi substantia dissecta coalescere nequit. ob id quæ in ea vulnera fiunt, lethalia sunt, Hippocrate & Galeno autoribus. Diaphragma porrò Galenus, libro quinto. de vsu 1
partium, cap. 15. respirationis esse organum affirmauit cum tamen libro libro sexto. capite, nono pulmones tale esse organum, non septum transuersum conceptis verbis adstruxit. Eodem verò libro, cap. secundo. Cor respirationis esse organum asseuerauit. Cum tamen vnius actionis non nisi vnicum possit esse instrumentum aut organum.

*Cap. 15* — *Gal. lib. 5. de usu par. c. 15. & lib. 7. ca. 21. & lib. 13. c. 5.* — *li. 6. aph. 8. & libro. 5. meth. med.*

*Varius de eadem re Galenus.* — *Contrariorum Galeni locorũ interpretatio.* — *Cap. 10*

Hos autem diuersos de eadem re locos vt commode interpræternur, sciendum pulmones verum esse respirationis instrumentum quòd motu dilatationis & constrictionis aerẽ intro ad cordis refrigerium excipiant & extra pellant. & si motum ex seipsis pulmones nõ habeant, sed à thorace potius moueantur. quo quidem constricto, constringuntur & ipsi, vti dilatato dilatantur. vt lib. 6. de vsu partium a Galeno habetur. Itaque pulmones respirationis organum esse, eò voluit Galenus, quòd attractus per asperam arteriam aer, & in illis receptus refrigeratione quam cordi inferunt, illius incendium prohibeant. corque abundè refrigerent: moxque calfactum in corde aerem rursus excipientes, expiratu eum foras pellunt.

*li. 6. de usu par. c. 10*

Sed quando thoracis motu id fieri præcipuè, citato loco asseuerauit Galenus (qui pul- 2
mones attolli elato thorace, deprimi depresso voluit) eius actionis non minimam partem thoraci esse tribuendum ratio cogit. At quoniam & thoracem non minimum in suo munere obeundo a septo transuerso iuuari compertum est, cui suis finibus alligatur, dicendum quidem, septum transuersum id membrum esse sine quo non liberè spiratio perfici possit. Sed tamen pulmones instrumentum præcipuum esse quo respiratio fiat. quod præter autorum sensa, pulmonum morbi, Peripneumonia, Asthma, orthopnæa docent. Quibus in affectibus, ob impeditos humorum infactu pulmones, respiratio ægrè procedit. Impossibile autem est vnius alicuius partis actionem læsam esse illæsa quæ ipsam efficit parte, vt Galenus dixit.

*de loc.*

Quòd verò cor voluerit esse respirationis organum, libro. sexto de vsu partium cap. secundo ita intelligendum, vt cor esse voluerit præcipuum instrumentum cuius causa respiratio fiat non quòd ipsum cor respirationem faciat sed reliqua eius vnius gratia respirationem efficiant, nempè thorax, septum transuersum, atque pulmones. refrigerandi enim cor- 3
dis gratia hæc quæ diximus membra respirationi inseruiunt. vt natiui caloris fons, cor ipsum, sua in temperie seruari respirationis vsu possit, sine quo id muneris perfici minime potest. vt libro de difficili spiratione, de pulsuum vsu, & de causis respirationis à Galeno locupletissime traditum est. item ab Arabe Auicenna fen decima. & vndecima tertij Canonis. atque per hæc commodè interpræta tos & elucidatos hos Galeni locos (qui controuersi esse videntur) arbitror.

*Textus.*

Omnes sanè percensere, tempus mihi non est. Neque enim tota facultas medica hoc vno libello compræhendi potest, nec id ab initio polliciti sumus, sed methodos quasdam aperire, demonstrareque ex quibus, & quot principijs,

cipijs, quibusque vijs artis fiat demonstratio. Igitur hic præsenti sermone finito, ac in summam redacto, prius iam constitutæ artis parti nonnulla adijciam?

Excusationem hac parte adfert Galenus cur non omnes partes quæ vel refici deperditæ, vel minime possint, protulerit. cuius rei hanc adfert rationem, quòd cum compendiosus sit hic liber, summasque tantum medicarum rerum contineat, non omnem facultatem medicam hoc libello compræhendi posse, quòd ars longa sit atque diffusa quæ modico capta contineri minime queat. Quod verò se effecturum ab initio pollicitus est, nempè ex quibus, quotve principijs ars constaret: & qua methodo artis demonstrationes cófici possent, ingenuè in hoc libro præstitit quantum compendiosa eius rei tractatio ferre potest. Si quidem & methodum constituendæ artis nos primis capitibus docuit & illud item, ex quibus principijs id fieri oporteat nempè à rei essentia de qua tractatur petitis indeque ex ijs quæ omnibus hominibus nota sunt auspicantes, firmas in arte medica demonstrationes teximus. Sunt autem in medicina communes quædam animi conceptiones, vti in Geometricis quæ ex se prolatæ fidem faciunt qualia sunt, Nihil sine causa fieri, & sana corpora inoffensis habere illæsasque actiones, ægra verò læsas, atque offensas. Com

Tum, affectum remoueri neutiquam posse manente quæ ipsum excitauit causa, & contrariorum conntraria esse remedia &, corpus partibus tum instrumentarijs constare. & sanitatem, affectum esse secundum naturam: morbum verò præternaturá &, impossibile esse cuiusuis partis actionem læsam esse, illæsa quæ ipsam efficit parte. Ex huiusmodi enim theorematis per se notis, artis demonstrationes contexuntur.

Siquidem) quod libris de Placitis Hippocratis & Platonis à Galeno scitissimè dictum est) ex euidentibus procedere demonstrationem omnem oportet. Hinc verò eum qui quippiá demonstraturus sit, cognoscere oportet, quæ per se & propriè rebus insint quæ ex accidenti. ab illis enim demonstrandi via assumitur, non ab ijs quæ ex accidenti. vt ab Aristotele libris resolutiuorum posteriorum proditum est. Tum verò etiam causas primas quæ secundum essentiam sunt: & à quibus, ceu productricibus, effectus dependent, tenere demonstratorem oportet.

Siquidem scire nos quippiam tum verè arbitramur, cum illud per suas causas vsque ad elementa prima agnoscimus. vt Aristotelis mens fuit. Tum verò, si de toto aliquo composito tractatio futura sit, partes illius quænam & quot sint prænoscere necessarium est. quod pluribus locis in hoc ipso libro nos docuit Galenus. Hæc est ergo demonstrandi via ac methodus, quam se in hoc libro edocturum Galenus ab initio pollicitus est. vt ea duce, vt cóstitui ars medica posset, demonstraret. lib. 1 post. cap. 2

Quemadmodum enim illic sanorum ægrorumque corporum specie inuentá, in particularibus materiis vniuersis spectare ipsam voluimus, ita inuentis à medendi methodo scopis, in speciales materias ipsas inducemus: vt noscamus quæ per eam aut partim, aut aliquo tempore fieri possunt quæque nullo modo. At hic cú aliis artibus analogia consideranda est. Si enim quispiam ex coctis lateribus domum extructam, dein aliqua parte affectam refici iusserit pro vitiatis integros reponendo, necessarium prius est artifici alios affectus non dissimiles dispicere. Ad hæc, si materiam idoneam dominus præstare non possit, reparationem esse impossibilem dicemus. Ita in hac prop osita speculatione res sese habet. Nam si materiæ inopia vrgeat, nihil eornm quæ ex semine natura in animali formando produxit ex alio restitui potuerit. verum de his abundè satis dictum est. reliqua subiungamus, de quibus antea diximus, dum remedia inueniremus. Tex.

Com. Inuenta ſanorum ægrorumque corporum dignoſcendi ratione, quam ex actionum perfectione aut læſione deſumendam eſſe ſupra capite decimo huius libri docuit Gale. in particularibus materijs ſpectari eam ipſam ſanorum ægrorumque corporum ſpeciem oportere rectè hic ſubiungit Gal. Siquidem cum hominem in communi non curet medicus, ſed Glācum, Platonem, Socratem, cuique pro temperamenti ſuí ratione, & morbi quo afficitur natura, peculiaria ac propria ad curationem medicamenta exhibenda ſunt inuentis tamen prius communibus ac præcipuis medendi ſcopis. qui ſunt vt perpetuò à morbi natura de medendo iudicationem ſumamus, tum verò vt per contraria ſemper (quæ communiſſima eſt in omnibus curandis morbis ratio) affectibus occurramus. quòd paulò poſt eſt dicturus Galenus. Itaque ſi medendi methodos ſpeciatim tenuerimus, inueniemus profectò quæ partim, quæ ex integro: quæ quo tempore fieri aut non fieri poſſint quæque nullo modo. Interdum enim repugnantibus medendi ſcopis quædam non ex integro, ſed partim facere liceat. ut cum corruptela humorum cum virium imbecillitate accidit (quod nono methodi medendi dixit Galenus) tum plenè & ex integro corruptelam euacuare non licet. ſed ſenſim & modicè. vt eo ipſo loco monuit Galenus, quod eſt partim non ex integro facere. vt poſtulare videbatur affectus is in quem huiuſmodi corruptela inciderat. Si quidem affectus integram corrupti humoris vacuationem exigebat, hanc autem cum imbecillæ vires ferre non poſſint, conſilij fuerit ſenſim & modicè vacuare quod corruptum eſt, & pro eo vtile reponere ſic enim faciendum eo loci iuſſit Galenus. Tum verò etiam quædam vno tempore facere expedit, quæ alio non licet nec fieri recta methodo poſſunt. Si quidem inchoantibus morbis, ſi quà mouenda ſunt, mouere expedit iuxta Hippocratis ſententiam. cum verò conſiſtunt ac vigent, id facere non licet. ſed quietem habere præſtat. tum enim coctiones & decretoria fiunt. quo tempore id tentare periculoſum eſt & extra rationem. Quædam verò nec partim nec aliquo tempore, ſed prorſus nunquam fieri poſſunt. vt cum ex ſemine genita membra reficere volumus, id quidem materiæ inopia perficere planè impoſſibile eſt. quod exemplo ex materiarijs artibus deſumpto probat hoc loco Galenus. Nam ſi quis extructam ex coctis lateribus domum ſed tamen aliqua ſui parte labefactatā, inſtaurare velit, pro vitiatis lateribus integros reponendo, ſi materiam ad id operis idoneā ſuggerere dominus domus, aut artifex nequiuerit, nunquam profectò illam reficiet, refectionemque, tum materiæ defectu, impoſſibilem fore iure dicemus. Sic præſens exemplum membris è ſemine genitis accomodando, inueniemus profectò ſi diſſecta & lacera ipſa ſint materiæ inopia refici ea impoſſibile eſſe quod Galenus libro de ſemine primo prolixè demonſtrauit. & nos ſupra hac ipſa de re diſſertantes copioſè, vt puto, & ad vnguem tractauimus.

Galenus in arte med. cap. 89.

lib. 2. aph. 29.

Textus. Etenim formas ipſorum veluti generales retulimus: alia ſcilicet refrigeranda eſſe alia calfacienda, alia humectanda, alia exiccanda. Huc nanq; in ſimilaribus conſilium dirigimus, vt in quibus vitiata eſt quantitas, vel auferamus, vel reficiamus. Ita in quibus numerus peccat, totum aut eximendum, aut regenerandum eſt. Inſuper in quibus non eſt debita figura, ad naturalem reducere oportet: repleta vacuare, vacua replere, obſtructiones aperire, aperta contrahere, conniuentia & denſata in contrarium uertere, illa aperiendo, hæc rarefaciendo ſimili modo in compoſitionis morbo ſcopus eſt ad naturalem habitum reducere, in ſoluta unitate diductas partes conglutinare.

Com. QVæ ſit communiſſima & maximè vniuerſalis in omnibus morbis curandi ratio, omnium quæ curari deſiderant formas quaſdam ac ideam communem quandam ſibi proponens, docet hoc loco Galenus. typum quidē atq; exēplar ab optimo artifice Hippo. ſibi deſumens qui contrariorū contraria perpetuò eſſe debere remedia dixit

ob id

ob id & similarium & instrumentariarum partium morbos percurrens in vniuersum, à contrarietate scopos curandi esse sumendos ( quæ maximè communis est medendi ratio vt in arte medicinali docetur ) exemplis appositis demonstrat. vt quæ refrigerata sunt calfacere oportet, quæ calefacta refrigerare, humecta exiccare, siccata nimium humectare. Hæc quidem in intemperaturis similarium partium exercere oportet si vna tantum qualitate excessus fiat. quòd si duabus, duabus item contrarij obuiam eundum erit. Similiter in organicarum partium affectibus si vitiata sit instrumenti quantitas, hanc vel demere si superfluat, vel reficere si à iusto modo deficiat necessarium erit. Sic in numero aucto vel diminuto pro ratione progrediendum erit.

Tum verò impleta quæ sunt vacuare expedit, inanita & vacua replere. Qua in ratione medendi sciendum duplicem a Galeno & medicis omnibus plenitatem statui, alteram quæ ad vasa alteram quæ penes virtutem attenditur. Ea vasorum plenitas dicitur, cum plus humoris in his subeit quàm capere ac continere ipsa possint. vnde plenitatem hanc, totius grauitas, venarum tensio, phlegmonosa lassitudo, membrorum confractio, rubor in facie, ad motus segnitia consequi solent. vt Hippocrates atque Galenus millies in mille locis voluerunt. de quo quidem statu rectissime illud ab Hippocrate dictum est, habitus exercitatorum qui ad vltimum bonitatis peruenit periculosus.

Gal. lib. de sang. miss. lib. de plen. & 9. & 13. meth. med. Hipp. lib. 1. aph. 3 Gale. lib. 4. de san. tue. lib. 1. aph. 3

Altera plenitas quæ ad vires dicitur, ea est, qua & si vasa non omnino impleta sunt, aut onere nimio turgentia, vires tamen grauantur nec ferre eam possunt. Pro varia namque hominum natura atque corporis statu efficitur, vt quod vni leue est alteri sit graue & onerosum. Itaque in robustis multa plenitas negocium vix facessit cum dimidium eius plenitatis imbecillibus grauis & molesta accidat. ac proinde plenitas huiusmodi ad vires non ad molem meritò refertur. quòd ea vires premantur, & si vasa humore multo non turgeant. vtraque porrò plenitudo, vacuatione indiget vt est scientissime ab Hippocrate dictum, morbos qui a plenitudine fiunt euacuatione sanari. sed eam tamen quæ ad vasa dicitur, sanguinis potissimum missione tollere oportet. vt Hippocrates atque Galenus censere, eam quæ ad vires, purgatione magis. pro molestia humoris natura biliosi, pituitosi, aut atrabilarij biliosum quidem cholagogo, pituitosum phlegmagogo, melancholicum melanogogo, & aquosum hydragogo hoc est aquas ducente medicamento euacuantes.

li. 2. aph. 22 lib. 1. aph. 3 & ibi Gal. & li. de sanguinis miss. & lib. 4. de san. tu.

Prout autem repleta inanire vacuatione oportet, sic & vacua id est inanita replere conuenit. optimi alimenti succo, potione quæ facile in venas feratur, somno, quiete, & animi tranquillitate, vt Hippocrates libro secundo aphoris. 22. & Galenus in eius partis commentario, & libris septimo & decimo methodi medendi tradidere. Subdit postea Galenus hoc loco, obstructiones aperiendas esse; dum ait, ( OBSTRVCTIONES APERIRE ) Id quidem à communi scopo, qui contrarietas est, sumens. siquidem est apertio obstructioni omnino contraria.

Porrò obstructio, autore Galeno, morbus instrumentarius est, eorum quæ obstructa sunt corporum siue internorum meatuum clausio & obductio. Vt stipatio, quam στέγνωσιν vocant, externorum meatuum conniuentia & adstrictio quædam vel à frigore, aut cutis densitate, aut ab adstringentibus foris admotis vt de eo qui in abulis lauerat exemplificat lib. 8. metho. med. Gal. tum & ab alijs causis corporeis nasci interdum solet. Phlegmone, Schyrro, & alijs præter naturam tumoribus partes stipantibus. quemadmodũ & obstructio ab ijsdem etiam causis nasci solet potissimũ verò à multis, vel crassis glutinosisq́; & lentis humoribus internos meatus infarctu suo claudentibus. vt lib. 9. meth. med. & in arte medicinali à Gale. est proditum. Obstructionis curatio pro causarum diuersitate molienda quoque variè est. siquidem si ab abundantia facta fuerit, sanguinis missione: sin a crassis & lentis, attenuantiũ dissecantium & aperientium, id est referantium vsu curabitur. vt libris 10. & 11. method. med. & in arte medicinali prodidit Galenus. Obstructioni porrò contraria est quam ἔκφραξιν vocant, id est reclusio seu apertio quæ attenuantibus, dissecantibus, & referantibus, medicamentis fieri habet. attenuatio crassis, dissectio glutinosis ac viscidis, reseratio implentibus debetur. Quin & per aluum, vrinas, atque sudores, his adhibitis, quæ aluum mouent, quæ vrinas proritant, quæ sudores eliciunt, obstructiones

li. 11. me. med.

tiones itidem curari conuenit. vt præcitatis à Galeno locis est videre. vt igitur aperiendæ obstructiones sint (quod hic monet Galenus) abundè diximus. Cætera contextus per se patent suntque explicationis minime indiga?

Tex.

**Verum in omnibus his auxiliorum materiam inuenire nõ parua est artis ratio veluti statim in luxatis particulis quum non modo in posteriorem prioremque partem, tum dextram, ac sinistram prolabi membrum, sed etiam in superiorem à musculorum robore conuelli contingit, duplici motu est opus ijs qui in locum articulos reponunt: primo deorsum, altero in sedem propriam & propterea sine tensione in partem oppositam membrum reduci non potest. Porrò vt sic tendatur in diuersum, ualidæ appræhensionis tensionisque vsum esse nemo ignorat. At quum interim nostris manibus ea nequeamus efficere, instrumenta ad hoc idonea inuenimus; quorum pleraque luxatis reponendis conueniunt. atque hæc instrumenta remediorum materiæ quędam sunt, quemadmodum & auxilia omnia, medicamenta, cibi, potus, & (ut semel expediam) quęcunque corpori adhibentur commemoratos affectus in naturalem habitum reuocant. oportet itaque medicum in horum materia uersatum fuisse & prædictos scopos ipso usu rerum probare, ne simile quid illi accidat, quale iis qui frigidum conferre censent omnibus refrigerandis, & calidam calefaciendis, ignorantes frigidam aliquando per accidens calfacere, & calidam refrigerare. Plurima sanè de horum omnium methodo, in opere de medicamentis tractantur.**

Com.

CVm qui essent in omnibus tam similarium partium quàm organicarũ morbis scopi præcipui præcedẽte serie apertè & diffusè ostendisset Galenus, demonstrans vbique per contraria ijs quæ afficiunt esse medendum. cum id satis esse medico curanti non existimaret, quid desiderari adhuc posset ad complementum methodi medendi subiungit, inquiens, non satis esse curandi scopos in vniuersum tenere refrigeranda nempè quæ supercalefacta sunt, & contra calfacienda quæ refrigerata sunt, obstructa quæ sunt aperire, aperta contrahere, conniuentia & densata in cõtrarium vertere, quæ vnitatem amiserunt agglutinare, nisi exemplò & quibus præsidijs id perficere possis, & qua materia auxiliari præstari id queat quod a morbi indicatione suggeritur ad manum habẽs. ac proinde auxiliorum materiam inuenire quibus curari affectus queant, non minimam artis esse partem rectissimè hoc loco dixisse visus est Galenus. Quorsum enim attinet, quid opus sit facto scire, nisi quomodo, qua materia in id vtare promptum sit & expeditum? Materia enim medica est qua morbi in vniuersum omnes curantur. Quapropter vniuersæ medicæ materiæ peritum esse oportere medicum a scientissimis medicæ artis dictum est. Itaq; præcipua, cognito primum morbo, hæc cautio fuerit, vt apposita & affectibus congruentia auxilia offerre sciat medicus. Porrò auxilium, omnis materia Galeno dicitur, quæ quomodolibet corpus alterans, iuuat & prodest. siue ea medicamenta sint, modò prosint, siue cibi aut potiones, aut forinsecus admota, si affectus corpora lædentes curare possint & in nãlem statum corpora reuocare, ea omnia auxilia meritò nuncupanda censendaque sunt. vt hoc ipso loco, & libro xi. meth. medendi expressit Galenus. Subijcit deinceps exemplum Glenus luxationes membrorum reponendi, quæ varijs tractibus & motibus fieri habet. cum in varias partes prolabi quę luxantur membra possint. non solum dextram aut sinistrã, sed etiam in superiorem à musculorum robore conuelli non rarò partem contingat. contractis vtique versus originẽ su neruis ac musculis. quod sæpe in luxationibus accidere ipse vidi, nouissimè uerò dũ hæc scriberẽ in Georgio Marcello fani Diui Iuliani apud arcla tẽ ecclesiaste Parrocho insigni ac probato q cũ è sublimi cecidisset, manusq; sinistrę carpũ casu

li. 11. meth. med.

Historia cõuulsi ex luxatione.

deiu-

deluxaſſet, altero die in conuulſionem incidit, ac ſexto poſt die vitam cum morte commutauit. Luxationum curandarum ampliſſimã meth. lib. de fracturis, & de articulis, atq; in chyrurgiæ officina tradidit Hippocrates. quibus in locis docet quæ facile quę difficulter reponi luxationes queant, quibuſque modis tractandæ, quibus motibus, quibus inſtrumentis repoſitioni idoneis id perfici habeat. Quæ ex illo loco requirenda veniunt. Illud autem in confeſſo eſt, Luxationem propriè ad articulos pertinere. nihilque prorſus aliud eſſe, quàm articuli a propria & natiua ſede a violento aliquo motu excuſſionem atque egreſſum quæ interdum ſi leuis ſit, leuiter membrum deorſum trudendo, in ſuam ſedem reponi haud magno negotio poteſt: ſin minus, machinis admotis id aggredimur. Sed peritum eſſe oportet in ijs adaptandis artificem atque hæc omnia vſu probare oportet qui rerum inſignis magiſter eſt. Luxatio quid.

Id autem ſermoni apponemus, omne videlicet materię pręſidiorum genus, in offerendis, faciendis, euacuandis, atq; extrinſecus incidentibus conſiſtere. Quæ ſi omnia artem conſtituens diſcuſſerit, & totius materiæ ſcientiam particulatim habuerit, non ſolum facultatem eorum, ſed viam quoque perdoctus, is nimirum vniuerſas cauſas ſanitatis, vt nihil præterea ad medicatoriæ artis conſtitutionem deſideret, abſoluerit. Omnibus his ſcilicet in capita duo redactis, corporum puta quibus auxilia adhibentur, cognitionem, & ipſam auxiliorum naturam? Tex.



Mne præſidiorum genus in offerendis, faciendis, euacuandis, atque extrinſecus incidentibus conſiſtere prior Galeno dixit Diuinus in Epidemijs Hippocrates. Ea verò quæ per os ingeruntur, cibos dico & potiones tam quæ alendo ſunt quàm medicatas, oblationes vocare medici in vſu habent, vel Hippocratis & Galeni teſtimonio, dicentium, in quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeratur bonum eſſe. quo in loco vetus traductio, ad oblationes habet. verbum e uerbo. Nam Græce eſt, τὰς προσφορὰς, id eſt oblationes. Com. lib 6 part. 2. & 4. lib. 2. aph. 33.

Itaque in offerendis ideſt, in exhibendis cibis, potionibus, & medicamentis congruo tempore, ordine atque menſura, vnum eſt & maximum prædiorum genus. Facienda autem ſunt quæcunque a nobis in ægri ſalutem fiunt atque parantur. vt cibos pręparare morbo & ægrotanti idoneos, lectum ſternere, cubiculum apparare, ſuppellectilem mundam nitidamque habere, vaſa & pocula pellucida, deterſa, micantia, omnia ægro grata quæ fore exiſtimamus, offerre, ingrata, & quæ mœrorem incutiunt amouere, ægro aliquid condonare, nec vnquam eum ad iram prouocare. ſed ad hylaritatem pellicere, illi blandiri & obſequia præſtare ea quibus ſe maxime adiutum atque leuatum ſentiat æger.

Quæ offerenda ſunt ſuo quæque tempore modoque exhibere, & ut in ſumma dicatur, omnia moliri ea quibus æger ad ſanitatem conſequendam, à morboque reſurgendum indigeat. Hæc in faciendis, præſtandis, atque exequendis ſita ſunt atque conſiſtunt. Nec ſolum facienda ad medicum ex integro pertineat, ſed & quædam ab ægro faciẽda quoque ſunt, nempe vt ſe dicto audientem obſequentemque medici conſilijs atque mãdatis pręſtet, vt morbum forti infractoq; animo tolleret, oblata ne faſtidiat, moroſus ne fiet miniſtris ac iracundus, ſed lenis & facilis. Ad miniſtros porrò pertinet, in primis, vt prudẽtes, modeſti, faciles, ſeduli, & induſtrij, tũ verò inprimis ægri cuius ſuſceperũt curã amãtes, ſint vbi. n. amor & charitas adfuerint, omnia rite officia implebuntur. Hoc monuiſſe diuino illo ſuo oraculo Hippocrates à Deorum familia eſt viſus inquiens in aphoriſmis, δεῖ μὴ ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. Quod eſt.

Non ſolum ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum & aſſidentes, & exteriora. Hæc ſanè omnia (ait hoc loco Galenus) ſi artem conſtituens ad unguem tenuerit, & præterea ſimplicium medicamentorum omnium, & aliorum ſine quibus curari commodè morbi nequeunt, ſcientiam nactus fuerit: non ſolum

medicamentorum facultates: ſed vſum quoque edoctus (quam vtique ſcientiam ex libris ſimplicium Galeni, & de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & altero ſecundum genera, facilè adipiſcetur) is profectò vniuerſas ſanitatis cauſas, hoc eſt præſidia quibus ſanitas comparatur, noſcet, & abſoluerit. vt ad medicatoriæ artis conſtitutionem, nihil ſit illi amplius requirendum. Quę ſanè omnia ad id requiſita, duobus capitibus, ceu cancellis proprijs continentur, nempè corporum quibus præſidia ad ſalutem exhibentur cognitione, & ſimplicium item natura viribuſque cognoſcendis. corporum porrò cognitionē ex libris de vſu partium, de temperamentis, & locis affectis, morborum ex libris de morbis & ſymptomatis, præſidiorum, ex libris ſimplicium nanciſceris.

Tex. Reliquum erit ei qui artem volet exercere, vt omnium ſibi affectuum dignoſcendorum facultatem comparet, maximè illorum qui in alto iacent & latētibus particulis conſiſtunt. Nec enim cuiuſuis eſt ſingularum partium vel ſimplicium, vel inſtrumentariarum, quum in alto poſitæ fuerint, vitioſam diſpoſitionem inuenire attamen methodo quadam, partem affectam cum eius morbo ſimul deprehendere conabimur. De quibus copioſius alibi, ſicuti aliarum omnium methodorum ſummam comprehendimus, ita hæc nunc explicare neceſſe eſt: ac primum ex quo genere, rerum præter naturam exiſtentium cognitio ſperanda ſit.

Com Vid artem exercenti cognoſcere neceſſarium ſit, docet hac ſerie Galenus inquiēs, operæpretium fore, vt quiſe in arte medica exercere voluerit omnium affectuū qui curam deſiderant cognitionem ſibi vt in primis comparet. Vt ſine qua manca & inutilis ſit futura omnis quæ de medendo ſuſcipitur ratio. Cum autore Galeno curari nequicqnam affectus vllus poſſit, ni prius qualis ſit cognitum habeamus. quòd pro morbi diuerſitate, alij atque alij ſcoppi ſumendi ſint, alia atque alia auxilia paranda. cum non omnes eandem curationem deſiderent, & (vt eſt in prouerbio à Galeno citato) non omnes vno calapodio calceare expedit.

li. 2. meth. med.

li. 9. meth. med.

Itaque dignoſcendi prius affectus ipſi ſunt quàm curari a nobis recta methodo queant Methodus autem partes affectas dignoſcendi, libris primo & ſecundo locorum affectorum per bellè à Galeno traditur. videlicet à læſæ actionis inſtrumentis, ab ijs quæ ſecundum rei eſſentiam inhærent, quæ & pathognomonica ſigna dicuntur ab excrementis, à poſitu & ſitu partis, à doloris proprietate, à contentis, ab adhærentibus. ſed præcipuè ab actione læſa cum fieri nequeat vt cuiuſquam partis actio lædatur, illæſa quæ ipſam efficit parte vt voluit Galenus. Interdum verò ex vno indicio aut ſigno & ſedes affecta & diſpoſitio depræhenduntur aut locus ſimul et cauſa.

Primi exemplum eſt, ramentoſum ſeu cruentum excrementum ex aluo prodiens. quod ſimul & affectum nempè vlcus, & ſedem affectam nempè inteſtina malè habere ſignificat, vlcere premi. Locum & cauſam, ructus vel nidoroſus vel accidus indicant. ventriculum inquam malè affici, & cauſam frigidam vel calidam in eo ſubeſſe.

Calidam quidem, ſi nidoroſus fuerit ructus, frigidam ſi accidus. vt libro ſexto de ſymptomatum cauſis latius Galenus. Meritò igitur ſeſe in arte exercere volenti, neceſſarium hoc loco eſſe dixit Galenus, vt in affectibus dignoſcendis inſignem operam ponat. Si quidem exercitatio medicæ artis tota in morborum curatione poſita eſt. quæ ſanè optima eſſe cenſetur. In id autem diſcit artem medicus, vt curare tutò, celeriter, & iucundè

lib. 12. meth. med. poſſit. quod præcipuum medici munus eſt. autore Galeno indeque à medendo, medicinam nomen ſumpſiſſe omnibus in confeſſo eſt, & prodidit libro de partibus artis medicatiuæ Gal. vt autem in ea ſe exercitatione probè gerat medicus, noſcendi proprius

li. 12. meth. med. illi hi omnes affectus ſunt qui curari deſiderant eos vt recte curare ſciat. Si quidem autore Gal. principiū meth. med. morbi eſt cognitio quam lib. de morbis & ſymptomatis, & de locis affectis abundè ſuppeditant. Quod autem ſubdit Gal. non cuiuſuis eſſe partium ſeu ſim-

plicium

plicium, seu organicorum affectus dignoscere, cum in alto positæ fuerint, hoc est in intimis corporis penetralibus sitæ. rectissimè dixisse est visus, nisi enim Anatomen probè teneas, partium situs ac positus, consociationes, actiones, & vsus, nunquam profectò partium internarum & in alto positarum affectus deprehendens. Quæ docta Galeni libro primo de locis affectis sententia est. Atque hic capitis finis esto.

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Tria namque in vniuersum numerantur eorum quæ à natura declinant. Vnum affectiones actionem lædentes. Alterum illarum causæ. Tertium symptomata. Itaque maximè principes causæ quum agunt, ac appellatione dignantur: dicuntur tamen subinde ita, etiam si nondum quicquam agunt ideo quòd agere possunt: vt cruditas, morborum causa dicitur, licet morbum nondum intulerit. Voco autem cruditatem, non solum frustratam in ventriculo concoctionem, sed in vasis quoque, iocinore, corporisque mole vniuersa. **Textus.**

QVod sub præcedentis capitis finem fuerat pollicitus Galenus; vndenam rerũ pręter naturam existentium cognitio desumenda esset, se traditurum, idipsum nunc datę fidei memor pręstare ingreditur. hoc capite docens, quænam & quot ea sint quæ à natura declinãt. hoc est, quæ præter naturam sunt. Quæ enim à naturæ lege statu, & ordine, normaque deficiunt ea iure merito præter naturam dici debent, quòd naturæ ordinem statumq; naturalem peruertant, quòd actionibus incommodent, noxamq; corpori adferant, quod est præter naturam, id est præter ipsius institutum legem & ordinem esse. Nunquam enim natura benignissima mater, & corporis quod curandum suscepit sollicita tutrix ac conseruatrix, aut noxam infert, læsioneve vllius generis vlla actionibus partiũ incommodat, quin contra fouet, sustentat, & in suum ipsius gremium corpus complexa, quoad potest salubre ac sartum tectum conseruare studet. Hoc enim præcipuum naturę munus est, hæc curatio. Ea verò quæ præter naturam dicuntur, tria in vniuersum esse vult hoc loco Galenus, nempè affectus actiones lædentes, eorum causæ, Postremò symptomata, quæ affectus sequuntur velut vmbra corpus. Tum verò exemplo de pleuritide apposito hęc omnia ita se habere confirmat. Hæc capitis summa est. Nos verò seriem hanc quæ exacta explicatione indiget, planam lectori faciemus. Tria igitur esse in vniuersum quæ à natura declinant, atque ideò præter naturam censenda, nempè affectus, causas, & symptomata. Cur verò iis plura esse non possint, in aperto ratio est. Nam quicquid lædit, vel nullius interuentu lædit, vel interueniente aliquo, aut necessariò consequente. Si protinus ac nullius interuentu, affectus id est seu morbus, definiente vtique morbum Galeno, vt sit constitutio quædam præter naturam à qua actio primò vitiatur, quod est protinus ac nullius interuentu vitiari. hoc enim dictio illa (PRIMO) in definitione posita sonat. Si verò quod læsionem infert, non primò & per se, sed interueniente aliquo id facit, affectumque præcedat, causa dicitur. morbificæ enim causæ morbi interuentu læsionem inferunt. Siquidem causæ ipsæ, affectus pariunt, hi verò protinus, primò & per se actiones lædunt. causæ autem, morbi interuentu. Si autem id quod lædit affectum sequitur, vt Plegmonem dolor, iam id symptoma est. Sunt enim symptomata quasi morborum germina quædam ab ipsis tanquam à radice ortum ducentia vt libro de symptomatum differentijs & causis testatur abundè Galenus. Itaque hac ratione fit vt plura tribus his nunc memoratis esse non possint ea, quæ à natura declinant & præter naturam dicuntur. Nam aut ad affectus ipsos, aut eorundem causas, aut symptomata reducuntur quæcunque corpori læsionem inferunt vt diffusè Galenus libris de morborum differentijs ac causis, tum de symptomatum item differentiis & causis ostendit. Porrò cum vnum eorum quæ præter naturam sunt, causas morbificas esse dixisset hoc loco Galenus, quid causarum nomine intelligendum sit: & quæ verè ac propriè causæ dici mereantur

**Com.** — Libr. 1. de sympt. diff. cap. 1.

reantur docet præsenti serie Galenus. inquiens, maximè principes causas quum agunt verè ac propriè causas esse censendas causarumque appellatione nuncupandas, ἄιτια κυριώτατα sua lingua loquens huiusmodi causas hoc loco nuncupat Galenus. At verò quæ sint principalissimæ hæ causæ non sic explicatu facile. Cum multa sint causarum genera a Philosophis ac medicis tradita, nempé efficiens, materiale, formale, & finis. Vt secundo libro de Physico auditu & libro. 5. methafisices Aristoteles, & libro de causis rursus idem autor, quemadmodum Galenus. libro de sympt. diff. cap. 1. his verbis expressit. Id (inquit) quod suapte natura inducere potest ei quod fit aliquam suæ generationis partem, ipsum illius causa dicitur. Cuius complura sunt genera, nempé materia, vtilitas, scopus, instrumentum, & vnde principium motus. Horum enim quodlibet, non nihil ad perfectionem eius quod fit, conducere potest. Ex qua quidem verborum serie, quot & quænam sint causarum genera bellè expresit Galenus. materiam ex qua quippiam fit, finem cuius gratia quippiam fit, quod causæ genus vtilitatis nomine expresit Galenus. efficimus, vnde principium motus & effectionis. formam, & si non nouit Galenus, tamen scopi nomine eam intelligi dedit si quidē efficiens omne scopum sibi aliquem vnumquippiam efficiendi quod propria forma & natura præditum sit, sibi proponit, alioqui frustranea, inutilis & manca omnis actio esset, nisi quid in materia inducendi quod illi pro forma, perfectione, atque ornamento sit, propositum haberetur, quod in iis causis quæ ab animo & voluntatis delectu operantur verissimū haberi debet. Quin & agentia naturalia, & si delectu non agunt: secretiore tamen modo quodam architectratice natura, formas materiæ inducunt pro materiæ captu idoneas, quasi scopos sibi fingente formatrice natura. Vult porro hoc loco Galenus inter causarum genera omnia, eæ quæ principes causæ dicuntur hac appellatione præcipue esse insigniēdas. & si etiam eæ quæ nondum operantur, nec quicquam adhuc agunt, ex eo tamen quòd agere possunt, causas itidem esse nuncupandas, sed non primaria significatione censet. Vt de cruditate palam facit, quæ & si morbum actu non inferat, morborum tamen causa iure dicitur, quòd ab ea morbi nasci quàm promptissime soleant. Quid verò principum causarum nomine Galenus intelligat promendum. Ego quidem (ni mea me fallit mens) eas principes causas dici arbitror, quæ in efficiendo primas omnino partes tenent. suntque effectui gignendo proximę. Vt quia agendo assiduè, nunqam nisi re perfecta, & consummato effectu conquiescant effectumque deserant. Itaque efficientes potissimum atque inter has eæ, quæ proximę affectui sunt, neque illum deserunt (quas & ipsas contentiuas, seu continentes esse iure merito censendum est) eas inquàm principes & verè causas nuncupandas esse (si quid mea opinio in hac re valitura sit) asseuero atque confirmo, hac potissimum Galeni sententia fretus quę instar Areopagitici decreti, sanctionisque irreuocabilis & principalis esse doctis auribus possit. Ego quidem de continente causa, tanquam pro aris & focis defendendam atque patrocinio indefatigabilis tutandam esse aduersus contra sentientes intrepidus asserere audeo. Vti plena enarratione libro sexto mearum enarrationum medicinalium aduersus Fuchsium, Enarratione eius libri prima, palam omnibus feci, quod & antea dum Commētarios in libros Galeni de morbis, & symptomatis scriberem probare eis in Commentariis nixus sum. Nouissime verò, in meis itidem locis communibus Medicinę quos ab hinc annos duodecim in manus hominum auspicatò prodire iussi, idipsum quoq; perfeci eandem vbique cantilenam canens, hoc est continenter continentem causam fouens, firmans, atque stabiliens, quod vt ne factum facere videar, (vt est in prouerbio) ad ea loca remittere lectorem quàm repetita crambe lectori ταυτολογία inutili nauseam mouere visum est. Hęc de principe causa, quantum huius loci ratio postulat dicta sufficiant. Ad Galeni nunc de cruditate exemplum me conuerto, quam morborum esse causam statuit, & si nondum quicquam noxę inferat, sed quòd facilè inferre possit ob id causam esse censendam indicat. Quod vt commodè explicemus, quid cruditas sit, & vnde fiat & quibus in partibus humani corporis hoc est succis in eis consistentibus cadere possit, promendum. Cru-
Libr. 6. de symp. cau. cap. 1. ditas igitur Galeno, coctionis est priuatio. Cum enim concoctio alteratio quędam sit, quū cibus in qualitatem animanti familiarem transmutatur, vt lib. 3. de symptomatum diff. cap. 4. & lib. 6. de sympth. caus. cap. 1. voluit Galenns, sit autem cruditas omnino concoctioni contraria, sequitur profecto ipsam nihil prorsus aliud esse quàm alterationis huiusmodi ca

rentiam atque defectum id enim exacta cruditas est, quam & ipsam ἀπεψίαν vocant) cum nulla prorsus in eo, quod ingestum est alteratio facta fuerit. fit autem abolita concoctrice facultate, cui ea functio à natura demandata est. eum enim per vehementes intemperies, abcessus, dolores, vlcera, ventriculũ, hæpar, venas, & reliquas corporis partes malè affici cõtigerit, efficitur, vt fatiscente per hos affectus natiuo calore (à quo potissimum actio hæc perficitur) aboleatur omnino concotrix facultas, ita vt nulla prorsus in ingestis alteratio, nulla in qualitatem animanti familiarem demutatio fiat, quæ verè & absolutè cruditas dicitur. cum prorsus inelaboratus in ventriculo constiteris cibus, vel in hæpate & in venis sanguis. (Nam & hæ quoq; autore Galeno, in mille locis, sanguinis gignendi, ut hæpar, vim habent, tum verò etiam, si peculiaria membra delatum ad se alimentum conuertere non valent, cruditas & hæc vocatur. In omnibus enim partibus quæ concoquendi vim habent, si ab scopo aberrauerint, cruditas in succis qui in illis partibus continentur accidet. Atque hæc actenus.

Libr 2. de facult. nat. ca. 9. & lib. 4. de sanit. tut. & lib. c. de symp. h. caus. cap. & li. 2. præsag. Com. 1. & lib. 2. de alim. ca. de cucumere. & lib. de thiriaca ad pisonem. & lib. 2. de facul. natu. c. 8. & lib. 3. c. 7. & li. 4. de vsu par. capitu. 2. & 12. & 17.

Textus.

**Symptomatum genus in tres secatur differentias, actionis offensam, corporis accidentia, excrementorum immoderationem. Omnium uerò horum causa, corporis est dispositio, quam siue morbum appelles, siue pathos, nihil interest.**

Com.

TRia Galenus statuit cum hic, tum lib. de symptomatum differentiis capite secundo symptomatum genera, alterum in actionis offensa, alterum in ijs quæ corpori eueniunt accidentibus, Tertium in excrementorum immoderantia, siue in suppressione, siue in effluxione reijciendum est. Hæc genera præcitato de symptomatum differentijs libro sic distinguit Galenus. De symptomatis (inquit) quæ speciatim dicuntur, in hoc opere differere propositum est. Ea trifariam distinguuntur. Alia enim corporis nostri sunt affectus, alia functionum noxæ, alia ad utraq; consequuntur. Vt sunt excrementorum immodicæ tum excretiones, tum suppressiones. Pro huius partis pleniore intelligentia scire conuenit, symptoma dupliciter Galeno dici solere, nempè generatim & speciatim. Id symptoma generatim dicitur, quodcunq; animanti præter naturam accidit. quo in significatu & morbus, & causa, ad symptomatis generatim dicti appellationem reducuntur. Cum & ipse morbus hac ratione, & causa item morbifica, quæ morbum intulit, sub symptomatis generatim dicti significatione comprehenduntur. Vt citato loco Galenus. Aliud est speciatim dictum, cuius hæc est ratio, vt & præter naturã sit, & morbum sequatur velut vmbra corpus quo in significatu & à morbo, & à causa plurimum dissidet. Nam causa præcedit, hoc sequitur, item morbus primò actionem lædit, & perpetuò affectus permanens est: Symptoma neque primò actionem lædit vnquam, neque perpetuò in affectu situm est, sed quandoque in actionis noxe. Vt hic, & lib. 3. de symp. dif. à Galeno dictum est. Itaque primum symptomatis speciatim dicti genus, in actionis offensa constituit Galenus cum videlicet actio partis minus rectè obitur. hoc est vel diminutè, vel corruptè, vel etiam ablatè, id est cum nullatenus fit actio, sed pars propria actione priuatur. Quum noxam dico (ait Galenus) priuationem etiam intelligas velim. Neq; enim (subdit) vel mouendi vel sentiendi, duntaxat difficultas, functionum noxæ quædam sunt, verum etiam, & sensus priuatio & immobilitas. Itidem non solum concoquendi difficultas, verumetiam apepsia, id est cruditas. Atque hæ sunt actionum offensæ in quibus alterum sympromatis speciatim dicti genus positum est. Alterum in iis quæ corpori eueniunt accidentibus quorum quædam affectus sunt & stabilitatem in corpore habent; neque in fieri ipso & motu suam ipsorum essentiam possident, quo in genere deprauati colores ac vitiati (quales in morbo regio, vitiligine, Elephantiasi apparent) comprehenduntur, quæ sanè colorum euersiones, cum ad morbos præfatos consequuntur, habitus tamen sunt vel dispositiones quæ difficulter amoueantur. Tertii ordinis symptomata, quæ in excrementorum immoderatione posuit Galenus, promiscua esse nemo non intelligit. Vt quæ modò ad af-

Lib. de symptomatam diff. c. 1.

Lib. de sympto. dif. c. 2.

fectus quorum sunt consequantur & vitiatæ actiones sunt, vel etiam interdum affectus quoque & ipsæ sint, si permanentes sint, & ad alios morbos non consequantur. Quamquam hoc rarissimum est, quin huiusmodi affectiones vel ad intemperiem partis aliquam, vel ad vlcera, phlegmonas, reliquosve abscessus non consequantur, & cum in motu & fieri ipso excretiones ipsæ immodicæ suam eorum essentiam possideant, ad actionum læsionem potius, quàm ad affectus sunt reiiciendæ, vel ad ea quæ hanc actionum læsionem consequuntur; atque in hoc genere sunt sanguinis per os, nares, mariscas, vterum, effluxiones, vel suppressiones, item humorum per aluum, per vomitum, per urinas, & sudorem excretiones, vel detentiones omnium porrò huiusmodi symptomatum causa est (ait hoc loco Galenus) corporis dispositio quã siue morbum appelles, siue pathos nihil referre putat Galenus. In quo animaduertendum, Andernacum hoc loco in versione sua lapsum fuisse. cũ sic verterit omnium verò horum causa est corporis dispositio, quam siue morbum appelles, siue affectum nihil interest, sic ille vertit, non animaduertens & Græcè aliter scriptum esse, (nempè pathos) & morbum & affectum eadem esse. Quæ vt sic se habere rem demonstrem textum Galeni Græcum adferre operæpretium fuerit ἁπάντων δὲ τούτων αἰτία τοῦ σώματός ἐστιν ἡ διάθεσις, ἣν εἴτε νόσον εἴτε πάθος ὀνομάζοι τις, οὐ διοίσει. Qđ est, omniũ verò horũ causa, dispositio corporis est, quã si quis, vel morbum, vel pathos nominet, nihil refert. Hæc profectò germana & fidelis est Galeni sua lingua loquentis versio. Nam cum symptomatum causam in genere Galenus corporis dispositionem esse meritò dixerit (à morbis enim ceu à productrice causa symptomata omnis generis omnia nascuntur) ea verò aut stata & permanens est, aut in fieri essentiam suam obtinet, quarum prior morbus est, altera πάθος sequitur profectò nihil referre siue morbum, siue patos nuncupes quum ad vtranque dispositionem symptomata sequantur.

Notatur versio Andernaci.

Tex.

Cognoscitur autem meritò ex symptomatis causę rationem respectu ipsorum obtinere. Quædam enim ex ipsis necessariò affectus consequuntur, quædam non necessariò, sed vel sæpè, vel raro, vel ambiguè: quemadmodũ rursus alia symptomata affectionis differentiam ex necessitate sequuntur, quædam vt plurimum, quædam incertò, quædam raro. Quæ iam ex necessitate morbum sequuntur symptomata, παθογνωμονικὰ nuncupant. Atque hæ fermè morborum notæ censendę sunt. Quæ vero non necessario, uel morbi differentiam, uel morem, uel magnitudinẽ indicant. Sed exemplo quodam cuiusque prædictorum uim ostendam, ut eo adiutus, similiter in omnibus ad eandem methodum teip sum exerceas.

Com.

Affectus ipsos seu corporis dispositiones, symptomatum esse causas superiore serie dixerat Galenus, id fusius explicare volens, ostendit symptomata quædam affectus necessario consequi: quæ ob id meritò Græcè παθογνωμονικὰ, id est affectum significantia, & illum ceu lex quædam compræhendentia. quædam non necessariò: sed maiore ex parte, quædam raro, quædam ambiguè, hoc est incertè affectus quorum sunt consequũtur, nec semper illos comittantur. Ea porrò quæ pathognomonica sunt, morborum notæ, ac signa propria quæ nunquam fallunt, habenda sunt. Quæ vero non necessario; nec semper vna cum morbo adsunt, interdum morbi differentiam, sit ne leuis aut grauis morbus aliasque differentias indicant, nonnunquam verò morbi morem, hoc est malignitatem, aut leuiorem noxam, vel tandem ipsius magnitudinem indicant. Magni porrò morbi hi cēsendi sunt, aut qui principes corporis partes occupant, aut ob illorum vehementiam & magnitudinem, aut ob malignitatem. Vt libris quarto & septimo methodi medendi affirmauit Galenus. Itaque quicunque affectus, cor, cerebrum, hæpar, pulmones infestant, ob partis præstantiam in magnis habendi sunt, item febres incensiuæ, continentes, & acutæ, tum vero angina, pleuritis peripneumonia, Phrenitis, ob eorum magnitudinem graues habentur, vt Hippocrates lib. 1. de rat. victus in morbis acutis testatur. Ob sæuitiam vero & cachoitiam,

Textu. 3.

tiam, quibus grauia & periculi plena ſymptomata adſunt. & qui ob eorum malignitatem citò hominem tollunt, quo in genere contagioſi & peſtilentes omnes affectus numerandi ſunt, quorum omnium exemplum Galenus in Pleuritide demonſtrat, ſymptomatum dico quæ neceſſariò, quæ non neceſſariò morbum conſequantur. Quoniam vero hoc loco pathagnomenica uocata ſymptomata, quæ morbum ex neceſſitate ſequuntur, illius notas, & ſigna vult eſſe Galenus, quid ſignum ſit, & quotuplex exponendum venit. Signum igitur eſt rei quæ contingere debet dignotio, vel id quo cognito aliud quod nobis ignotum erat deprehenditur. Vt in deffinitionibus medicis traditum eſt. Notatio autem eſt, rei minus patentis per notas proprias & ſigna perceptio. Itaque quæcunque ſenſibus noſtris ſeſe offerunt aliud quippiam patefacientia quod minus adhuc cognitum eſſet, ea ſigna dicuntur. Vt pulſus, vrina ſudor, excrementa alui, ſputum, ægrotantis facies, habitus, geſtus, motus corporis inordinati, ſermo, vox, decubitus, ſomnus, vigilia, dolor facultatum benè vel malè obitæ functiones, ſigna iure dicuntur quod ex his conſpicuis & animaduerſis quippiam aliud declaratur intus latens, quod antequam conſpecta iſta eſſent, minus ſanè exploratũ habebatur. Vt viſo lotio, de venoſi generis, renum, hepatis, & veſicæ affectibus iudicamus. Vti ex arteriarum motu, de facultatis vitalis robore, aut infirmitate. Ex alui excrementis, de ventriculi rectè aut perperam obita functione in concoquendo iudicium ſumimus. Sic ex decubitu, ſomno, vigilia, de ægritudinis moræ, ægrique vel periculo vel ſalute decernimus ſigna itaque iſthæc omnia medico ſunt. Inter ſignum vero, & indicium hoc intereſt, ꝙ ſignum ex obſeruatione, indicium ex demonſtratione ſumitur. Galeno libr. 1. præſagiorũ, Com. 41. vel cap. 14. nouæ verſionis autore. Indicia namque ſunt, quæ perpetuò ea quorũ ſunt naturam declarant, nec unquam fallũt, de quibus illud rectiſſimè dixiſſe viſus eſt Hippocrates. Quouis anno & quouis tempore bona bonum, mala malum denunciare ac ſignificare. *Lib.3.prognoſt.c.14.* Signum porrò & indicium ſe tanquam genus & ſpecies habent. Siquidem indicium omne ſignum rectè haberi poteſt, non autem ſignum omne, indicium dici. Quæ enim non perpetuò idem indicant, ſigna quidem, ſed non indicia cenſeri debent. Vt faciei ægrotantis habitus, & ſi exitialis interdum apparet, non tamen exitium perpetuò adfert, ut cum à vigilia nimia, labore, inedia, fluxu alui, talis contingit vultus ſpecies quæ tamen exitialem non facit morbum, & ob id rectè cauendum iuſsit Hippocrates, ne id ab huiuſmodi euentu prouenire magis quàm à morbi ſpecie deprehendatur. *Lib.1.prog. textu.11.* Qui plura de ſignis legere uolet, Caput octauum libri tertii meorum locorum Medicinæ communium adeat, vbi amplam inueniet harum rerum diſquiſitionem. Sed iam ad Galenum.

Fingamus igitur membranam coſtas ſuccingentem Phlegmone laborare. Affectio hæc nimirum Phlegmone eſt. Symptomata quidem neceſſariò habens tumorem præter naturam, ruborem, dolorem, quorum duo iam non ſubincidunt, ſolus autem dolor relinquitur, qui in coſtis prouenien̄s punctionem excitat. *Tex.*

OPtimam eſſe quæ in exemplis fit exercitationem ſcitè à Galeno dictum videri poteſt. *Com. li. 9. meth. med.* Exempla enim nos veluti ad ea intelligenda quæ in vniuerſum dicta ſunt, placida & ſecura via deducunt. Cum itaque in genere dixiſſet Galenus, ſymptomatum quædam affectus neceſſario conſequi, alia non neceſſario, ſed uel ſæpe, vel rarò, vel ambigue, horum omnium imaginem quandam obtutubus noſtris obtrudere volens Galenus: ſuccingentis coſtas, membranæ phlegmonem pro exemplo adducit. Vt in eo, quaſi in ſpeculo, quæ ſymptomata neceſſario phlegmonem huiuſmodi conſequãtur, quæ minime, intelligere valeamus. Affectum porrò hunc πλευρῖτις Græci, latini coſtalem nominant eſt autem ſuccingentis coſtas membranæ phlegmone vt lib. 2. de locis affectis Galenus. Illud enim ex anatome conſtat toti thoracis interno ſpatio membranam quandam fortem & intentam ſubtendi, quæ hiſce in regionibus in quibus coſtarum oſſa conſiſtunt,

tanquam

tanquam propugnaculum aliquod pulmoni præparata sit. ne is in actione sua per respirationem nudis ossibus occurset. Vbi autem vocata sunt mesopleuria, gratia musculorum qui ibi sunt & vasorum, facta hæc tunica est. Sic enim Galenus ad verbum libro septimo de vsu partium, de huius membranæ vtilitate & vsu, atque eadem ferè, lib. 5. de anatomicis administrationibus ab eodem autore dicuntur. Cum igitur sanguis calidus copiosior ac tenuis in hanc partem procubuerit, phlegmonem facit. Siquidem autore Galeno, phlegmones affectio ea est, cum sanguis calidror, & copiosior in vnam aliquam animalis partem irrepserit, quod cum fit, maiora eius vasa protinus distenduntur, vtpotè abundantiæ continendæ non sufficientia, ab his deinceps quæ minora sunt, Mox vbi nec in iis satis continetur, exudat foras in ea ampla spatia quæ inter vasa sunt, sic vt etiam omnia quæ in composita carne habentur, loca occupet, atque huiusmodi affectus Phlegmone dicitur. Itaque cum inter succingentem costas membranam atque costas ipsas, sanguis huiusmodi influxerit partem distendens, calore afficiens, pulsu atque renixu, cum punctorio dolore percepto, spirandiq; difficultate, affectio pleuritis vocatur à loco cui insidet nuncupatione accepta, quidam nãque morbi sunt, quibus á læsa particula indita nomina sunt. in quorum albo πλευρῖτις, περιπνευμονία, ἰσχίας, νεφρῖτις, ποδάγρα, ὀφθαλμία, καὶ κεφαλαλγία hñr vt libro. 2. methodi medendi testatur Galenus. Quæ porrò in eo affectu symptomata necessariò consequantur, quæ minime enarrare pergit hoc loco Galenus. ab iis quæ necessario affectum comitantur incipiens, sunt autem hæc tumor p̃ter naturã, rubor, dolor sic enim hoc loco Galenus. Affectio (inquit) hæc nimirum phlegmone est, symptomata quidem necessario habens tumorem præter naturam, ruborem, dolorem. Hac quidem loquendi forma magnum nobis Galenus scruptum in iecisse videtur cum tumorem præter naturam, symptoma phlegmones esse ex ijs quæ necessariò illi insunt conceptis verbis expressit. Cum tamen tumorem huiusmodi, ad phlegmones essentiam pertinere & non illius symptoma esse ex ipso met Galeno in mille locis probare possumus. Siquidem phlegmonem tumorem esse præter naturam euidentissime ex lib. 13. methodi medendi constare potest. Vbi Pplegmonem tumorem esse his verbis declarauit. Quinetiam (inquit) omnium tumorum qui præter naturam sunt, varietas ex eius quod influit natura, nascitur. Vbi enim flatulenta materia copiosior accessit, flatuosi magis tumores fiunt. Phlegmone vero (subdit) magis similes, vbi sanguis, sicut erisypelati, vbi flaua bilis, œdemati vbi pituita. Similiter scirrhosi, vbi vel crassus, vel vehementer lentus humor est, qui parti est infixus, etenim. Ex hoc sanè loco apertissimè constat Phlegmone, Erysipelata, œdemata, scirrhos, tumores esse tota sua natura atque essentia præter naturam. quorum varietas ex eius quod influit alia atque alia natura nascatur. Idipsum quoque explicatius libro primo de morborum differentiis protulit in hæc verba Galenus. Porrò (inquit) phlegmonem in præsentia non nominamus pro veteri more partium veluti inflammationem, sed rubentem, renitentemque tumorem & qui dolorem inferat. Hic certè apertissime quid Phlegmone sit explicauit conceptis uerbis Galenus tumorem inquam esse rubentem, renitẽtemque qui dolorem inferat. Cum igitur ex iis locis appareat certo certius, phlegmonem sua essentia tumorem esse præter naturam qui fieri potest vt tumor symptoma phlegmones habeatur, cum in eo essentia morbi posita sit? Est enim Phlegmone tumor prçter naturam ex sanguinis copiosioris & calidioris affluxu genitus, vel omninm medicinæ autorum communi sententia. Cum itaque constet ex Phlegmones difinitione, illius essentiam in tumorem positam esse. (Cum omnis Phlegmone tumor quidam præter naturam sit: repugnetque symptoma idem cum essentia morbi esse) non video quo pacto tumor, (quod hic ait Galenus) ipsius phlegmones symptoma esse posit. Siquidem cum autore Galeno soleat symptoma sequi morbum velut vmbra corpus, tumor verò tantum abest vt sequatur phlegmonem, vt eodem momento quo incipit ipsa, protinus appareat immo verum indicium atque certissimum phlegmones, tumor rubens cum renixu & dolore sit, vt lib. 2. de locis affe. vult Gal. constat ex iis, symptoma Phlegmones tumorem esse non posse, sed morbi potius essentiam. Multa nanque morborum genera in sua ipsorum essentia in tumore posita sunt, nempè phlegmone, Erisipelas, œdema, schirrus, cancer & huiusmodi talia. Vt libris de tumoribus præter naturam, & de morb. dif. cap. 5. conceptis verbis à Galeno habetur. Pro huius scrupi sanè difficillimi dissolutione quid tumor sit primum intelligendum

enit.

Cap. 21. V. T.

lib. 10. metho. med. Et libro. de inæquali intemperie, & libr. 13. meth. med.

Dubiũ difficile ex Galeno sumptum de tumore in phlegmone.

Cap. 12.

Lib. de sympcho. diffe. cap. 1.

q solu ..

venit. dein, quonã pacto morbus, & quo symptoma dici tumor mereaĩ. Si q̃dẽ vtroq; noĩe, & morbi. & symptomatis tumorẽ vocare solet Gal. vt postea ex eodẽ palàm faciemus. Ergo tumor Gal. incremẽtũ supra nãm esse dr̃ vt libro de tumoribus p̃ter nãm ipse testatur. Quoties. n. partiũ incremẽta naturalẽ statũ superãt si actionẽ lędũt & ab humorũ influxu huiusmodi incrementa fiãt, tumores huiusmodi partium cõstitutiones vocare solet Gal. quamq̃ & tumoris vocabulo dignetur spatiũ in longitudinem, latitudinẽ & profunditatem ꝓtensum supra iustum naturæ modũ. *lib. de tum. pter nat.* Tumorẽ omnem Greci ὄγκον nominant Hippocrates tumores omnes οἰδήματα vocanda censuit vt libro primo præsagiorum. com. 33. testatur Galen. Porrò tumorem quandoq; morbum dici, quandoq; symptoma, ex Galeno libro primo de morborum differentijs didicimus. Vbi id his verbis affirmat. Tumor (ait) in ipsis partibus, *Cap. 12.* si ad tantam magnitudinem attollatur, vt ob hanc ipsam functio impediatur, morbus cẽseri debet, alioqui vel symptoma, vel pathos duntaxat, quemadmodum & dolor. Hæc Galenus. Vnde constat tumorem interdum morbum, interdum symptoma seu pathema esse atque dici iure posse. Itaq; vt tãdẽ hũc Galeni nodũ quo tumorẽ symptoma esse phlegmones voluit, soluamus, Dicẽdũ profectò, tumorẽ ipsum q in phlegmone apparet symptoma potius q̃ morbũ dici debere. Siquidẽ cũ ipsa phlegmone, cõstitutio seu affectus quidã partis sit, ex mala intẽperie, deprauata cõstructionę partis, & soluta vnitate cõstãs (hæc. n. tria necessariò phlegmones & reliquorũ apostematũ oĩum essentiã cõplent. Vel medicorũ oĩum cõi assensu) efficit, ꝓfectò, vt phlegmones essentia nõ in tumore, sed in ijs q̃ diximus magis cõsistat. Quin & Gal. lib. de inæquali intẽperatura ad hanc inæqualẽ intemperaturã phlegmones essentiã referre cõceptis verbis videĩ, cũ ait. Atq; hic morbꝰ phlegmõ, (id est inflãmatio) nominatur. est aũt (subdit) intẽperatura inæqualis musculi. Etenim si rẽ recta reputemus via, inueniemus profectò tumorem symptoma esse phlegmones ex eorũ genere quę necessariò morbi essentiam sequuntur. quod Gal. lib. 2. locorũ affectorum dixit Rectè (ait) dixerunt omnes ferè medici, inflammatis partibus accidit, vt rubescant, tendantur, renitãtur, intumescant, & doleant. Sunt. n. symptomatum quædam quæ ad essentiam eorum quorum sunt pertineant perinde atque differentiæ essentiales vocatæ, quæ & si qualitates sunt, necessariò tamẽ rei essentiã sequuntur & definitionem quam vocant essentialẽ ingrediuntur. vt rationale, mortale, risibile, hominis respectu. Sic etiã tumor, & si accidẽs quoddam est & symptoma, si ad phlegmonem conferatur, ad eius tñ essentiam pertinet non ꝙ in tumore solo phlegmones essentia consistat sed ꝙ tumor eius affectionis quæ plegmone dicitur pars constitutiua quædam est, nec ab eo affectu separari vsquam potest. Cum in omni phlegmone tumorẽ adesse necessario oporteat sitq; tumor vnũ ex patoghnomonicis eius signis. Nec refert ꝙ Galenus omnia apostematũ genera tumores præternaturam vocet. Nã à præcipuo & magis conspicuo symptomate quod in illis apparet nominanda censuit. nõ ꝙ in ipso tumore omnis illorũ essentia posita sit, vt antea diximus, atq; per hæc, & solutum Galeni scrupũ, & dissolutæ in contrariũ rationes abundè videri possunt. Reliqua tex. patet.

Dolet igitur homo, qa phlegmone afficitur. doloris aũt spẽs pungẽs est, ꝙ affectę particulę substãtia mẽbranosa sit. In costis uerò ꝓuenit, qa illę afficiũtur. quin etiã dolor latissimè spargitur, q membrana costas succingens plurimũ extẽsa sit. *Textus.* Porrò febris ex necessitate sequitur, tũ propter affectũ, tũ particulæ sitũ quorum alterũ si absit, febris necessariò nõ sequitur. Neq;. n. si digitus phlegmone lobrat, statim febris inuadit, qm̃ procul à corde situs est. Neq; quũ mẽbrana costas succingens affecta fuerit, mox affectus vel scirrhus, vel oedema contingit: quanquã difficultas spirãdi necessariò partẽ infestet, qa respiratorij cuiusdam instrumenti portio est. Atqui spirãdi difficultatis spẽs, nõ ꝑꝑ partẽ, sed affectũ erit: quippẽ dolor, spiritus ĩstrumẽta plurimũ diduci ꝓhibet: ideoq; actionẽ respirationis vsu nõdũ expleto dissoluit. Vñ ad scd̃am actionẽ celeriter accedere necessitas ẽ: sed tñ quietis quãtũ in nãli habitu intermittũt: atq;: sic spiritus paruus & frequens redditur. Iam quidem, pulsuum alteratio, ex necessitate membranæ costas succingentis phlegmonem comitatur. tum ea quæ à febribus, tum quę ab affectæ partis

ſpecie neutiquàm poteſt. Pulſant nanq; ipſis arteriæ, quòd quidem febricitēt, magis, velocius, frequentius, quoniam verò neruoſa pars eſt, quę phlegmone infeſtatur, cum contentione ſimul & duritia. Hæc igitur neceſſariò mēbranæ phlegmonem ſymptomata conſequuntur. Cæterū unum ex his eſt quæ neceſſariò ſequuntur, nempè decubitū in latere affecto minus eſſe moleſtum quàm in oppoſito, uel in utroq; ſimiliter. Nam quū duplex membrana obhæreſcat, ſi quidem exterior eius circa oſſa pars ualidiore phlegmone laborat, facilius in oppoſitum latus reclinant. etenim in affectam partem cubitus cōpreſsionem adfert. Si uerò altera interior ægrotet, quod vt plurimum accidere cōſueuit, in oppoſitum recumbentes maiore dolore torquentur. quia pars inflāmata ipſis pendeat. q̃ ſi in patientem locū, minus dolebunt: ut qui neq; ab oſsibus præmatur, neq; pēdeat, ſed ab utroq; liber ſit, alijq́; nō affecto inhęreſcat firmiter. Porrò utriſq; membranæ partibus affectis in utrunq; latus ęqualiter decūbūt.

Com.

Ocus hic tam fuſus eſt tamq́; exactè à Galeno explicatus, vt ipſe ſibi commentarij vice eſſe queat. Symptomata enim ea tantum hac ſerie recenſet, quæ neceſſariò ſuccingentis coſtas membranæ phlegmonem conſequuntur. Sunt autē hæc, dolor, febris, difficilis ſpiratio, pulſuum alteratio, decubitus moleſtus in alterutrū latus de quibus nobis eſt omnibus breuiter dicendum. Dolore affici eo hominem dicit, q̃ phlegmonem patiatur. in qua cum & intemperata valde pars ſit, & ob delapſum humorem ſoluta partis continuitas (quæ duæ potiſſimę dolorum cauſæ à Galeno, & omnibus ſtatuuntur) dolorem in phlegmone creari omnino neceſſe eſt. Qualis autē ſit doloris ſpecies mox planum facit, pungentem eſſe affirmans. Eſt autem punctorius qui dicitur dolor cum ita ſe affici percipit ęger ac ſi mucronato & acuto telo pungeretur. quia itaq; humor in ſuccingēte coſtas membrana acutus eſt, tenuis, & abundè calens, atq; in membranoſa ſubſtantia fixus, punctorium dolorem creat. quod his verbis libro affectorum locorum ſecundo eſt teſtatus Galenus inquiens. Incipiamus (ait) à punctorio vocato dolore, ac videtur quidem veluti radix ipſius affectus, inter pungendum, circa membranas potiſſimum figi. dolor autē latiſſime ſpargitur, q̃ membrana coſtas ſuccingens plurimum extenſa ſit. protenditur enim ad clauiculas vſq; ſurſum, deorſum verò ad ſepti tranſuerſi fines. Febris autē inflammationem hanc ob id neceſſariò ſequitur, q̃ & affectus (nempè inflammatio) ſine febre eſſe nunquam queat, tum quia pars affecta cordi vicina eſt. Vnde Galenus libro priore de differentiis febrium. cap. 3. & rurſus lib. 2. capite xi. id conceptis verbis teſtatus eſt. inquiens Partes quæ inflammationem patiuntur, ratione putredinis febris accendunt. Intruſus enim in ipſis influens humor, cum non bene diffletur, putreſcit in hiſce autem omnibus (ſubdit) cōmunicationis ratione febris accēditur. Semper enim calefacta proxima pars ſimul caleſcit, donec ad cor communicatio pertingat. & eadem fermè rurſus lib. de inæquali intemperie ab eodem autore traduntur. Spirandi porrò difficultas affectum hunc comitatur, q̃ affecta pars reſpiratorij inſtrumenti, nempè thoracis, portio quædam ſit, tum q̃ affecta hac ſuccingente coſtas membrana, intercoſtales maſculi meſopleuri vocati. qui reſpirationi plurimum inſeruiunt, ob compreſſum à tumore, non ſatis ſuo munere fungi, hoc eſt non liberè attolli & deprimi ad reſpirationē complendam queant, adiuuant. n. hi plurimū reſpirationem, thoracem dilatantes ac contrahentes. vt libro de cauſis reſpirationis Galenus. Atq; hæ difficilis reſpirationis in pleuritide cauſæ ſunt. cur verò & parua & frequens reſpiratio in huiuſmodi affectu fiat, cauſa eſt, inſtrumentorum ei actioni inſeruientium inhobedientia & coarctatio. Nam cum valdè doleant qui tali affectu præmuntur, dolor autem ſpiritus inſtrumenta plurimum deduci ob coarctantem muſculos tumorem prohibeat, efficitur vt magnam reſpirationem edere ægri nequeant. quòd prè dolore actionem reſpirationis nondum abſolutam, neque completam, diſſoluere, atque interrumpere ipſi cogantur. Vnde crebrius ſpirare & mox priore nondum perfecta ad ſecundam reſpirationis actionem denuò reuerti coguntur. Sicque crebra & parua

In arte medic c. 80 & lib. de inequali itep.

fit tum

fit tum spiratio. Porrò pulsuum ordinem immutari in hoc affectu plurimum experimur. fiūt enim vehementes, veloces & frequentes pulsus, tandem vero & parui etiam dissoluta virtute. sunt item contenti & duri in iis qui hoc affectu tenentur pulsus; quod pars neruosa sit. penes quid autem magnitudo, velocitas, frequentiaq; pulsuum attendenda sit, & vnde eius generis differentiæ proueniant a Galeno libris de differentiis & causis pulsuum requirendū est, ad quæ loca (ne quàm par est longior sim) visum est lectorem remittere. Id tantū dicam, in inflammatione omni præsertim neruosarū partiū, pulsum veluti serrantem inueniri. Vt alia pars arteriæ attolli, alia minime videatur. cum illa scilicet videatur durior. Habet enim vibrationis aliquid hic pulsus. Quæ docta Galeni lib. 4. de pulsuum causis sententia est. Quæ uero de decubitu molesto uel iucdndo in alterutrum latus in his qui pleuritide laborant hic à Galeno traduntur, tam peruia & clara ipsa sunt, ut commentationis egere mihi non sint uisa abunde nimirum à Galeno autore explicata.

Textus.

At uero quod dolor quibusdam ad præcordia perueniat, aliis ad clauiculā, id tum propter partis ęgrotę naturam fit, tū quia phlegmones symptoma dolorem intendat. Quoniam enim ad clauiculam usq; membrana illa ascendit, & totum septum transuersum, ubi superiores eius partes phlegmone affliguntur, iugulū conuelli videtur, vbi inferiores, dolor ad pręcordia peruenit. Igitur exigua planè inflammatio in costarū medio fieri debet ne in alterutrā partē dolorem adferat, vt magna in utranq;. At uerò quędā resudare, ac tenuem ex inflammata parte saniē effluere contingit, tū morbi, tnm partis gratia, quemadmodum in omnibus oris partibus inflammatis, & oculis. Siquidem ex humorum influxu inflammatio est, si pars rara, non ut cutis obstructa densaq; fuerit. Quū igitur copiosa simul & tenuis in inflāmata parte humiditas subsistat, etiā pars rarior pluriniū foras effundit, quod sic contrario pauca sit & crassa fluxio, tum corpus densum modicum ad tussim quidem irritabit, cæterum nihil expuetur, quemadmodum si fluxio fiat copiosissima, etiam plurimum tussient ęgri, nec minus expuent.

Com.

SYmptomatis cuiusdam, qnod pleuriticis accidere consueuit, rationem reddere satagit hac serie Galenus nempe cur quibusdam ad præcordia dolor, aliis ad clauiculas ascendat, quod uidelicet ad utranq; partem sese succingens costas membrana porrigat uniuerso nanq; thoraci ea membrana subtensa est, ut antea diximus, eo fit, ut si superiores eius membranæ partes phlegmone tententur, iugulum quasi conuelli uidetur tumentibus nimirum iugulo uicinis partibus eoq; tumore iugulum trahentibus tumq; ad claues dolor ascendit sunt autem claues Galeno autore elatior thoracis finis quemadmodum demisior omni animantium generi septum transuersum quod Græci φρένας καὶ διάφραγμα nominant. Porrò thoracem Galenus & anatomici omnes eam esse partem uolunt, quæ à costis circunquaq; comprehenditur. Igirur phlegmone superas membranæ partes occupante, claues per consensum dolebunt, inferas uero tenente, dolor præcordia uexabit, quod iis pars affecta uicina sit, præcordiaq; ob id in consensum trahat. Si uero inflammatio exigua sit, & medium costarum locum occupet, tum neque in internam nec in externam costarū partē dolor ex decubitu excitabitur, aut exiguus saltem, quod exigua itē sit inflammatio, quæ neque ualde diducere partem in sublime potest, neque intemperiem effatu dignam creare unde leuem excitari dolorem tum necesse erit. Magna uero si fuerit inflammatio, dolorem profectò magnum item in utraque parte excitabit. Contrariorum nanque contrarias esse rationes oportet ab affecta uero parte ubi intrusus in eam humor à natura uel artis beneficio concoctus fuerit, resudare tum aliquid & effluere incipit, nēpe tenuis sanies quæ raros meatus permeans foras prodit, quod & infantiū inflāmationibus & opthalmiis, ubi concocta fuerint, contingere uidemus. multa namque lippitudo concocta in oculi inflammatione) tum in ipsis apparet. quæ detersoriis medicamentis indigeat, ut experientia docet. cumque effluxum fieri hic Galenus uult, ybi pars rara, non densa obstructaue fuerit.

Libr. 8. de anat. administrationibus ad pricipium. Vbi supra.

uè fuerit. densitas nanque vel obstructio effluxum certò fieri prohibent, densitas ob compactam nimis partis substantiam, & adstrictos meatus, obstructio ob impletionem, contra vero effluxus non fit, si pauca in parte contenta humiditas fuerit, aut si crassa extiterit, parsque ipsa densa. ac tum quidem ægri ad tussim irritabuntur at parum expuent, irritantur quidem ob impactum humorem alienum, quem natura facultatis expultricis beneficio expellere nititur. ob idque irritatur tussis quæ motus est vehemens ad

Tussis q.d. explodenda ea quæ thoraci ac pulmonibus nocent. Vt lib. 5. de symptomatum causis habetur. parum autem expuunt, quòd fluxio pauca sit, vbi vero copiosissima fuerit, & plurimum etiam tussient ægri & ad proportionem plurima item expuent. Paucitas nanq; sputi vel copia, tum fluxionis abundantiam, aut paucitatem, tum virtutis robur, aut infirmitatem sequi in his affectibus perpetuò consueuit. Sed de sputi ratione, qualitatibus: & facilitate aut difficultate sequenti serie amplam faciemus dissertationem prout etiam de tussi, quæ indiuidua comes hisce affectibus omnibus esse solet.

Textus. Ac tussis ab hoc affectu inseparabilis est, excreatio uero post tussim non item uerum sæpe contingit, Si igitur quid sputo reiiciant, idipsum necessario colorabitur, non tamen eodem perpetuo colore, quia nec in parte inflammata eiusdem semper naturæ est excrementum. Quum igitur sanguinolentum, uel biliosum extiterit, talis in pleuritide plerunq; fluxio est quæ phlegmonem efficit, humoris in affecta parte contenti colorem sputum recipit. Rubrum, cum id quod in eã membranam defluit, cruentum est. Flauum, quum biliosum est. Si uero pituitosus humor primum constrictus, putrefactus, fluxionis phlegmonem generantis autor fuerit, tum spumosa reiicient. Quin & nigra excreant nonnunquam, fluxione exassata, siue sanguinea, siue biliosa fuerit. Hæc igitur omnia una cum affectę partis, ipsiusq; affectus dignotione, fluxionis differentiam indicabunt. Quare constattum cuiusq; partis ægrotæ naturam, tum communionem cum uicinis necessario esse cognoscendam, ad morbi eiusque loci inuentionem. Quod autem nihil refert, positum, uel compositionem, uel cum aliis societatem, communionemq; dicas, quis ignorat.

Com. ALterius item symptomatis, nempè tussis, quæ indelebiliter pleuritidi adesse solet, tum vero & sputi, quod pro affectus natura, & virium robore, aut imbecillitate, pro contenti humoris copia, paucitate, lentore ac crassitie, variè contingit, rationes percenset hac vltima huius capitis serie Galenus. docens quidem tussim, pleuritidis inseparabile esse symptoma, nec tamen ad eam perpetuo excreationem sequi. quum sæpenumero vehementi tussi ægros in pleuritide vexari cernamus, nullo consequente, aut exiguo sputo. quod cum accidit, aut exiguam influxit humoris copiam aut eiusdem crassitiem, seu loremve, aut vehementem in parte affecta obstructionem subesse, quæ exitum impediat, vel tandem virium exolutionem ac summam infirmitatem æstimare oportet. Vt tum à Galeno lib. secundo Commentariorum ad prognostica Hippocratis, tum ab Auicenna Arabe fen. x. tertij canonis proditum est. Cur verò sputo pleuritidis materiam expurgari ac discuti conueniat, in promptu ratio est, quod is vacuationis modus pulmonibus atq; thoraci affectis proprius fit, illisq; in id à natura inditus, vt eo euacuationis genere explodi quę noxam adferunt possint. Indidit enim membris natura certos quosdam motus quibus quæ in-
» tus hærent & noxam adferunt, expelli perquam commode queant. ventriculo vomitum &
» subuersionem, Pulmonibus & thoraci tussim & sputum inde manans, Cerebro sternutamẽ-
» tum, vt quæ nocent his motibus foras mitti sine negotio possint. Quomodo autem condi-
» tus in pulmonibus humor screatu foras eiiciatur bellissime Galenus. lib. 2. prædictionum Com. 43. in hæc verba exposuit. Motionis inqt initiũ ex facultate mouẽte thoracẽ in tussiẽtibus est, violẽta vero cõtractio eius facit, vt spiritus ferat foras vehemẽter, hui⁹ verò vehemẽ

tia

tia refert ſecũ materiã cõditã in fiſtulis pulmonis, q̃q dẽ aſperæ arteriæ sũt. Quoties ergo thorax validè ſuo fingatur afiicio, & humor in fiſtulis pulmonis conditus modicè craſſus fuerit, facile ſcreatur. Si verò neutrum exiſtat, difficulter ægreq;. Hac igitur ratione quæ modo à Galeno dicta eſt, ſputo eiiciuntur quæ in pulmonibus, & thorace condita ſunt. Adiicit hoc loco Galenus ſi ægri in pleuritide ſpuant pro rõne collecti in parte humoris vario colore infici ſputum, nempè rubrũ, cum à ſanguine, Flauum cum à bile, albũ & ſpumoſum cum à pituita, nigrũ ex exaſſato in parte à caloris copia humore cruentum ſputum ſi ſyncerum ſit, vti & bilioſum cum periculo id eſt, glutinoſa & rotunda ſcreatio inutilis, viridis & ſpumans mala, ſi ita ſyncera fuerit ut nigra appareat, hæc difficilior quã illa eſt. Hæc enim Hippocratis lib. 2. prædictionũ dogmata ſunt. Nihil autem ſpuiſſe in lateris dolore exitiale eſt. indicans vel humoris impacti cruditatem & inobedientiam, vel virium infirmitatem. Ob id Galenus pleuritidem huiuſmodi in qua nihil ſpuitur crudam meritò vocauit ſeu incoctã quæ citò tollere hominem ſolet. retento intus putrefacto humore & infarctu ſuo ſpirationẽ prohibente, vnde præfocari citò hominem conſequens ac neceſſarium eſt. Vt experientia docet. Subinfert tandem ad finem capitis huius Galenus, ad morbi cuiuſq; eiuſq; loci, hoc eſt ſedis affectæ cognitionem & inuentionem cuiuſq; partis ægrotæ naturam, tum communionem cum vicinis partibus, hoc eſt conſociationem, ſeu conſenſum neceſſariò eſſe cognoſcenda. Qua de re nos abundè prioribus capitibus longa ſerie diximus.

Libro. 5. de loc. aff. c. 2.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Textus.

Cæterum ex prædictis liquere arbitror, actionem quoq; ac uſum ſingularum partium cognitu eſſe neceſſarium; adhæc morborum & ſymptomatum generationes, poſtea etiam cauſas morbos facientes. etenim hæc ad quamq; particulam ac ipſius affectiones cognoſcendas, & morbi differentias, neceſſaria uidentur. Item magnitudo, & uniuſcuiuſq; morbi mores ex his ipſis deprehenduntur. Magnitudo quidem, & ex ipſorum affectuum magnitudine, & ex ſymptomatis illũ conſequentibus, mores ex morbi differentia, & ſymptomatis eum comitantibus.

Com.




Vid ad integram artis conſtitutionem medico cognitu neceſſarium ſit, rurſus hoc capite demonſtrare pergit Galenus. cum iam id antea capitibus ſecũdo & tertio huius tractationis abundè oſtendiſſet. eſtq; caput hoc veluti antecedentium epilogus atque illatio quædam. inquit autem, medico, ſingularum partium tum ſimplicium ſcilicet tum inſtrumentariarum actionem & vſum neceſſario cognoſci oportere, vt in quam partibus malè affectis quænam actio læſa ſit, & quis partis vſus perierit ſciri poſſit, nempè ex actione læſa partem ipſam quæ afficitur deprehẽdimus ut læſa viſione oculos, læſo auditu aures, læſa olfaciendi actione, nares, & loquela vitiata linguam affectam cognoſcimus fieri autem non põt vt cuiuſpiam partis actio lædatur, illæſa quæ ipſam efficit parte vt lib. 1. de locis affectis cap. 2. Galenus. Eſt autem actio, motus partium factiuus ita definiẽte Galeno, hoc eſt operatio & motio ab efficiẽte procedens qua quiduis efficitur. qui enim a facultate motus prodit: actio eſt, nec ſolum actionem partis, ſed & vſum cognoſcere neceſſarium quidem eſt. Porrò vſus varia eſt apud medicos acceptio, Siquidem interdum pro facultate & potentia qua membrum ad actionem perficiendam præditum eſt accipitur, ut apud Galenum primo locorum affectorum cum ait, Actio, motus eſt partium factiuus, vſus verò omnibus inſunt vel nihil agentibus vſus enim nomen hoc loco Galenus pro facultate, & potentia partis qua actionem obire poteſt, vſurpauit cum dicat vſum ineſſe partibus omnibus etiam nihil agentibus, & ſic apte dicemus & propriè, veſicæ vſum eſſe vrinam excernere, & oculi, obiecta videre, & ſic oculi nihil cernant aut veſica non excernat vrinã, oculos tñ, etiã dormientiũ, videndi vſum habere recte dicemus, id eſt facultatem res ſpectandi, & ſi actu nõ ſpectẽt viſibiles res. & veſicę vſũ eſſe, urinã excernẽdi & ſi eã nõ ſemp excernit. Interdũ vero vſus nomen pro adiumẽto & coopatione ad actionẽ recte pfi-

Libro. 1. de loc. affec. & item. 1. de facult. nat. & libro de ſympt. dif. cap. 1.

ciendã ſumitur. Vt Gal. libro de morborũ differentijs capite ſexto ſumpſit ingens. Iã verò
» aliàs demonſtratũ eſt, in ipſis ( inſtrumentarijs ſcilicet partibus ) eſſe vnam aliquam partẽ,
» quæ ſit actionis cauſa, reliquas vero omnes, Vt huic vſum quendam præbeant eſſe creatas.
» Hoc vero loco vſus nomen, non facultatem ſignificat, vt ſuperiore illo de locis affectis,
» ſed cooperationem & adiumentum quoddam ad actionem melius obeundam. Vt in oculi
» partibus exemplificat lib. 4. de ſymptomatum cauſis Galenus. cum chryſtalloidem præci-
Cap. 2. puam eſſe viſionis partem vult, reliquas oculi partes huic vſum aliquem præſtare, id eſt ad-
iumentum & opem ad perfectius obeundam actionem. Ergo rectè hic à Galeno dictum ar-
bitrari oportet, medico non ſolum ſingularium partium actionem, ſed & vſum cognoſci
oportere. Vt dum ægrotant partes quæ actio vitiata ſit aut corrupta, quisve partis vſus pe-
rierit ſcire poſſimus. Ne id tamen curanti medico noſſe ſatis eſt, Sed & morborũ & ſympto-
matum generationes ſcire debet. Vt morbi gignantur, vnde, & à quibus cauſis ipſi oriatur.
Lib. 3. metho. med. Siquidem ( quod rectè dixit Galenus ) Methodici medici morborum cauſas aſſignant & in-
ueſtigant inde præſidiorum copiam coniectantes. Quin & morborum differentias, & diſcri
mina ſcire quoq; conuenit, ſiquidem ignorato affectu curari nequicquam vlla ratione põt.
Vt Galenus libro ſecundo methodi medendi ſcitiſsime affirmat, it. tum verò & vniuſcuiuſ-
que morbi magnitudinem & morem annotare operæpretium fuerit. Eſt autem morbi ma-
gnitudo, grauis noxa periculi plena, quam ob ſui ſeuitiam corpori infert. tripliciter autem
Lib. 4. metho. med. morbum grauem dici ac magnum Galenus prodidit. aut propter partis affectæ præſtantiã,
cordis inquàm, cerebri, hepatis, pulmonum, ventriculi. harum nanq; partium affectus, Cel
ſo autore, in magnis habendi ſunt, aut propter affectus ipſius magnitudinem, aut tandem ip
ſius cacoethia, id eſt malignitatem, quàm ſanè & morbi morem dicere recte poſſumus. vn
de nam verò, morbi tum magnitudinem, tum morem depræhendere liceat, mox explicat
Galenus, inquiens, magnitudinem, ex ipſius affectus granditate & ſymptomatum eum con
ſequentium magnitudine: morem verò, ex ſymptomatum comitantium malignitate atque
ſeuitia & ex ipſius affectus natura. Vt in peſtilentibus euenit.

Textus. Statim enim in propoſito exemplo melancolicus humor præpollens longè pernitioſiſsimus eſt, quoniam idem maximè malignus plurimum erodit, ægrè cõcoquitur, & expurgatur, tũ quod copioſiſsimi caloris index eſt, à quo aſſatus dicitur. Omnium vero mitiſsimus ſanguis eſt, quippè dulciſsimus, & concoctu facilimus. Reliqui duo humores inter hos conſiſtunt medii, quantum ad ſimplicitatẽ & malignitatem attinet. Iã vero ex ſymptomatis aliud, quod eſt nihil ſpuere prorſus, lethale eſt, quod detineri à phlegmone ipſum fluorem indicet, tũ quòd intus manendo totus corrumpetur. Porrò non laborioſè, ſed ex facili excreare, ſaluberrimum eſt. Si verò iam ſputum coctum fuerit, etiam hoc ſalubrius eſt.

Com.



Vod præcedenti ſerie in vniuerſum dixerat, morbi magnitudinem, moremq; eſſe à medico expendenda, rectè ſi curare velit, hoc nunc in exemplo de pleuritide ſuperiore capite propoſito, planum facit: indicans, à quonam humore vel benignus, vel malignus reddatur morbus, ab atrabilario enim humore ſi fiat pleuritis ( quanquam id certè rariſsimè euenit, cum ob ſui craſsitiem vix in membranam coſtas ſuccingentem permeare poſsit ) tamen ſi ita contingat, malignam certè pleuritidem efficiet atque lethalem, quod & erodere talis humor acrimonia ſua ex aſſatione potiſsimũ genita aptus ſit ( vñ lethalẽ fieri morbũ cõſequẽs eſt, mẽbrana vtiq; eroſa q̃ agglutinari neqt) & p̃terea, q̃ ægrè humor is cõcoquat, vtpotè cõcoctioni craſſitie ſua & malignitate plurimũ reluctãs, ut eũ haud facile natura vincere q̃at. quã certè rõne fieri experimur, vt qui ab hmõi humore morbi naſcuntur aut omnino incurabiles & lethales: aut diuturni, & dubiæ curationis fiant, id quod Elephas, cancer, Schyrrus, quartana febris experientiæ fide demõſtrãt qui & ipſi aut prorſus inſanabiles ſunt, vt Elephas & cancer, ſi firmati iam ſint, aut magna

certè

certè difficultate longoque tempore curationem admittant vt ſchyrrus & quartana febris. Accedit præterea ad morbi malignitatem ex hoc humore, quòd is expurgari ſputo haud facilè queat. craſſitudine & ad partes adhæſione nimium infixa, ſputi facilitatem vetante. tum etiam, quòd caloris putredinalis & vrentis copiam humor is indicet. vbi namque vehemens, febrilis calor interta occuparit (præſertim inflammatione oborta) exuſſit & adurit in quos agit humores. vnde hi poſtea aduſtionem excipientes, diſſolutio vtique quod in eis aereum & benignum erat, acriores, vehementiores, & naturæ actioni obſiſtentes magis redduntur. vnde grauiores & difficiliores reddi morbos conſequens certè eſt. omnium vero mitiſſimus & ad naturæ opera factus ſanguis eſt. vt qui vitæ noſtræ fomes ſit, & alimoniæ noſtræ conueniens perennisque materia. mitiſſimasque habeat qualitates quibus naturæ maximè gratus ſit, calorem temperatum, humiditatem parem, dulcedinem inſignẽ & permeabilem in omnes vias & ductus, etiam anguſtiſſimos, ſubſtantiam, facileque ſe naturæ præbeat obſequentem. vnde merito ab Iſaac Iſraelita naturæ filius dictus ſit. inde ſequitur, vt facile concoqui humor is poſſit, & qui ab eo morbi fiunt facilè item à natra ſuperari poſſint. Bilis verò & pituita, ſi ad hos duos iam dictos humores conferantur, ſanguinẽ dico & atram bilim, in meditullio quaſi quodam iner hos conſiſtere videbuntur. Bilis nanque lenitate ſua & ſubſtantiæ tenuitate facilius concoqui, & à natura ſuperari poteſt. Pituita multo difficilius ob ſubſtantiæ craſſitiem atque comitem lentorem eo fieri videmus, vt qui à bile morbi fiunt, & leuiores ſint, & curatu facilimi. quod exquiſitæ tertianæ & Eryſipelata indicant. à pituita verò & diuturniores & curatu difficiliores morbi enaſci ſolent. quod oedemata, amphimerinæ febres, leucophlegmatiæque demonſtrant.

*lib. feb. particula. 5. c. 3.*

Porrò (ſubdit Galenus) in pleuritide nihil prorſus excreaſſe lethale habẽdum eſt, quod vel à phlegmones magnitudine detineri quod ſputo expurgari debet, vel virium tantam infirmitatem indicent, vt explodere foras quod intus conditum eſt nequeant, vel tandem humoris aimietatem, craſſitiem, lentoremue & in parte adhæſionem demonſtrent. quorum vtrumcunque acciderit, in malis profectò habẽdum ideſt. vti & Hippocrates, & celſus ſuis quiſque monumentis annotarunt. facilè verò & ſine labore excreare, ſaluberrimum cenſeri profectò debet. id enim & naturæ ſupra morbum potentiam, & humoris morbum generantis benignitatem haud dubiè arguit. atque eò magis ſi coctum ſputum prodierit, hoc eſt probè à natura euictum. non enim vera concoctione quæ morbum pariunt excrementa cõcoqui poſſunt vtique iam à natura alieniora facta. Atque hæc ad hanc partem ſufficiant.

*lib. 2 progn. lib 4. cap. 6*

*Textus.*

Cæterum pulſuum ſymptomata, morbi morem repræſentant, atque alia omnia quæ ex conſenſu contingunt, deliria, ſopores, faſtidium, vrinæ, deiectiones hoc aut illo modo factæ. Proinde exercendum nobis eſt in his omnibus, ſi morbum, partem affectam, morem, magnitudinem, & eorum differentiam uolumus cognoſcere. Ex quibus præſagire licebit quò morbus vergat & dexter auxiliorum uſus conſtabit.

*Com.*

CVm ſymptoma id ſit Galeno, quod morbo ſuperuenit, & illum ſequitur velut vmbra corpus. quoniam fit, vt pulſibus, ſymptomatis, nomen accommodet? cum pulſus actio quædam ſit, non morbus. Eſt enim pulſus, arteriarum motus ex dilatatione & compreſſu coalitus, ad cordis refrigerationem & natiui caloris conſeruationem à natura inditus: vt & Galeni & Auicennæ omniumque medicorum concors ſententia eſt. Obiectioni huic ipſemet pro ſe Galenus reſpondebit libr. de ſymptomatum diff. cap. primo, inquiens, & ſymptoma quoque, actionis identidem noxam eſſe. Quamobrem ſi pulſus deprauatus ſit, paruus, imbecillus, inordinatus, certè ſymptoma erit actionis facultatis vitalis. nempè motus arteriarum deprauati, deficientis, aut omnino aboliti. vt in morientibus experimur, qui plures horas & dies etiam interdum ſine pulſu degunt, vitali facultate iam omnino ſuo robore deſtituta vt arterijs mouendis non ſatis ſit. Itaque

*lib. de ſym. diff c. 1. Gal. lib. de pulſuũ c. f. cap 3. Auicenn fen. 2. primi coc. de pulſibus.*

recte dictum hic à Galeno est, pulsuum symptomata morbi morem repræsentare. Nam in proposito de Pleuritide exemplo, si paruus, imbecillus, deficiens aut intercisus pulsus appareat, lethalem morbum denunciat. Si verò contra, robustus, æqualis, ordinatus fuerit, mitem morbum & salubrem declarat. sicuti etiam quæ per consensum symptomata apparent: deliria, sopores, fastidium, vrinæ, deiectiones benè vel male excretæ, hoc est in tempore, quantitate & modo conuenienti.

Hæc enim omnia magnam nobis de morbi futuro euentu coniecturam præbent. quonã morbus euasurus sit, in salutem, aut in mortem. ex his enim rectè id diiudicare possumus. vt ex libro Præsagiorum Hippocratis, & Crisium Galeni edocemur. Porrò deliria in pleuritide) proposito nunc Galeni exemplo) tum fiunt, cum acutus & calidus sufficienter humor fuerit qui morbum facit. cuius ad cerebrum communicatione facta, & inflammatis cerebri menyngis, vel vapore igneo sursum lato deliria fiunt. & tum aliena ęger loquitur sui impos, vigilat, nec vno se loco continere potest. Sopores verò tum fiunt, cum crassior, pituitosior, & lentior fuerit qui morbum creat humor à cuius vapore crasso sursum repente, & cerebri meatus adimplete, sopores fieri contingit. Est enim sopor profundior somnus, & sensuum stupor quasi quidam vt nostri omnes censent. Fastidium tum fit, cum ventriculus à cibis abhorret, & sumptos etiam auersatur nauseabundus & reijciens. quod contingit cum vapores mali ab inflammationis loco illi communicantur. Confluxile namque & conspirabile est vniuersum corpus, vt recte Hippocrates dixit. vt vna parte laborente, facilè & reliquæ omnes, etiam distantissimæ in consensum trahantur. laborante pede, in inguine tumor sæpenumero attollitur, Affecto vtero, caput, ventriculus, & cor (longissimè sepositæ partes) coafficiuntur. quod in vteri præfocatione euenire sæpe videmus. Sequitur in contextu, vrinas, deiectionesque benè vel malè excretas, de morbi more, hoc est benignitate malignitateve indicare. nec mirum profectò. nam vrinæ benè excretæ, hoc est concoctæ, in tempore cum facilitate, renes & vesicam, & quæ in venoso genere habentur, rectè se habere demonstrant. contra male si excernantur, vel cruda in venoso genere subesse, vel obstructiones in vijs ductuum, aut affectu vno aliquo eas partes premi indicatur. Proinde recte monere hic Galenus est visus, vt nos in his exerceamus dignoscendis & memoria tenendis, si morbũ, morbi morem & magnitudinem, atque differentiam cognoscere volumus. Cum ex his probe cognitis quid de futuro morbi exitu euenturum sit recte præsagire ac prænunciare valeamus. Equidem si quis morborum species, ægrotantium naturas, sedes affectas, & signorum vires in demonstrando: tum & symptomatum naturam, potestatem, originem & quibus è causis, ceu è fontibus oriantur intellexerit, & memoria tenuerit, ei inquam præsagire licebit quo morbus vergat, num ad salutem, num ad mortem: num breui decernere decretorio num sine crisi discuti debeat. Ex his enim præsagiendi recta ratio perficitur. ex morbi inquã natura, magnitudine, more, sede affecta, atque symptomatis vt libris prognosticorum, & coacarum prænotionum Hippocrates, & Galenus libris de crisibus demonstrarunt. Hæc itẽ si agnouerimus, non solũ in pręsagiendi scientia non aberrabimus, sed etiam dexter auxiliorum vsus constabit medico sic in arte sua probè exercitato. Dexter autẽ auxiliorum vsus is est, cum quę in auxilium ęgrantis ad salutem pręsidia adhibentur, summo delectu, recta methodo, tempore, ordine, mensura præscribuntur, & ab ægro sumuntur. ad partes pręcipuè adhibitis instrumentorum quibus curatio perficitur, cognitione. id est, materia medica omni, quæ curationis veluti instrumenta propria sunt ut & Dioscorides & Auicenna recte docuerunt. Racta porrò methodus ea fuerit, si cognito morbo, contraria pro ratione adhibere sciuerimus. Cum principium methodi medendi, autore Galeno, morbi sit cognitio, ubi uerò cognitus morbus est, contraria pro curatione adhibere conuenit. iuxta illud Hippocratis, contraria contrariorum esse remedia. Nec id satis est, ni ordinem in assumendis, mensuram, tempus opportunum, & modum teneas. cum in his tota medendi methodus sita sit. ut libris methodi medendi abundè Galenus. In his itaque quę modo retulimus, dexter auxiliorum usus positus est si his tamen memoratis morbi morem (qui in malignitate aut lenitate situs est) addideris. cum morbi quidam truculenti sint & immites, leniores alij, & parum negotij naturæ inferentes. Aegrotantis item naturam, aeris statum, regionis conditionem, & peculiarem cuiusque proprietatem (quã idiosyncrasiã uocant) consideraueris.

Etenim

Li. de alimento & in 6. Epid. Sect. 6. apu. 1.

libris medica materia.

Auicenna fen 4 primi cap. 1

li. 2. meth. med.

lib. de flatibus.

**Etenim præsagia medicum à mortis crimine vindicant, ægrosque reddunt obtemperates.** Textus.

Com

QVæ nam sit rectè præsagiendi vtilitas palam hic facit Galenus. inquiens, præsagia quæ rectè atque ex arte fiunt, medicum à mortis crimine vindicare, ægrosq; medico obtemperantiores reddere, & dicto audientes magis.

Mortes hominum medicis à vulgo adscribi solere & imputari, notius est quàm vt dici oporteat. dicente nimirum Hippocrate si qua mala malis necessariò superaccidant eius rei causam ignaros homines medicum arguere cui maledicentiæ vitio atque calumniæ, Deus optimus Maximus, præsagiendi & præsciendi scientiam (quam prærogatiua quadam singulari Medicis concessit) ceu clipeum salutare quo se Medici tueri possent opposuit. Qui enim rectè præsagire nouerit, omnia sanè quæ ægro euentura sunt, antequam eueniant, prædicet & enunciabit. quæ sic verè enunciata, & admirabilem reddent medicum, & si quid sinistri ægro acciderit, illi talia prædiceti & futura denuncianti, nihil opponi quod culpam resipiat vsquam poterit. vtpotè ex arte omnia quæ ventura sunt præmeditanti & prædicenti quod diuinitatis esse in medico & Hippocrates & Galenus censuere. ob id Hippocrates ex melioribus rebus præsensionem esse verissimè dixit. Medicum prouidentia vti optimum est. Præsentiens enim & prædicens coram ægro, pręsentia, præterita, & futura, quæque infirmi omittunt enarrans, creditur agnoscere ęgri conditionem. Hinc audent homines magis se concredere medico. Hęc enim diuini Hippocratis primo pręditionum libro verba sunt. vtilitatem porrò pręditionis Galenus in hęc verba expressit. Docet Hippocrates ex pręsitione (inquit) quàm vsui medicorum pręsagia habeantur, oratione in tria capita distracta. Aegri enim parent propensius, ac medicus pręsentiendo futura, de longinquo obuiam it: & demum crimine vacat internecionis. Et paulò post, ex pręditione existimat ęger medicum agnoscere naturam ęgrotationis. Porrò existimans medicum agnoscere naturam ægrotationis, se exhibet obsequentiorem, ac demum se exhibens obsequentiorem, morbo facilius vindicatur. Hactenus Galenus ex cuius serie quanta sit, & ægri & medici causa, pręducendi vtilitas cerni facilè potest.

li. de morbis. — lib. 1. prog. — in Com. ad primũ prædict. Hipp.

At verò ex quibus hanc prædicendi scientiam, nanciscamur, pulchrè Hippocrates libris pręsagiorum, Prorrhetici, & coarum Prænotionum docuit, nempè ex ægri facie, oculis, decubitu, somno, vigilijs, manuum gesticulationibus, nasi mutata forma, temporibus, frontis cute, dentium stridore, spirandi facilitate aut difficultate, sudoris manatione iliorum lenitate duritieve, pedum frigiditate calentibus costis, genitalium partium contractione, demum verò ex vrinis, deiectionibus, sputis, vomitibusque uariè prodeuntibus hanc prædicendi scientiam est nãcisci. ut Hippocrates pręcitatis locis, & Galenus in commentarijs ad eos Hippocratis libros, & item in de crisibus opere: tum uerò Auicenna fen secunda quarti canonis amplissimè docuerunt. Sed tamen in hac pręducendi ratione, quàm cautissimos & prudentissimos tum & parcissimos iubet esse Hippocrates medicos ne uidelicet temerè, incogitanter quicquam proferant, temperentque à prædicēdo nisi summa cum animi attentione atque prudentia id faciant. Eius porrò libro de prædictione secundo hęc uerba sunt. Consulo (ait) atque suadeo quàm prudentissimos & parcissimos esse in his prædictionibus medicos. sciantque si quis consequatur uti uera prædicat; scienti & languenti in summa admiratione erit. Si uero errauerit, exosus erit. forsanq; in sanire uidebitur. Qua de causa suadeo (subdit) uti prudenter raroque pręducant. Hoc optimum Hippocratis de prædicendo consilium, hęc optima cautio est. atque hęc huius partis explanationi satis sint.

**Atque antea multò, remediorum tempus edocet opportunum. Porrò quod dexter illorum vsus quidem & ipse princeps artis pars sit, & tota hæc disputatio** Textus.

inde prosilierit, omnibus manifestum est. At qua ratione ex prædictis comparetur, paulo post aperiemus. Nam modo his quæ exposui finem prius imponere cogito. Quippè morborum & eos suscipientium particularum cognitio in vno nobis exemplo declarata est: cui si alterum adiiciamus quid quæso mali fuerit.

Com.

PRæsagiendi scientia, non solum medicum a mortis crimine vindicat, ægrosque obtemperantes medico reddit (quod superiore serie abundé expressit Galenus.) sed & amplius (quod insignis vtilitatis est,) remediorum tempus edocet opportunum. Equidem si ex hac prædicendi scientia, morborum tempora agnouerimus, ægri vires, ægritudinis morem, differentiam, magnitudinem facile profectò ex his opportuna morbo adferre præsidia sciemus. Si enim agnouero acutum esse morbum proximumque uigorem, mox in initio dare remedia quæ saluti sint properabo. Iuxta illud Hippocratis. Cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue. Cum consistunt, quiete ea habere magis præstat. Et, in acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti. Item si iudicium fiat, aut factum sit integrè, temperare tum a medica

lib. 2. aph. 29 — lib. 1. aph. 24 — lib. 1. aph. 20

» mentis salutare fuerit. dicente Hippocrate, Quæ iudicantur & iudicata sunt integre, non
» mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere ad hæc
» igitur in tempore offerenda & exhibenda prædicendi scientia plurimum confert. Vt ex
» modo adductis constare potest. Nimirum igitur, si opportunum præsidiorum vsum (quem
» dextrum uocauit Galenus,) principem artis partem esse, dixit. Si quidem parum certè fuerit, ęgri naturam, morbi speciem, differentiam, morem magnitudinemue nosse, ui remediorum dextrum tibi prius comparaueris usum. Vt siue quo curari neutiquam ullius generis morbi possint. Nam cum finis artis sit tutò mederi, id autem sine congruo præsidiorum usu perfici necquicquam queat, constat profectò, eorum congruum & methodicum usum (qui & dexter usus est) non minimam artis partem esse. scire nimirum apto tempore, ordine, mensura, modo atque delectu (in quibus dexter remediorum usus, ut antea diximus, situs est) propria & conuenientia morbo remedia adhibere. Hoc artificis certè est, hoc rationalis medici proprium munus. Porrò nos initium huius textus multò melius & congruentiore sensu quàm Andernacus Vertimus cum ille sic uerterit. Ex multis uerò (ait) tempus auxiliorum prædocet. quæ profecto uersio nullum sensum continet qui rectus & rei congruens esse possit. Nos sic uertimus, atque anteà multo, remediorum tempus edocet opportunum. ipsa inquàm prædicendi & præsagiendi scientia. Docti iudicent.

Andernacus notatur.

Textus.

Nam excrementorum species permulta docet. Succedit illi corpus vnde excretionem fieri cernimus: vt ex ambobus coeuntibus stabilis vna indicatio proueniat. Membranoso etenim uerbi gratia corpore excreto, euidenter apparet talem quandam partem exulceratam esse, quæ in summo membranæ naturam obtineat: quod autem separatum est, id nequit ostendere: attamen locus per quem fit excretio, ad affectam partem nos deducet. infra nanque deiectum, intestini vlcus innuit supra uomitu reiectum, uentris. tussiendo redditum, membranarum quæ asperas arterias integunt, si per urinas, uesicę, uel genitalium meatus.

Com.

EXcrementorum naturam speciem. atq; formã, tum & locus vnde excernuntur magnam habere in prædicendo vim, Hippocratis præsagiorum libri demostrant. & quę in Prorrhetico & coacis prænotionibus ea de rescripta sunt. Si quidem ex vrinis, sputis, deiectionibus, vomitibusque plurimam sumpsit rectè de morbis prædicendi materiam Hippocrates & eum secutus Galenus. Rectè igitur hic a Galeno dictum

est,

est, excrementorum speciem multa nos docere, nempè naturæ supra morbum potentiam,
cruditatem, aut coctionem: tum etiam morbi morem in malignitate aut lenitate, magni-
tudinemque excrementa variè eiecta demonstrare queunt. vt supracitatis ex Hippocrate
locis, cuique fit manifestum. Excrementa porrò ea dici conuenit, quæ à natura alieniora
effecta, nulli vsui esse possunt: atque ob id excretioni à natura dicata, vnde excrementi no
men deductum est. id Græci, περίττωμα vocant. Itaque ex excrementi specie, & corpore vn-
de excretio fit, vna quædam stabilis indicatio insurgit, nempé & loci á quo excretio fit, &
ipsius excrementi. quod pro sui alia atque alia specie, varias nobis morbi significationes
proponit. excreto nanque per intestina membranoso quodam corpore (ramenta nostri vo
cant) vlcere intestina affici plenè demonstrat. Non enim sine vlcere excerni talia corpora
queunt. quantum verò vlceratum in intestinis sit, prorsus ostendere nequit. nisi lata conie
ctura quadam, ex excretorum copia nata ipsorumve paucitate, siquidem ramenta plurima
excernantur, magnum fore vlcus indicant: si pauca, paruum.
Igitur nedum excrementum ipsum, sed & via qua excernitur, affectam nobis partem de
monstrat. siquidem supernè vomitu reiectum, ventriculum laborare denunciat inferne in-
testina: tussiendo reiectum, quæ in thorace aut pulmonibus continentur easque partes la-
borare indicant. veluti si per vrinas talia ramentosa eijciantur, vel uesicam renesve, vel ge-
nitales partes malè affici demonstrant. In quo animaduertendum hac parte Andernacũ Andernacus notatur.
in vertendo lapsum fuisse. Sic enim ipse vertit, si per vrinas, vesicæ, vel naturalium meatus.
cum si Græcum codicem consuluisset, pro naturalium, genitalium posuisset. Sic enim Græ
cè habetur κρινῶν διὰ τῆς κύστεως, ἢ τὰ κατὰ τὸ αἰδοῖον πόρ. Quod est, si per vrinas, vesicæ vel genitaliũ
meatus. uox enim, αἰδοῖον, testiculum, penem, & genitale Græcis significat. rectius itaque
fuerat pro voce naturalium, genitalium vertisse.

Hæc igitur ipsæ partes, item quæ consensu & primario affectu laborant, inter se Textus.
discerni conuenit principatu, consequentia, magnitudine, paruitate. adde ac
cessionem causarum vtrumque deprauantium, multi siquidem ob stomaci
affectum uel cerebro consentiente, vel oculis suffusione laborantibus, melan-
cholię symptomatis infestantur. At his si animum diligenter adhibebis, com-
memoratos affectus cruditates & recrementa in ventriculi orificio collecta se
qui deprehendes. Itidem eosdem simul intendi cum illis quę os ventriculi lę-
dunt, & remittere cum his quę hoc iuuare dicuntur. At vniuersam de affectis
partibus tractationem transigere in presentia mihi propositum non est, quem
admodum nec aliud quicquam eorum quę in arte medica absoluta sunt: ve-
rum solam inueniendi ipsa methodum ostendere, ac quomodo ea fini artis
coniuncta sit. Atqui necessarium est, ut uariis se modis quisque exerceat in
omnibus nostris commentariis.

VT rectè finem artis consequi medicus possit, quæ partes primario affectu la Com.
borent, quæ per consensum distinguere conuenit. Nam huiusmodi specula
tio ait (libro secundo de locis affectis Galenus) ad nostrum institutum ma ”
ximè pertinere uidetur. & quidem non sine manifesta utilitate, quippè, ”
quod ad curandi rationem pertinet, primum omnium scire oporte, cuinam ”
parti remedia sint adaptanda. Nam per solum consensum læso cerebro, si ea pars quæ pri- ”
mitiuo affectu laborat, fuerit curata, priusquam cerebro propria aliqua eueniat dispositio, ”
nullum in ipso relinquitur accidens. Quòd si ex consensu, permanens in ipso aliqua dispo- ”
sitio fiat, tum non solum parti quæ primitiuo affectu laborat, sed capiti quoque remedia ad ”
hibere oportet. Et primo eiusdem tractationis libro, id enucleatius exponens, quid sit per ”
consensum affici his uerbis declarat. Sanè (ait) cum uel uapores uitiosi, uel ipsi quoque hu- ”
mores ”

mores,à ventriculo ad caput ascendunt,mens læditur. Primogenio igitur cerebrum affectu tum laborare dicet nemo,quanquam omni affectu carere ipsum, haudquaquam defendi potest. Verum id quod de huiusmodi affectibus in confesso est,quòd scilicet per consensum afficiant, verissimum est. Quippè ex hoc vocabulo (per consensum affici) partem non penitus ab affectu esse liberam,sed ipsam cum alia affici,declaratur. Atqui melius,clariusq; enarrau eris,si eam partem quæ per consensum afficitur,ab altera affici dixeris. Ex his Galeni locis,abundè constat quanta sit vtilitas affectus primarios seu proprios, ab ijs qui per consensum sunt discreuisse. Porrò proprium eum affectum Galenus appellat,qui nullius alterius partis vitio aut communicatione, parti insidet sed proprio eius ipsius partis vitio constat unde meritò & primogenius & primarius affectus,item & proprius nominatur,proprius quidem, quòd illi soli parti quæ laborat adscribendus sit. non alterius cuiuispiam partis vitio enatus sit,communioneve vlla. primarius & primogenius, quòd ab ipsamet parte laborante,non aliunde originem traxerit. Per consensum verò,eum intelligere affectum oportet, qui ab vna quapiam parte primario affecta,alteri ei consentienti communicetur, Græci hunc affectum, κατὰ συμπάθειαν vti alterum, κατὰ πρωτοπάθειαν vocanda censuere. hoc est per consensum & primariam affectionem. Rectè igitur à Galeno admonemur, vt partes quę primario affectu,& quæ consensu ad alias laborāt exactè discernamus. vt quę princeps pars sit à qua noxa laboranti per consensum parti eueniat dignoscamus: eique potissimum remedia adaptemus. vt superiore serie ex libris locorum affectorum adducta probauimus. Itaque principatum partis in noxæ illatione,consequentiam, hoc est consentientem illi partem, magnitudinemq; & paritatem affectus illateq; noxæ, & accessionem causarum vtramque partem deprauantium, id est, & eam quæ primario affectu, & eam quæ per consensum afficitur, attendere medicum oportet. vt in exemplo de ventriculi & oculorum affectu palam hic facit Galenus. Nam si ventriculo cruditatibus multis referto, uel cerebrum,uel oculi uitio uno aliquo tententur,constabit profecto, ab his quæ uentriculi uitiū augent & noxam quoque in his partibus quæ per consensum laborant, nempè in cerebro, & oculis augeri, minui uero & remitti, per ea quæ uentriculo salutaria sunt & opem ferentia. quod hi affectus per sympathian perpetuo eos sequi soleant qui per protopathian seu idiopathian fiunt. & cum illis intendi atque remitti ut hoc loco Gal. cætera patent.

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Textus. Quod igitur in rem præsentem attinet apponentes, ad methodos commemoratas discedemus: atque hic rei formam esse censeto: vbi verò materiæ accesserint, totam iam substantiam, quum omnia particulatim recensuero, sicut modo in paucis exemplis factitaui. & hęc tibi artis integra pars erit.

Com. Vm methodum constituendæ medicæ artis se hoc libro traditurum Galenus proposuisset, quænam ea esset pluribus capitibus demonstrauit. nempè ut singulas corporis partes tum similares, tum instrumentarias ad unguem nosceremus. earumque actiones, tum uero, morborum, differentias, species, formas, magnitudinem, moremq; adhęc symptomatum affectus comitātium rationes, & pręsidiorum quibus curatio perficitur, uim ac potestatem: tempusq; opportunum ijs utendi, congrua mensura, ordine ac modo teneremus. Ex his enim veluti in aceruum complexis omnibus, artis ratio constat. ad hanc igitur methodum se velle reuerti initio capitis huius proponit Galen. quæ sanè methodus instar formæ rei est; hoc est tractationis de artis constitutione. vt.n. naturalis forma est quæ dat esse rei, vt Philosophi loquuntur, sic sanè methodus uera essentiā præbet arti cui sanè methodi ac formæ, si materiam idoneam adiecerimus, hoc est presidia & auxilia quibus absolui methodus possit, (quæ sine medica materia expleri omnino nequit) totā iam substantiā rei nacti erimus. hoc est totā essentiā constitutionis artis idq; si in particularibus exemplis nos exercuerimus. ut præfatis superiore capite exēplis in pleuritide & prodeuntibus recremētis nos docuit Gal. quam sanè exercitationem merito Gal.

integram

integram & absolutam artis partem esse, conceptis verbis hoc loco affirmauit. Siquidē discentes in exemplis exercitari conuenit. vt 9. meth. ab eodem autore scitè dictum est. Proinde si nos in particularibus affectibus eorumq; causis & symptomatis dignoscēdis adiecta præsidiorū materia nos exercuerimus. summā artis nos attigisse iure merito arbitremur.

Superest vt ostendamus ad commodum remediorum vsum. partis quam curamus, essentiæ figuræ ac situs cognitionē requiri. substātia. n. docet quantū primi morbi in intēperie consistētes à naturali modo recedant, quantūq; calfacere, refrigerare, exiccare, & humectare illos conueniat. Figura verò, ipsos per se morbos docet de quibus antea diximus: tum eorum magnitudinem simul indicat. Nam quantum quodque à naturali statu egressum est, in tantam magnitudinem peruenit: cuius occasione rursus deprehenditur, quantum ipsa per contraria immutanda sint vt ad naturam reuertantur. Itaque hæc proportione morbis ex intemperie respondent, obstructiones autem & densitates huius sunt generis. Textus.

Quæ necessaria cognitu sint ad commodum remediorum vsum parandum, docet hac serie Gal. inquiens, partis quam curamus essentiam, figuram, ac situm agnosci prius oportere vt ex quibus nimirum dexter remediorum vsus paretur. Ex partis vero substantia id nobis indicatur, quantum qui in intemperie consistunt morbi (qui & ipsi in primo morborum ordine. qui simplicibus partibus accidunt iure reponuntur) quantum inquàm a naturali modo recesserint. Equidem cum autore Gal. vniuscuiusq; partes substātia ex calidi, frigidi, humidi, & sicci congrua mistione constet, efficitur, vt substātia partis (quæ nihil prorsus aliud est quàm ipsius proba temperies) nobis indicet, quantum à naturali modo declinatum sit & recessum. Porrò Gal. lib. 1. de vsu partium hac de re hæc sunt verba. vt autem (inquit) sermo noster methodo procedat, quæ corporibus insunt, omnia distinguamus. Insunt autem primùm & maximè temperamenta. quippè quæ propriam particularum substantiam complent. Corpus enim tale natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, sic commixtum est. Nam carni esse carnem, neruo neruum, & aliorum vnicuique, id esse qnod est, per qualitatum quetuor prædictarum certam quandam temperaturā, mistionemque contingit. Hæc igitur eis (subdit) secundum substantię rationem insunt. Ex qua verborum serie videre est, partis substantiam in temperie & miscella elementarium qualitatū positā esse. Itaq; si euersa alterata ve partis temperies (quæ ipsius substantia est) fuerit, in quantū alteratio processerit in tantum à naturali modo recessum esse iudicare oportebit. quantumq; vel calfacere, vel refrigetare, humectare, aut exiccare oporteat exinde nanciscemur. Nam si decem numeris à iusto temperamenti modo declinatum sit, totidem numeris per contraria ad iustam temperiem partē reducere oportebit. vt in arte Medieinali Gal. atque hæc sunt quæ á partis substantia nobis indicantur in primis & simplicibus particulis quarum proprij sunt morbi in intemperie positi. Figura verò ad instrumentarias partes & si pertinere dicitur, & simplicibus quoque conuenit. nulla enim est pars in corpore quę propriam in sui formatione figuram non requirat magis tamen & proprius instrumentarijs partibus conuenit vt lib. de morborum differentijs Gal. affirmat, & Auicenna fen 2. primi doctrina prima, capite 3. Est autem figura, delineatio quædam quæ termino aut terminis cōtinetur. vt Euclides lib. 1. suæ geometriæ diffiniuit. Figura igitur partis vitiata, morbos instrumentariæ partis insinuat: & quantum à iusto figuræ, magnitudinis, numeri modo aberratum sit, ostendit figura namq; partis, ex recta formatione magnitudine, numero cauitate & cōnexione atq; situ cōstat quorū vtrūcunq; vitietur, in tantū vitiabitur figura quātū à iusto modo deflexerit. proindeq; et ostendit quātum ipsa quæ iustū excesserūt modū, ad cōtrariū immutāda sint, vt æqualitas figuræ & debita symmetria seruet. atq; ob id rectissimè hic a Gal. dictū est, hęc proportione morbis ex intēperie respōdere. Nā prout in illis ex discessu a iusto tēperaturę mō, sciebat quātū pars affecta ab illo defecisset, sic sanè ex figurę deprauatione numē, aut magnitudinis (q oīa secū figura cōplectitur) intelligemus quātū in- Com. lib. 1. de vsu par. cap. 9. Cap 9. Cap. 89.

ſtrumentariæ partes ab ijs deflexerint, prorſusq; e ſint immutatæ, & quantum item in contrarium niti oporteat, ut ad rectam figuram functionibus partis debitam inſtrumentaria pars reſtituatur. Quæ huic parti explicandæ ſufficiant.

Textus. At proprium, eximiumq; e euacuationis modum oſtendit ex oſculis & figuris quas ſortitum eſt inſtrumentum quod curatione indiget. id autem communionem cum ijs obtinet quę à poſitu indicationem ſumunt. Quæ autem inter ea proportionem habent ad magnitudinis conditionem tum ad remediorum vſus quantitatem, non opus eſt dicere. Eximia verò ac pręcipua deinceps apponemus, quoniam & uiſus ad ſanationē eorū eſt maximus quæ indicationibus à figura ſumptis immiſcentur. Quin & hic exemplis exiguis, ut methodum cognoſcamus, ſermonem interpretamur.

Com. Non ſolum ex partis ſubſtantia atque figura quantum à iuſto modo in utroque lapſu diſceſſum ſit, indicatur, uerum etiam certum quendam ac proprium euacuandi modum tum partis ſubſtantia tum figura indicat. alio nanque euacuationis modo hæpar, alio uentriculus, alio renes & ueſica, alio uterus indiget. alio rurſus caua hæpatis, alio gibba. idq; nobis ex oſculis & figura partis monſtratur. Equidem cum gibba hæpatis cum renibus cōmunionem quandam habeant, uenarum emulgentium interuentu, efficitur, ut per urinas excerni cōmodè poſſint quæ eas partes infeſtant, uti ſi caua hæpatis humor aliquis malè habeat, per inteſtina. ꝙ oſculis quibuſdam à portis prodeuntibus, ad inteſtina uicinitate & communione facilis ſit humorum deſcenſus, euacuabimus. nec tum urinas mouebimus. ut lib. 13. meth. & pluribus alijs locis Gal. Recte igitur dictum eſt, à figura & ſubſtantia partis, proproprium euacuandi modum nobis indicari. Siquidem hæpar, ꝙ facilē diſſolubilem ſubſtātiam a natura obtineat, fortia medicamenta aut ualde emollientia non requirit. ſed ea quę ſimul & roborandæ partis uim habeant. qualia habentur abſinthij coma, eupatorium, ſpica nardi, ſchotmianthos. ut loco præcitato teſtatur Gal. lien fortia medicamenta admittit. Atque hęc indicatio quæ a figura partis ſumitur. cum ea indicationem cōmunem habet, quæ a ſitu ſeu poſitu partis nobis inſinuatur. Nam a ſitu partium hæpatis agnoſcimus num per urinas, num per aluum ſit uacuandum. ſic in cerebro uacuando, cum per errhina uocata humorem noxium ad nares deducimus quod ex poſitu partis nobis monſtratur. Pro affectus uero magnitudine (quod hic ſubdit Gal.) uarium remediorum uſum adhibere conueniet. ꝙ ſuperius & ualentius morbo medicamentum eſſe (ſi uſui eſſe debeat) ſemper oportet. ut Paulus Aegineta, ex Aetij Cappadocis autoritate prodidit. Cætera patent. Hic uero omittendum non eſt, Andernacum in uerſione ſua lapſum eſſe ille. n. uertit (quas ſortitum eſt inſtrumentum laborans) cum Græce habeatur τὸ τεραπευόμενον ὄγανον. i. curandum inſtrumentum. Quin & in proximè præcedente ſerie ad finem: plus in Græco codice quam in eius uerſione continetur. hæc. n. deſunt αἱ μὲν ἐμφράξεις, τε καὶ σφηνώξεις τούτου εἰσὶ γένους. hoc eſt, obſtructiones & denſitates huius ſunt generis, nempè indicantia commodum remediorum uſum, prout & partis ſubſtantia atque figura & ſitus: quod & ſequenti ſerie (in qua de obſtructione ediſſeret Galenus) palam ipſe faciet.

lib. 4. cap. 1 Andernaci uerſio notatur.

Textus. Obſtructio ſanè unus ex inſtrumentarijs affectibus eſt: potiſſimum uerò iecinori tum propter eius conſtructionem, tum actionem accidit. Etenim uenę quæ à portis in totā uiſceris cauā partem diſtribuūtur, oſculis earū quę in gibba ſunt ſenſum latētibus cohęrent. Defertur autē totū alimentū ex uentriculo ad locum unū hepatis, quē ab eo quod modo dictū eſt, portas appellant. Nemo. n. in ciuitatē ingredi pōt, niſi portas primò tranſeat: neq; alimētū ad iecur peruenire, priuſquā in hoc loco fuerit, unde in totā iecoris cauam partē diſtribuitur. deinde per dictos uenarum terminos in gibbū tranſſumitur. Nihil igitur miri eſt, uiſcus hoc crebris obſtructionibus ob uiarū anguſtiā & ſubſtantię permeātis copiā corripię

Obſtru-

Obſtructionem vnum eſſe ex inſtrumentarijs morbis & hic & mille alijs locis à Galeno dictum eſt. Com Siquidem cum ſit obſtructio meatuum a craſſis, vel lentis aut copia redundantibus ſuccis clauſio & obductio, vt nono & vndecimo methodi, & in arte medicinali habetur, meatus autem propriè ad inſtrumenta pertineãt, efficitur, vt obſtructio, totius inſtrumẽti affectus, nõ ſimilaris partis eſſe dicatur. ob id Gal. lib. 2. meth. med. obſtructionem eam quæ in finibus venarum quæ in cauo iocinoris habentur, ſubhæſit, ægritudinem totius iocinoris, ceu inſtrumenti eſſe vult. nulla ſimilarium eius partium ægrotante. Hæc. n. Gal. eo loco verba ſunt, vnde conſtat obſtructionem ad inſtrumentarias partes non ad ſimilares pertinere. Nam & ſi venas interdum obſtrui contingit, non illis tamen vt ſimilaribus partibus, ſed magis vt organicis aduenit. poteſt. n. vena inſtrumentum quodammodo dici: ſi & actionis cuius gratia creata eſt, & compoſitionis ſuæ ratio habeatur. Nam & ex fibris & membranis venæ & arteriæ conditæ ſunt, vt libro de inæquali intemperie & lib. 6. de vſu partium c. 10. Gal. Sunt autem creatæ venæ, ſanguinis continendi, atque etiamnum generandi ac diſtribuendi gratia. venis (inquit Gal.) quæ ad ventrem & vniuerſa inteſtina perueniunt, ineſt virtus quædam ſanguifica, qua chylum eũ, qui ex cibis diſtribuitur, venæ in ſanguinem permutare natæ ſunt, priuſquàm ille ad hepar li. 4. de vſu par. c. 12 perueniat. Quin & libro de morborum differentijs, & de inæquali intemperie, venas & arterias in inſtrumentorum ordine collocat Gal. ſunt (inquit) ex primorum inſtrumentorum » numero, muſculis, vena, arteria. Sed iam ad contextus noſtri explanationem veniamus. Hepar obſtructionibus eſſe obnoxium, tum ob ſtructuræ ſuæ rationem, tum ob actionem cuius gratia creatum eſt, illi obuenit. Siquidem cum anguſtis vaſis plurimis, quæ partis in totam viſceris cauitatem diſtribuuntur, & oſculis earum venarum quæ in gibba ſunt cohæreant, hepatis conſtructio conſtet. efficitur, vt ob viarum anguſtias (quæ multæ in eo viſcere ſunt) li. de mor. diff. c. 4. obſtrui facilè à lentis aut craſſis ſuccis hepar poſſit. tum etiam, ꝙ cum excipiendo chylo & in ſanguinem demutando hæpar factum ſit, euenit ſæpenumero, vt non ſatis à ventriculo elaborato chylo, crudus in viſcus deſcendat chylus. vnde ſanguis item crudus, viſcidus ac lentus, ab hepate conficietur. qui lentore ſuo vias obſtruẽs obſtructionem pariet. vnde hępar ob id ſchyrris eſſe obnoxium Gal. lib. 13. methodi medendi affirmauit. cum igitur per portas totum alimentum in ventriculo confectum ad iecur permeet: ſint autem anguſtiſſimæ viæ per quas in hepar tranſitus ſit, neceſſariò efficitur, vt obſtrui facilè viæ hæ poſſint atque adeò uiſcus totum. Porrò Anatomici uenam hanc quæ in cauo hepatis ſita eſt, uenã portę uocant. quæ à uentriculo & inteſtinis per meſereas uocatas chylum excipit, & ad hepar tranſmittit. ut lib. 4. & 5. de uſu partium, & 6. Anatomicarum adminiſtrationũ Gal. Græcis uena hæc, σέλεχεια uocatur. Nimirũ igitur, ſi uiſcus hoc crebris ſit obſtructionibus expoſitum ob eas quas modo recenſuimus cauſas, uiarũ. ſ. anguſtiam, & permeantis ſubſtantiæ copiã. Atq; hoc loco omittendũ minime uidetur, Andernacum malè partẽ hanc ultimã uertiſſe. Andernacus notatur. ſic. n. ille uertit. (Nihil igitur miri eſt, uiſcus hoc crebris obſtructionibus ob uiarũ anguſtiam, & ſubſtantiæ peruicacis copiam corripi) cum non peruicacis, ſed permeantis (ut nos uertimus (dicendum illi fuerat. nulla enim ſubſtantia peruicx aut mala ſano exiſtente homine, ad hanc partem ſubit. atq; ob id obtuſo ſenſu & ſine neruis factum eſt hæpar, excepto exiguo quodam nemo à ſexta coniugatione neruorum à cerebro ortorum illi implantato. ut ex ſupracitatis à Galeno locis haberi euidentiſſimè debet. Porrò malè id eſſe uerſum, ex Græci codicis fide planũ faciemus. Sic enim in eo habetur. τῆς διερχομένης οὐσίας τὸ πλῆθος, ideſt ob copiam permeantia ſubſtantiæ. διερχομένη enim uox, á uerbo Græco διέρχομαι, quod ſignificat prætereo, permeo, atque per uado originem traxit. Hęc, ne cæcutiens prętere irem annotare de induſtria uolui.

Textus. Hęc igitur curatio fuerit, nempè vt antequam augeatur, varieq; diſtribuatur, & homo febricitet, cibi & medicamẽta attenuãtia exhibeãtur. Porrò vbi illa fuerit adaucta, nõ modo his auxilijs, ſed vacuatione ẽt vtẽdum quã quibus locis fieri cõuenit, tũ viſceris figura, tũ ſitus demõſtrat. Hinc igitur aggreſſi, quędã in cauis partib. cõtẽta ad inteſtina dirigemus: q̃ in gibboſis exiſtũt, per vrinas uacuabimus, ſimili mõ q̃ in thorace & pulmone cõtinẽtur, ſi uacuari deſiderẽt, à figu-

ra & ſitu edocti, tusſiendo expurgabimus. haud ſecus quæ in cerebro hęrent, ad nares trahere oportet.

Com. ENarratis obſtructionis iocinoris cauſis, quaſi id noſſe medico non ſatis ſit, ni aptam morbo curationem adhibere ſciat (qui medici finis præcipuus eſt) curationem tandem eiuſce affectus tradit hoc loco Galenus. docens, quibus præſidijs in ea curanda vtendum ſit. vultq; primum initianti morbo antequam augeatur occurrere medicum.
lib. 1. apho. 29. iuxta illud Hippocratis, cum morbi inchoant ſi quid videtur mouendum, moue quod & lepide à Naſone dictum eſt. Principijs obſta: Serò medicina paratur, cum mala per longas
lib. de remedio amoris. inualuere moras. ac proinde rectiſſimè admonere hoc loco videtur Galenus, vt obſtructionem augeri, & in varias partes diſſeminari prohibeamus. ne ea adaucta homo febricitet. idque primum attenuantibus cibis ac medicamentis tentandum docet, poſtea verò ſi his nó cedat morbus, vacuatione vtendum eſſe monet. Quo conſilio admonemur, vt in morbis curandis primum congrua & morbo apta victus ratione morbum depelle tentemus, tum &
libr. 6. aph. 102. attenuantibus tum cibis tum medicamentis obſtructiones curare aggrediamur. Nam verè Raſius ſuis in aphoriſmis monet, bonum eſt ſi morbos victu tantum & non medicamentis curare aggrediamur. idque præſtantem decere medicum affirmat. Quin & Galenus quo-
lib. 3. apho. 15. que raro nec niſi ſumma vrgente neceſſitate ſumenda eſſe prorſus docuit. inquiens, valde indigentibus, & ex longis interuallis vtilis eſt quæ fit per purgantia pharmaca ſuperfluitatum euacuatio. quod & ante eum diuinus Plato in Timæo admonuit. exercitatione ac congruo temperatoque victu, potiuſquam medicamentis curandos eſſe corporis affectus quam itidem cautionem animaduertens Celſus, medicamentis vti niſi in vehementibus malis
lib. 4. ſuperuacuum eſſe meritò dixit. Quorſum hæc? vt in eos inſurgam qui protinus ad minimã ægri quærimoniam, mox ſi vel digito, vel leuiſſimo quouis affectu tentetur, pharmaca pręſcribunt, potiones, catapotia, opiatas, & factitios ſoluentes ſirupos quos magiſtrales vocant. nec ſe ſuo ſatisfeciſſe muneri putant, ni Pharmacopeorum libros ſchedulis benè multis (vtinam æquè morbo aptis) infarciant. cum præſtaret potius ægro conſulere, vt temperato & attenuante victu & paribus medicamentis (quod hic conſulit Gal.) quàm vt confeſtim ſoluentibus medicamentis noxam membris inferentibus vteretur. Neque hæc dico, vt ab medicamentorum ſoluentiũ vſu noſtrates deterream. nemo. n. facilius, vbi his opus eſt, ea præſcribit quàm ego præſcribere ſoleam. Sed profectò ab eorum nimio vſu temperandum cenſeo. nec protinus in leui affectu aliquo ad ea confugiendum. Sed iam qui ſunt attenuantes cibi & medicamenta quibus ſanari obſtructiones ſolent, explicare ingredior. Horum farraginem nobis Galenus libro de attenuante uictu præbuit. Eſt autem attenuans victus, is, qui craſſos & lentos humores incidere atque attenuare, vniuerſumque corporis habitum poſſit. quæ perficiunt acria, amara, ſalſa, vt præfato libro Galen. Ex holeraceo genere ſunt, eruca, naſturtium, ſmyrnium, origanum, calamyntha, ſiſymbrium, pulegium, ſaturcia, Thymum, Sium, Apium, Petroſelinum, Orminũ, Hyſſopus, Raphanus, Braſſica, Beta, Aliiũ, Cępa, Porrũ, Sinapi, Ex aromatibus, Piper, Gingiber, nux myriſtica, Chariophylli, Galanga, macir, cinnamomũ. Ex ſeminibus, capparis, & terebinthi fructus, oliuæ aceto & ſale cõditæ, ex ſeminibus, apij, petroſelini, Cumini, carui, aneſi, libyſtici, ſinapis, ameos, dauci, ſeſeleos & omniũ deniq; odoratorũ & acriũ & euidẽter calefacientiũ ſemen ex hoc ordine habẽtur. prout. Ex radicibus, eryngij radix, feniculi, petroſelini, apij, graminis, aſparagi, ruſci, helemnij, gentianæ, pyretri, ſalitæ carnes atq; piſces. atq; inter cętera, acetũ & mel. Ex medicamentis oximel, tum ſimplex tum compoſitũ, primas Galeno & Gręcis atq; Pœnis autoribus omnibus obtinet, tum ſyrupi de radicibus, de Bizantijs, de eupatorio, de hyſſopo, de arthemiſia, de betonica, mel roſaceum, ſirupus ex fumaria, & de epithymo habentur tum uerò ex antidotis quæcunq; calfaciendi, exſiccandi, & attenuandi vires habent in quorum albo Theriaces confectio, mithridatia, & aurea alexandrina primas tenere creduntur. uti poſt has, Diamoſchi, & Diambræ confectiones, pliris cum moſcho, aromaticum charrophylatũ, & roſatum Gabrielis, diagalanga, diapipereon, diacyminum, diamargariton calidũ & cætera quæ ex aromaticis calidis cõpoſita ſunt. Hæc. n. oĩa ſumpta ſuccos attenuãt, incidũt, & uias aperiunt unde leuãdę obſtructioni maxime idonea habẽtur. ſi ea exigua fuerit. q̇ ſi maior q̃ ut ab ijs leuari cõmodè queat, ad ea quę impactũ humorẽ deturbãdũ, & per

con-

conuenientia loca euacuandum faciunt. accedendum proxime erit. quod quibus locis fieri conueniat, ipſe laborantis partis ſitus atque figura plenè docebunt. Si enim gibba hepatis obſtructione prematur, per ea quæ vrinas mouent & proritant euacuare tentabimus, quòd à gibbis hepatis ad renes & veſicam facilis & recta pateat via. vt ex anatome patet. Contra verò, ſi caua hepatis obſtructa ſunt, euacuatione per aluum facile detrudentur ob communionem quæ hiſce cauis hepatis partibus cum ventriculo & inteſtinis intereſt. atque hæc ſunt quæ ex figura & ſitu partis nobis demonſtrantur. nempè per quæ loca vacuandum ſit. Sic pari modo in thorace & pulmonibus contenta, ſi vacuari deſiderent, per ſputa vacuabimus. quòd hac via perquam commodè quæ in his partibus hæſerunt tolli facilè queant. Perinde atque quæ cerebrum excrementa moleſtant, ſi ad nares per Errhinna vocata euocentur. Hæc enim deducendi à cerebro per deriuationem & partis propinquitatem commodior eſt via.

16 Non minus autem partium Phlegmone laborantium ſanatio ex ſitu & figura ſumitur. etenim & horum princeps ſcopus eſt, humoris in partem inflammatam decumbentis euacuatio. Quomodo autem hęc adminiſtranda ſit, inſtrumētariarum partium natura docet. Ab ipſis igitur inſtituti, fluxiones in coxam procumbentes per venas, poplitis & tali vacuabimus, quemadmodum ea quæ in vuluis continentur. In thorace collectos & pulmone, per interiorem cubi venam demoliemur. Quæ verò in capite & ceruice infeſtant, per humeralem. Textus.

Com.

PArtium phlegmone laborantium curationem hac ſerie docet Gal. & quiſnam in huiuſmodi curationibus ſcopus præcipuus ſit, & per quæ loca vacuare decumbentem in partem humorem oporteat, demonſtrat. Porrò in phlegmone curanda, ad duo præcipuè intentum eſſe medicum oportet. ad eum inquam qui in par
20 tem influit humorem, tum ad eum qui iam parti hæret in eamque incubuit. Incipientes ergo inflammationes reuulſione influentis humoris commodè arcebimus. ab Hippocrate & Galeno edocti. Siquidem à tentata fluxione parte quàm longiſſime reuellere ſemper oportet non ad ipſam trahere. is ſcopus optimè ſanguinis miſſione perficitur. & reprimentibus medicamentis. Porrò reuulſoria fiet euacuatio, ſi fluxio imas partes obſeceſſit, ad ſuperna trahendo ſanguine quidem è brachij venis miſſo. vti ſi ſummas partes inflammatio occuparit eas quæ deorſum ſunt venas aperiendo. ſic a dextris ad ſiniſtra, & è cantra reuellere perpetuò oportebit. Id autem ſemper per venas commnnes & eas quæ è directo ſunt, facere expedit. ſiue reuellere ſiue deriuare voluerimus vt conceptis verbis libro ſecundo. ad Glauco. cap. 13. Gal. Ea ratio eſt, cur hic fluxiones in coxam procumbentes ſectis poplitis & tali venis vacuare doceat. tum & quæ in vuluis continentur per eaſdem venas commodè vacuari affirmet. quòd & è directo earum partium affectarum venæ hæ poſitæ ſint, & communionem cum eiſdem partibus habeant. Sic ſi in pulmonibus aut thorace fluxio ſubſtiterit, ſecta interiore cubiti vena. Si à capite aut ceruice quid noxij reuellendum ſit, per humera-
30 lem vocatam commodè id perficiemus. Atque indicationes eę omnes atque uacuandi formæ, ex ſitu atque figura affectarum partium nobis inſinuantur vt hic docet Galenus. Nunc verò humoris in partem decumbentis euacuatio, per reprimētia ſolum ab initio an per diſcutientia fieri habeat, & num reprimentia vocata medicamenta, contenta in inflammata parte vacuare poſſint (quod lib. 13. meth. med. viſus eſt voluiſſe Gal.) cum de ea re tota nos quàm copioſiſſimè libro noſtrarum enarrationum medicinalium primo, enarratione quinta tractauerimus, ad eum librum relegare lectorem de induſtria voluimus ne iam dictis cartas impleremus.

Optima nanque & facilima eſt euacuatio, quæ per proximas & affectæ parti communes venas confieri ſolet. Cæterum id quod inflammationem attulit, per halitū digerere, & hoc ſanè ex morbo indicationem habet: verum particularem auxiliorum vſum variandum eſſe, partis affectæ ſitus oſtendit. Qui nanque in ſum Textus.

ma in cute affectus constituti sunt, ijs tale resoluens esse medicamentum conuenit qualis phlegmonæ species indicat. Qui in alto latent, hoc acrioribus pharmacis indigent, quo magis ab exterioribus recesserunt, quare nonnunquam si vehementer admodum in alto lateant, cucurbitulis vtimur: quod in summa cute ortis inflammationibus nimis quam aduersum est. Ita si adstringentis medicamenti vsus erit, loci id desiderantis positum inspiciemus. Nam si eo medicamentum adstringens peruenire posset, nihil indubiè prohiberet quo minus adhiberemus. Si autem minus potest, considerandum uenit, ne quando ex proximus humorem in locum affectum propellamus. Proinde uel miscenda est adstringenti pharmaco virtus quędam eiusmodi, quę ueluti id manuducat, uel eo non utendum est. Maximum siquidem incommodum afferre noui, qui ex pulmone sanguinem reijcientibus medicamenta adstringentia toti thoraci undique apposuerunt. Nam præterquam quòd vis eorum in pulmonem non penetraret, etiam sanguis qui in thorace continebatur, in viscus illud agebatur. Atque de his satis esse dictum arbitror ad præsentem disputationem. Tantum igitur adhuc præfatus, quòd methodus hæc, forma solum commentarij huius extet aliud aggredior.

Com. libr. 1. aph. 1. & 25.

Gal. in art. med. ca. 89.

Optima ea euacuatio censeri debet, per quã & morbifica causa cõfestim depellitur, & æger morbo leuatur, iuxta illud Hippocatis si qualia oportet paurgari, purgentur confert & facile ferunt: si contra difficulter. Equidem cum in omnibus morbis causas habentibus, si curari desiderant. commune illud præceptum sit vnãquamque morbificam causam prius abscindere (quòd curari nequicquam morbus vllus possit, manente qua ipsum excitauit causa vt septimo methodi medendi à Galeno proditum) ea autem optime abscinditur, vel per communes & è directo positas venas, si res ita postulet, aut noxio humore per pharmaca purgantia quacunque via natura maxime redit euacuato, sequitur profecto, optima eam esse euacuationem quæ profligata morbifica causa, simul quoque & morbum aufert, Facilima autem ea habenda est, quæ sine noxa, sine symptomatis vllis confestim ægrum leuat. vnde sapientissimus senex Hippocrates duabus vocibus hæc conclusit, confert, & benè ferunt. conferentia enim & morbi alleuatio, optimã fuisse factam euacuationem demonstrant. tollerantia verò facilem. id enim quisque quod facile est leuiter tollerat, quod difficile grauiter. Quamobrem, cum quæ per communes & è directo positas venas fit euacuatio, & commoda sit, & morborum alleuatrix, nimirum si hanc euacuationi huiusmodi prærogatiuam tribuit Galenus. Atque hæc de euacuatione ea quę fluenti humori debetnr, à Galeno dicta sunt. Nunc tandem ad ea quæ parti iam hæserunt & impacta sunt sermonem conuertit, inquiens, id quod inflammationem attulit, id est, quod iam fluxit, & tumorem inflammatum in parte effecit, id inquàm, halitu digerendum esse, per discutientia scilicet & exhalationem molientia. Hoc enim curare medicus debet, vt quod in parte inflammata impactum est halitu digeratur si id tamen fieri possit. neque enim omnis quæ inflammationem facit materia digeri apta est. sed ea tantum quæ aut tenuis, aut mole exigua atque in membro raro & in summa cute posita fuerit. Hæc enim facilè digeri & in halitum verti possunt. Contra, quæ in alto hæserunt, quæ crassa & lenta, quæ copiosiora sunt, haud facile digeri queunt: sed concoqui apta magis sunt Galenus verò dissipationem materiæ, & digestionem per halitnm, magis quàm concoctionem probat. optabilioremque esse vult libro de inæquali intemperie. Atque hunc curandi modum morbus ipse indicat. Particularem autem auxiliorum vsum, pro partis ratione immutandum esse, atque alium alij parti conuenire, ex his quæ de hepatis cauis ac gibbis partibus proximè dicta sunt edocemur. & nunc quoque exemplis appositis planum faciet Gale. Siquidẽ si in alto fluxio cõstiterit, abditisq; partibus, acrioribus egebit medicamẽtis & ex alto trahẽtibus vt foras euocetur & digerat. ita vt interdũ & cucurbitulis & attrahẽtibus medicamẽtis opus sit ad ea euocãda quę in intimis subsederũt. ꝙ in coxẽdicis dolore sępefacere iubemur

Libr. 1. aph. vlt.

cum

cum & cucurbitulas ad foras euocãdum craſſum glutinoſumq; humorem admouemus, & acria in idipſum medicamenta cardaminem, & vitem albam, & ex ſinapi emplaſtrum & cætera eiuſmodi. Si verò in ſumma cute inflammatio conſtiterit, nihil protſus tale admouebimus. q ea in parte quæ conſiſtunt digeſtioni per ſe ex loci natura & exhalationi apta ſint, vnde facile leuibus diſcuſſorijs adhibitis ſoluuntur. Sic etiam vbi adſtringentibus medicamentis opus eſt, ad partis affectæ ſitum reſpicere medicum oportet. Nam ſi in alto conſtiterit affectus, quò pertingere medicamentum non queat, fruſtra adhibebitur & pro auxilio noxam inferemus. Vt in reiectione ſanguinis è pulmonibus palam hic facit Galenus. quo in affectu, qui medicamenta adſtringentia toti thoraci admouere auſi ſunt, magni incómodi ægris cauſa fuere intruſo magis intus & incraſſato ab huiuſmodi medicamẽtis humore, vnde retroactus, in pulmonem facilè delabitur immedicabilem interim noxam adferens. Quo Galeni conſilio in hac parte admonemur, ne in thoracis aut pulmonum inflammationibus, aut ſanguinis ex his partibus reiectione, merè adſtringẽtibus foris admotis vtamur. Quod ſi vtendum ſit, calaſtica quædam aut deterſoria adſtringentibus admiſcebimus, ne & nimia adſtrictione, & humoris ab ijs repulſione intro agat curraſſiorque effectus ſpirandi difficultatem in pulmones illapſus pariat: aut concretus putreſcat. Porrò ſub finẽ ſubiicit Galenus, methodum hanc à ſe traditam hiſce capitibus, formam eſſe tractationis huius de conſtitutione artis. quod & veriſſimum eſt. Siquidem cum vniuerſæ artis cõſtitutio ex notione partium corporis conſtet, tum verò & affectuum qui corpori accidunt dignotione, tam eorum qui ſecundum naturam, quàm qui præter naturam ſunt: adhæc morborum differentijs, cauſis, ſymptomatis quæ morbos ſequuntur, præſciendi ſeu præſagiendi ſcientia, Demum auxiliorum quibus ſanatio conſtat cognitione exacta & dextro eorundem vſu: atque hanc ipſe methodum conſtituenti artem medicam ſuperioribus capitibus propoſuerit (dum hæc omnia quæ modò recenſuimus tenere medicum oportere affirmauit) euidentiſſimum fit, methodum hanc huius tractationis formam atq; typum eſſe. Qui enim ex anatome partium naturam omnem, hoc eſt ſubſtantiam, ſtructuram, actionem & vſum callueri t, ſanitatis & morbi rationem tenuerit, morborumq; omnium diſcrimina ac differentias nouerit, cauſas inueſtigarit, ſymptomata morbos comittantia attenderit, & præſagiendi ſcientia munitus, futuros à morbo euentus prædicere nouerit, præſidiorumque copiam & dextrum eorundem vſum tenuerit, is iam profectò optimus artifex fuerit: artisque vniuerſæ conſtitutionem ea methodo probè callebit, quæ Galeni hoc loco mens eſt.

Confilium Galeni in thoracis et pulmonũ affectibus.

vniuerſæ artis cõſtitutio ex q. bus cõſtet.

## CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Cæterum ſingularum corporis parrtium ſcientia ac diſcurſus uelut uniuerſa ſubſtantia eſt, quam in alijs commentarijs tranſegimus.

Textus.



Niuerſa prorſus ſubſtantia atque veluti baſis conſtitutionis artis medicæ, eſt ſingularum corporis partium exacta ſcientia. Si quidem vt ædificator domũ cõſtruere nequicquam poteſt, inſi plenè cognitis his partibus ex quibus domus conſtat; vt quo loco quamque collocare oporteat, & qua materia eſſe deceat, norit, ſic ſanè medicus niſi partium humani corporis omnium perfectam ſcientiam habeat, nunquam corporis affectibus mederi ſciet. aut illas dignoſcere. quãdoquidem quæ præter naturem ſunt, depræhendi non poſſunt ignoratis his quæ ſecundũ naturam, vt libro ſecundo methodi à Galeno proditum. prout & exemplum à nobis appoſitum, ab eodem initio huius tractarionis habitum eſt. Porrò partium noſtri corporis ſcientiam nanciſcemur, cognita earum ſubſtantia, ſtructura, figura, ſitu, connexione, actione & vſu, quæ omnia ex libris de vſu partium & de Anatomicis adminiſtrationibus requirenda ſunt vt ad hanc tractationem benè inſtructus medicus accedat.

Cem

De Preſagiis igitur poſthac uerba facturi ſumus; quoniam tum ad alia quędam, tum ad curationem potiſsimum conducunt.

Textus.

Com.

CVm capite decimosexto tractationis huius, præsagia medicum à mortis crimine vindicare, ægrosq; obtemperatiores medicis efficere solere dixisset, de pręsagiẽdi arte, quã præ cæteris (si admirationi esse medicus velit) tenere debet, tractationem hoc capite ingreditur Galenus. ostendens quibus rationibus, quaque via munitus medicus predicendi arte maxime polleat. quod, vt Hippocrates dixit, optimũ sit, medicum prouidentia vti. vt per quam & ægri medico propensius pareant: ac medicus præsentiendo futura, de longinquo quasi in sublimi quadam specula positus, obuiam eat morbis. ea pręcauens & prohibens fieri mala, quæ euentura vi morbi erant & demum crimine mortis vacet. quòd (vt idem Hippocrates libro de morbis primo prodidit) in ęgris si qua mala malis superueniant, imperitum vulgus eiusce euentus medicum incusare solet. quod vt ne fiat, præsagiendi scientia dotatum esse medicum omnino oportet. Est autẽ præsagium, autore Galeno, rei futuræ per ea quæ apparent prædictio. id est, prænunciatio rei vẽturæ ex præsentibus sese offerentibus signis & indiciis. Signa quidem ex obseruatione: indicia ex demonstratione petenda sunt. vt Gal. lib. 3. prog. Com. 41. vel cap. 14. nouæ versionis. Indicium enim id est, quod perpetuum est, vnum aliquid semper indicans atque declarans. quod & ipsum fallit nunquam vt pulsus constans, fortis, ordinatus, perpetuò viriũ robur indicat. Imbecillus, inconstans, inordinatus, earundem infirmitatem semper demõstrat. Signa verò & si vnum aliquid indicant, perpetua tamen non sunt vt faciei ægrotãtis habitus qui & si interdum exitialis apparet, non tamen exitium semper portendit. Nam à vigilia, mœrore, inedia, labore, & alui fluxu talis interdum contingit. qui tamen mortem non adfert. Sic & de vrinis aluique excrementis, & aliis multis dicendum. Equidem & si vrinæ nigræ lethales Hippocrati iudicentur, præsertim in acutis, salutares tamen quandoque habentur. vt in lienis inflãmationibus & magnis obstructionibus sæpe decretorio per vrinas facto, est experiri. vt à me in Antonio ruffo Ioannis ruffi Pharmacopei filio adolescẽte visum, qui cum lienis apostemate laboraret, planeq; moribundus haberetur, decretorio sub vigesimum diem facto admiranda vrinarum nigrarum attramenti instar copia excreta est, ad libras .xij. & eò amplius, quod & iterum in quartana pluries à me obseruatum fuit. Sic & alui fluxus in pleuritide & si lethalis habetur, sæpenumero tamen à morbo liberat. vt in Arduyno ab stagno Patritio Arelatensi, & in filia Trophimi Icardi, plerisque aliis à me obseruatum. Itaque signa in eorum significatione perpetua non sunt, vt modo à nobis probatum. Optimum igitur est, vt Hippocrates dixit, medicum prouidentia vti. in quo notandũ prouidentiæ nomine Hippocratem pro præsensione, præuidentia, & prospicientia vsum esse. & si interdum pro cura, diligentia, atque studio quod in rem quampiam impendimus probatis autoribus sumitur. Vt apud Euripidem, Hæc moriens tamen multum prouidit, vt honeste caderet. Et item, cum mundum Dei prouidentia regi dicimus, quod est Deum nostra curare. Quin etiam pro cura & diligentia hanc vocem Hippocratem usurpasse eo loco, Galenus in eius partis commentario affirmat. quòd enim prospiciantur quædam antequã fiant, præuidere apud Homerum & item præuidentiæ uocabulum factum est. & præsentirę & præsensio. Quicquid enim natura sensilę ratiocinatione peruestigamus antequã intueamur, præuidere id meritò dicimus. indicantes verbo ut talia uideamus oculis mentis ante quàm fiant. Atque ob id quæ geruntur, si de repente fiant, contra arbitrium & cogitationẽ nostram, atque inconsultò, ea temere fieri & absque prouidentia iure dicimus. Si uerò consultò & præmeditate, cum prouidentia factum affirmamus. Quę docta Galeni in enarratione illa longissima ad primum caput seu præfationem Hippocratis primi pręsagiorum libri sententia est. Sumuntur autem præsagia ex tribus potissimum, ceu è fontibus quibusdam unde manant. ab ægro uidelicet, morbo, & casibus morbum comittantibus. Ab ægro quidẽ, ex illius habitu, facie, decumbendi forma, iactatione, angustia & anxietate, ab illius partibus, oculis, lingua, labris, naso, auribus manibus ac pedibus tum & unguibus. Ab ægritudine uerò, nempè illius essentia, natura, magnitudine, uehementia, malignitate, malo more aut illorum cõtrariis. A casibus, pro ipsorum uarietate, multitudine, vehementia, leuitate, prædicendi rationes sumimus, Vt si præmat syncope, si animi deliquium, uigilia nimia, aut contrarius illi sopor, si dolor infestet, si sitis vrgeat, si delyrium torqueat, in malis ægrum esse dicimus. contra verò si uel leuia sunt hæc, vel nulla bene de ægro speramus. Quin & à facultatibus

Lib. 1. pŕ̃ca pit. 1.

Lib. 4. de præsag. ex pulsib. c. pen.

lib. 2. præsag.

Historia ęgrotantes.

cultatibus ipsis corpus nostrum regentibus, earundemque actinibus, ab excrementis itẽ præsagiendi rationes ducimus. vt si vitalis facultas imbecilla sit, item & cerebri, aut hepatis, si malè harum facultatum actiones obeantur, si mala sint alui & venosi generis quæ excernuntur, si sputum malum difficulterque emissum in pulmonum & thoracis affectibus, in malo rem esse iudicamus, vt contra, si fiat bene. Quæ omnia ab Hippocrate tribus præsagiorum libris, in Prorrhetico, & Coacis prænotionibus: Et à Galeno, in eorundem librorum commentariis sunt plenius requirenda tum & à crisium libris. Quod verò præsensionem tũ ad alia multa, tum ad curationem conducere plurimum affirmat hic Galenus, verissimũ id quidem & apertissimum vnicuiq; esse debut. Siquidem & ad famam nominisque claritatẽ medico conciliandam, & vt se in illius manus ægri fidentius comittant, & vt sapiens existimetur agnoscens ex prædictione ægritudinis naturam, & vt etiam inde obsequẽtiores medico ægri reddantur ad imperata faciendum, vtilis præsensio est. Sed maximè ad curandum vtilissima prorsus est. Curationem enim tũ certè optime moliemur, si futura prænouerimus illis arte obuiam eundo. præuenientes prædicendi arte quod euenturum est & fieri prohibentes. Quæ docta Hippocratis & Galeni primo prognosticorum, & hoc ipso loco sententia est. Vbi enim ex præsagitionis scientia proximam esse crisim aut iam instare intellexerimus, à pharmacis dandis, & mouendo corpore aut quicquam nouando abstinebimus. & naturæ tum negotium relinquemus, iuxta illud Hippocratis, Quæ iudicantur & iudicata sunt Lib. 1. aph. integrè non mouere, nec nouare aliquid sed sinere expedit. Constat igitur præsensionem 20. ad rectè & sine errore curandum vtilissimam esse.

Itaq; necessarium est ei, qui præsagiendi artem volet constituere, antea considerasse, an sicut vniuscuiusque animantis natura proprium uiuendi tempus obtinet, ita morbi singuli, vt nullus eorum solui posit quatuor diebus cuius naturale tempus statum duos menses continet. An rursus morbus diuturnus fieri, & celerrimè solui posit. Textus.



PRæsagiendi scientia illud in primis exigere videtur, vt morbi naturam omnẽ exacte noscamus. sit ne morbus de cuius euentu præsagire volumus, acutus mollis, aut diuturnius an breuis, salutaris an exitialis, popularis an priuatus, symptomatis comitatus an sine illis, quòd pro horum differentia varie de ipsis pronunciare contingit. Siquidem acutus fuerit. incertas habet salutis, aut mortis, iuxta Hippocratis sententiam, prænunciationes. Sin mollior fuerit securiores habere potest. Com. lib. 2. aph. 1. Rectè igitur Galenus hoc loco similitudine quadam valde accomoda mouere videtur, vt qui rectè præsagire volet, id in primis perpendat, ita in morbis atque in animantibus euenire. Etenim vt vnicuique animantium generi proprium ac peculiare uiuendi tẽpus à natura tributum est certo numero definitum (ut Aristoteles libro secundo de generatione & corruptione prodidit) sic & morbis quoque pro sua cuiusque natura durationis atque solutionis eorum stata sunt tempora quibus ceu cancellis quibusdã ac terminis morbi concluduntur, Cap. 2. Textus nume. 57. Quidam breuiore spatio, longiore alij finiuntur. habentque & morbi ipsi perinde atque animalia suas ætates. vt à Galeno libro de morborum temporibus copiosè ac doctè demonstratum est. Itaque cum qui morbus diuturnus suapte natura est, breui finiri minime potest, ita si de illo præsagire uelis, illius naturam spectes oportet, attendasque nũ ex acutorũ an diuturnorũ albo sit. Si. n. ex acutis fuerit breui finitum iri uel ad salutẽ vel ad mortẽ tutò præsagire poteris. Si quidem acuti morbi & magni sunt, & ad suum uigorem celerrime properãt, paucoque tempore magnas faciunt permutationes. ut Galenus libro secundo aphorismorum scitissime dixit. Cap. 23. Sin uerò ex diuturnis fuerit morbus, nunquam breui finiendum doctus præsagiendi artifex est dicturus. Quippe cuius morbi naturale tempus statum menses, uerbi gratia, duos continet (quod hic monet Galenus) nullus profectò diebus paucis solui unquam poterit, quòd à crasso, uiscido ac lento humore fiant, multoque ob id tempore ad curationem indigeant. ut de quartana febre, aqua intercutẽ, melancho-

lia, Empyemate, & tabe cæterisq́ue diuturnis exploratum est medicis omnibus. Vt recte igitur quis præsagiat, hæc in primis attendenda sunt. Ad reliqua modo.

Textus. Nunc tamen quia medicina futurorum diuinatrix facta est, non amplius idiotis quæritur num quædam ars futura præsagire queat: an minus. Sed iam omnes hoc posse consentiunt, eoque medicum interrogant, quo certo tempore morbus solui debeat. quamquam ad præsentem commentarium nihil mali accesserit, si nunc primum pręsagiendi nos artem constituere fingamus. Etenim reliqua omnia simili ratione tractauimus.

Com. Lib. de lege.



MEdicinam artium præclarissimam, vt Hippocrates dixit, multis esse à Deo dotibus illustratam atque nobilitatam omnibus planè in confesso est. Vt si natales eius requiras, nulla antiquior ea inter artes haberi possit. vt quæ vna cũ nascente mundo nata, à Deo originis suæ primordia ducat. Creauit namq; altissimus de terra medicinam vt ecclesiastici. 38. capite habetur. Si autorũ celebritatem quibus ceu diis tutelaribus exornatur, quænam alia cum hac iure conferri potest? vt quę progenitorum suorum diuinitate, ipsa maxime glorietur? Mercurio, Apolline, Asculapio quos in Deorum numerum relatos ob artis dignitatem atque pręstantiam, literarum monumentis proditum est. vt illud meritò dixisse Galenus sit visus, Medicinæ inuentionẽ Deo ac deorum filijs, & si qui sint illis simillimi esse in totum adscribendam. Quos & ipsos ceu antesignanos & duces, Podalyrij, Machaones, Hippocrates, Galenus, Paulus diuini planè homines aut heroes potius longa serie sunt secuti. Quid porrò tantam tantarum rerum cognitionem quam Medicina præstat, silentio præterire decet? omnium terrænascentium, animantium omnium, Piscium; volucrum naturam omnem, vires, medicam potestatem, ipsa probè tenet. Aeris mutationes agnoscit & temperare singulas docet, vẽtorum omniũ naturam & quid in homine efficiant demonstrat. Cœlorum ex syderum concursu, motus & influxus omnes rimatur. Morborum cuiusuis generis omnium naturam, vires, nocẽdi modos, discrimina omnia una optimè explicat, Præsidia morbis apta præscribit, alimenta discernit, atque vna inter displinas omnes ceu indulgentissima parens, homini etiam nondum nato ad vitæ vsque finem paratissima. præsidiorum diues adest. Tum verò non solum præsentes affectus curando summouet, sed & paratos fieri, præcautione prohibet. Atque has inter amplissimas dotes, nulla amplior, diuinior nulla diuinatione & pręsagiendi sciẽtia haberi iure debet. quòd (vt hoc loco testatur Galenus) futurorum præscia ac diuinatrix medicina sit facta. Quæ sanè potestas diuinitus illi & prærogatiui singulari à Deo concessa est. Cum futura prænosse ac enunciare antequam fiant proprium, Dei sit. vnde est illud Esa- Esaiæ.41.
iæ, Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos. Et illud item Da-
Danielis.13 nielis, Qui nosti omnia antequàm fiant. Cum itaque futura præscire, diuinum donum, diuinaque dos habenda sit. eius participem facere Deus de sinu beneficentiæ suæ medicinam uoluit, vt diuino hoc ornamento nobilitata ars, vsui mortalibus esse posset, futura prænunciando, & mala inde ventura præcauendo, sicque hac arte instructi medici admirationi hominibus essent: & summo cultu honestati haberentur. ægrique inde eorum consilijs obsequentiores (quod antea diximus) redderentur. Sed quando Galenus hic diuinatricem esse medicniam affirmat, de diuinatione nonnulla paulò altius repetẽda esse ad huius partis explicationem mihi videntur. quid ipsa sit, vnde profluat, quæ eius species, & ad quam earum deduci medicinæ diuinatio queat. Quæ omnia ex classicis autoribus ordine depromemus. Ergò diuinatio, prouidẽtia & perspectio futurorum est. μαντεία seu μαντική Grecis dicta. De qua Cicero libro primo de diuinatore hęc protulit. Versari quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, id est, præsensionem & scientiam rerum futurorum scitissime dixit. Chrysippus, diuinationem esse definiuit, vim cognoscentem videntẽ, & explicantem signa quæ à Diis, hominibus portenduntur. Officium autem esse eius, prænoscere dij erga homines mente qua sint, quidq; significent. Est & alia diuinationis ratio

oratori-

orationibus conſueta quam iudicium eſſe volunt & cognitionem quę circa conſtitutionē accuſatoris vel ſubſcriptoris conſiſtit. cum ſcilicet ex duobus pluribuſve accuſationem ambientibus, deligendus eſt qui maximè ſit idoneus. vt in accuſatione verris certamen fuit inter M. Tullium. & Cæcilium quendam vter in accuſando præferri deberet. Vnde prima illa inter Verrinas Ciceronis actio, Diuinatio dicta. Sed hęc diuinationis ratio extra rē eſt, nec propoſito noſtro conducit. Eſt & altera quædam, qua peculiariter Aſtrorum periti vtũtur quæ ex cœlorum ac ſyderum motibus, aſpectibus, directionibus, retrogradationibus, amicitiis inimicitiisque, domibus & caſibus: tum verò exaltationibus, defectionibus, ortu & occaſu atque vario influxũ pro plantarum & ſyderum alio atque alio ſitu pro horoſcopi vario ſignificatu, quid futurum ſit hominibus prænunciant. nempè aeris & ſyderum motu & aſpectibus mutationes, tempeſtates, ſqualores, imbres æſtus nimios, algentia frigora, clades, mortes, peſtilentes morbos, bella, tumultus, annonæ penuriam aut Vbertatem, erectis duodecim illis cœleſtibus domibus, prædicunt. De quo diuinandi genere quid ipſe ſentiā abundè in appendere noſtrorum locorum communium medicinæ, capite ſecũdo explicuimus, ad quem locum remittere lectorem viſum eſt, ne acta (quod eſt in prouerbio) agere videamur. Altera diuinandi ſpecies ex magiuis artibus reprobis comparatur, ex ſpeculis, pũctis, figuris, characteribus & incantionibus. quæ omnia vt ſunt vana, erroris pleniſſima, fallentia, infida, & religioni aduerſaria, ſic ſanè meritò ſunt ab orthodoxis omnibus edicto reprobata vt nemo ſanæ mentis & qui Dei mãdatis incumbit ea vnquam ſit probaturus nec iis vti velit. Ex ſomniis itidem diuinandi ratio petitur, vt eſt apud Hippocratem lib. de inſomnijs & Artemidorum libro de interpretatione ſomniorum. Sunt.n. ex inſomniis quædã è naturæ viribus ſumpta, quæ id quod naturæ moleſtum eſt prænunciant admonentque futuri euentus. vt ſi quis ſe aquis ſummergi per ſomnum exiſtimet, humorum redundatiã ac pituitæ copiam indicat. perinde atque ſi quis ignem, ardores, æſtus per ſomnum videre ſe putet, aut in his conſiſtere, bilim in corpore vigere demonſtrat, vti etiam ſi quis bella, cædes, gladios, vulnera ſomniet, aut laruas, funera, tenebras, mortuoſque ſe videre per ſomnũ exiſtimet, atræ bilis germina in corpore ſuperantis hæc ſunt. vacuationeque corpus indigere præmonſtrant. Teſtatur quoque Galenus. ſe euidenti patris inſomnio admonitum vt medicinæ operam daret certum habens, ſi id faceret, in magnum virum ſe euaſurũ, & lienoſum quendam ſomniaſſe ſe liberatum iri à morbo ſi ſaluatella vocata (quæ inter annularem & minimum digitum ſita eſt) illi ſecaretur. ſecuit & morbo leuatus eſt. Omitto diuina illa vocata inſomnia & viſa quæ prophetis & Deum colentibus ſæpe apparuerunt diuinitatis & myſteriorum pleniſſima. quæ ſacris concionatoribus interpretanda relinquimus ne ſutor vltra crepidam. Nos verò, medicinam diuinationis dote ea ratione eſſe nobilitatam dicimus, quod de morborum euentu futura antequàm fiant nobis ex prædicendi arte ſignificet. Cum enim ſcitè præſagit ex ſignis viſis & annotatis medicus, explicat nobis quæ ex morbo ſint futura ſit ne euaſurus æger an moriturus, ſit ne curatu facilis & breui tempore morbus, an difficilis & longiore ſpatio curam admittat. Profuit autem diuinatio (quod ſecundo loco dicturos nos promiſimus) à mente diuinitate imbuta & diuino lumine atque æthereo colluſtrata. Quæ ſanè claritas non alij ferè quàm ſapienti contingere creditur. Ob id indos legimus Philoſophis primum in eorum cœtibus conſtituiſſe locum, quòd & ſacrorum myſterijs, & prædicendi ſcientia eſſent ornati. apud quos ſi quem præſagia ter fruſtrarentur, ſilentij perpetua mulcta irrogabatur. vt ſtrabo grauiſſimus autor, lib. xv. ſuæ Geographiæ, & Plinius lib. 6. naturalis hiſtoriæ capite. ix. prouidere ſunt & eruditorum nonnulli qui putat elementorum omnium ſpiritus, vtpotè corporum perennium præſentienti motu ſemper & vbique vigentes, diuinandi munus nobis impartiri ex ijs quæ diſciplinarum affectamus uarietate. Sed magis placet, quod eſt ab Aegyptiis Philoſophis ea de re proditum. Solem, qui mundi illuſtrator & oculus, tum etiam mens à quibuſdã dicitur, in noſtras mentes ex ſeſe veluti ſcintillas fundentem, vehemẽtius accenſas & ęthereo ſuo lumine colluſtratas, futuri competes efficere. Inde fieri, vt qui ſe totos contemplationi & rerum inquiſitioni dedidere, mentiſque agitatione animo ſeruiunt, hi ad prædicendum ſint valde idonei & vera præſagiant. Pura mente illuſtrati. Porrò diuinationis ſpecies multæ à Platone & Platonicis omnibus ſtatuuntur. quas & ipſas furoris diuini, quo quis extra conſuetam

Li. 9. meth. med.

In phędro & Ione de furore poetico. Marſilius in Cõ. ad cõuiuiũ. cap. 14.

vitæ rationem rapiatur & futura pſagit, quatuordifferentias facit. vt diuinations deos præſides quatuor eſſe antiquis exiſtimatum eſt. Vaticinium, Myſteria, Poeticen, Amatorium affectum. Vaticinij inſpirationem, Appollini, Myſteria Dionyſio, Poeticen Muſis, Amatoriũ affectum veneri tribui vult. Cum verò Galenus hic diuinatricem eſſe medicinam affirmat, ad vaticinationem quodammodo referendum videtur. Nam qui futura prædicant iure vates appellantur. vt bonis autoribus receptum eſt. Vnde Plautus in milite, Bonus vates poteras eſſe, quum quæ ſunt futura videas. Et apud Vergilium ſexto Aeneidos, cunctantem & vatis portat ſub tecta ſibyllæ. Et apud Ciceronē lib. 2. de legibus, interpretari effata incognita fatidicorum & vatum & qui futura prę́ſentiunt vaticinari dicũtur. & diuinare, idē atque augurari videtur: neque prorſus aliud eſt quàm vaticinari. vnde quemadmodũ augures & aruſpices ex auium volatu & extis animalium inſpectis, quid euenturum aut boni aut mali eſſet prædicebāt, ſic & medicus ex præſentibus ſignis conſpicuis & obſeruatis, ab ægro, morbo, caſibus, facultatum actionibus, & excrementis tum & ab inſomniis acceptis, quid futurum ſit vt vates quidam pręnunciat. Cũ igitur ars medica diuinandi, & futura prædicendi dote polleat, extra controuerſiam eſt, num illud præſtare poſſit. atq; ob id rogatur medicus quo certo tempore morbus ſolui, & an ad ſalutem vel mortē finiri debeat vt prænuntiet, quando id poſſe omnes homines ſciunt, & experientia docet. qua prædicendi ſciētia adeo pollebat Gallenus, vt ab æmulis ob diuinandi peritiam in qua futura prędicendo excellebat, haruſpex & diuinator ſit vocatus. vt cum futura predicere ex diuinatione magis quàm ex medica arte calumniarentur. Vt ipſe de ſe libro de Prędicendo, ſeu magnorum præſagiorum affirmat. Sed iam ad Galenum interpretandum reuertamur.

Textus. Vnum ſanè & primum neceſſarium uidetur, ſi præſagiendi aliqua facultas extet, nonnulla certo ſequenti tempore eſse uentura. Porrò conſiderabimus deinceps, quomodo q̧s hæc quæ et quid ſint inueniat. nō enim omnia futura ex ægrotante neceſsario pēdēt. Nocturnus enim Vicinorum tumultus, et canum, latratus, Vel nuncia quædam triſtia ægros reddunt inſomnes: quæ nec fiunt neceſſario, nec præſagiri certò poſsunt. An igitur quæ morbi ratione proueniunt, neceſſariò fiunt, & certò prænoſcuntur an neque hæc vniuerſa? Poteſt enim humor aliquis ſuperfluus in corpore intus ad particulam aliquam vitæ neceſſariam confluere: quemadmodum contra alius ex nobili parte in obſcuram tranſmigrare. Porrò eum qui in nobilem partem inuectus eſt ſummum periculum ex neceſsitate ſequitur: at qui in obſcuram repentè inopinatò labitur, laboranti ſalus erit. Iā vero in huiuſmodi conſtitutionibus ſecuritatem & periculum pręnoſci licet; nō tamen quo deſinat, accuratè queas inuenire.

Com. Voniam prædicendi ſcientia dotatam eſſe medicam artem pręcedenti ſerie dixerat Gal, quid neceſſarium ſit vera enunciaturo ac præſagienti, hoc loco ſcitè explicat. inquiens, vnum & primum neceſſarium inter omnia ad id eſſe, vt certo ac definito tempore quæ prædicta ſunt euentura ſint, alioqui enim vana & mendax quæ de futuro euentu facta præſagitio eſt, haberi debet; niſi id quod euenturum prænunciatum eſt, eodem ipſo tempore contingat quo euenturum prædictum eſt. Quæ vt eueniant, & euentus prędictioni reſpondeant, conſiderare cōuenit, quę nam & qualia ea ſint de quibus prę́ſagium facere in animum induximus. magna nempe id prudentia atque animi intentione indiget, quòd neque omnia ex quibus de futuro euentu iudicamus, ex ægro petenda ſint, aſpectu inquàm, facie, decubitu, agitatu, cęteriſq; notis, de quibus Hippocrates libro primo prognoſticorum diuine diſſeruit. Sed plurima ex morbi natura, more, malignitate, aut lenitate, à caſibus, excrementis, facultatum actionibus, vel læſis uel integris, multa quoq; ex his quæ extrinſecus accidunt. Vel recte uel male adminiſtratis, cuius generis ſunt miniſtri ægri inſeruientes, nec ſatis ſuo munere functi, malè

nec

nec suo tempore apparata in ægri salutem cibaria, domus inepta, rerum necessariarum penuria, & cætera huiusmodi quæ neque ad ægrotum neque ad morbi aut symptomatum naturam referri vsquam possunt. qualia item sunt, quæ hoc loco refert Galenus vicinorum tumultus repentè & inopinatò facti, latratus canum, tubæ sonitus, tympani ad arma vocantis strepitus, clamor & furor in armis positorum, vel timore & terrore pauentium, tristitia nuncia, isthæc enim omnia, & immunera alia quibus expositi sumus, & iudicium futurorum peruertere, & morbi solutionẽ remorari, & mortem accelerare, non Galeni solum hoc loco testimonio, sed experientia duce cernimus. quod vt meditatè perscrutaremur, nos hoc loco de industria admonuit Galenus. ne præcipites & inconsiderati de morbis deque morborum euentu iudicia ferremus. Vnde rectissimè Hippocrates id consuluisse est visus, vt prudentes & parcos sese gerant in prædictionibus medicos, ne temeritatis, inscitiæ, aut erroris argui suo ipsorum merito possint. quod ad infamiam & dedecus pertinet, in quod vitium ne incurrant, cautissimos & prudentissimos atque etiam parcos iubet esse in prædicendo modicos. Nam si ex his quæ vi morbi & symptomatum apparent, vix tutò quæ ventura sunt & certò præsagire queas (vt paulò post. explicabit Galenus) cum tamen ex ijs quàm ex omnibus alijs firmius præsagiri possit, quam spem sumas de morbis rectè præsagiendi, nisi omnia ad eã rẽ necessaria quasi in aceruum accumules, & ex omnibus accuratè perpensis, artificiosam coniecturam veritati proximam de futuro morbi euentu præsumas? Profectò cum in cæteris rebus omnibus quæ ad artem pertinent, tum verò maxime in hac prædicendi arte summa cautione opus est, nec prius de morbo prænunciare futura aggrediamur, quàm omnes ex ægro notas, ex morbo, morbificis causis, symptomatis, excrementis, facultatum actionibus, tempore, regione, & extrariis omnibus quæ in conspicuo sunt medio (neque enim omnia talia præsentire aut coram videre potest medicus) ea inquàm nota & probè cognita habuerimus. tum enim certò præsagire poterimus, & summo in prætio haberi, cum vera nos prædixisse contigerit, & hominibus admonitioni esse. *lib. de morbis.*

Quærit autem postea Galenus an quæ ex morbi ratione proueniunt, necessariò fieri habeant, & certò prænosci possit, an non vniuersa? Grauis profectò & perscrutatione digna quæstio. Nam prima fronte asserendum videtur, quæ morbi ratione proueniunt, ea prorsus euentura: quòd à morbi essentia, & de curando, & de præsagiendo scopi præcipui sumantur. vt apud Hippocratem in præsagiorum libro, Prorhetico, & Coacis prænotionibus est videre. & apud Galenum in eorundem librorum Commentariis, præsagiorum dico & Prorhetici, & in methodo medendi, iuxta enim morbi naturam, morem, progressum, & cætera huiusmodi quæ à morbo ceu à fonte dependent, de futuro euentu rectè, pronuntiare solemus. Et profectò quæstioni huic arduæ vt respondeatur morborum distinctio ad partes aduocanda est, vt sciatur quibus in morbis quæ ex eorum actione proueniunt necessario fieri habeant nec ne: aut tuto prænosci. Itaque morborum alij in intemperie nuda: alij in intemperie cum affluxu substantiæ; alij in structura, in continui solutione quidam positi sunt: ac rursus eorum qui in intemperie, acuti alij, alij diuturni habentur: quidam sola qualitate manifesta lædentes, quidam occulta proprietate. vt qui totius substantiæ morbi, tum pestilentes & contagiosi dicuntur. In acutis igitur & pestilentibus, tum & totius substantiæ morbis, non omnino certæ sunt salutis prænunciationes, aut mortis. vt Hippocrates scitissime dixit de acutis loquens. neque quæ ex morbis huiusmodi proueniunt, necessario, vt ab illis indicatur, euentura esse necessarium est. vt in exemplo, ab causone habito iudicatur vi morbi & delyrium & sitim inexaustam & agitationem maximam euentura indeque mortem. Cum tamen neque hæc necessario in causo eueniat, vel naturæ firmitate, vel humorum paucitate, vel ægri constantia contra nitentibus. Sic & in pleuritide graui in qua nihil spuitur, mors speranda est, aut si ab ea habito fluxus alui superueniat, non tamen perpetuo hæc adueniunt. Cum innumeros cernamus sic affectos sanari, egoque in pluribus id expertus sim. Causam vero, cur in acutis quæ vi morbi proueniunt non necessario fiant, nec in his firmè prædicere liceat, explicat in Commentario præcitati ex Hippocrate aphorismi Galenus, inquiens, quòd

*Quæstio grauis.* *lib. 2. aph. 19.*

aliquando, quamuis rarò contingat medicum optimum aberrare, id autem fieri propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam sequitur humorum inde morbus ortus est. & quia nonnunquam humor noxius ex vno loco transfertur ad altum, quo transitu peruerti medici iudicium etiam optimi sæpe contingit. Multò minus in pestilentibus & totius substantiæ morbis præsagire certò licet, quòd neque morbidæ excretionis à qua morbi huiusmodi originem ducunt, autore Hippocrate, naturam firmè teneamus, neque nocendi modum, aut læsionis quam inferunt rationem certam compræhendamus. Vnde est illud Galeni & Auicennæ, sæpe in pestilentibus morbis pulsus apparere bonos, vrinas pares, ægrum tamen confestim tendere ad mortem. Cuius euentus causa hæc est, quòd cum venenosus humor, aut halitus, corpus occupauit, natura à causæ malignitate perterrita. non valde multam tum sentiens noxam quamobrem eo tempore solitas suas functiones pulsuumque motum rectè perficit. quòd (vt mox dictum) à quiescente veneno haud ita multum irritetur. Cum vero tandem ipsa grauem noxam sentiens, sefeque ipsa colligens, conceptum intrò venenum expellere nititur (siquidem tentat semper natura, suis vtens viribus, quod alienum est expellere, vt primo de febrium differentiis scribitur) tum à magnitudine & malignitate causæ deuicta ac superata, in pugna succumbit. deficiente scilicet natiuo calore, & spiritu vitali veneno labefactato de repente extincto. Est enim venenum spiritibus nostris si quid aliud summè contrarium vt primo & quinto de simplicium facult. Galenus. Quamobrem cum materia mota peior sit seipsa quiescente, vt libro quarto de symptomatum causis testatur Galenus, fit, vt facilè ab hac agitata (venenosa vtique existente) facultas cordis, roburque confestin extinguatur. Vnde necessariò repentina mors sequitur. apparente etiam parum antea pulsus bonitate. quod à me sæpe in pestilentibus affectibus opere ipso obseruatum est.

lib. de nat. hum. Gal. li. 3. de præ. ex pulsibus. Aui. fen. 1. 4. ca. de febre pestilenti.

Cap. 5.

In his itaque affectibus, nec quæ ex morbi ratione fieri habent necessariò & semper fiunt: nec certò quæ euentura sunt, prædici à medico possunt. ob incertas & repentinas morbi, casuumque eos comitantium mutationes, & naturæ pugnantis alternationes, vt modo victa, modo victrix appareat.

Tutius verò in diuturnis morbis & certius, aut vbi humor aliqua in parte fixus fuerit, & præsagire licet, & quæ ex morbi ratione proueniunt magna ex parte fieri habent. quòd non perinde atque in acutis vexetur æger, nec tam subitæ & improuisæ fiant morbi mutationes, decretoria, & è loco in locum humorum translationes, sic in structuræ morbis, aut solutæ continuitatis accidere experimur. Vt faciliore via (quòd sensibus pateant) & præsagire de futuro euentu liceat & quæ à morbo suggeruntur, euenire vt plurimum videamus. In summa verò, vt de tota re dicatur, id affirmandum censeo, quòd, vt coniecturalis est ars præsertim in iudiciis ferendis: sic quoque non omnino certa esse aut stata & firma in quibusuis morbis de futuro euentu præsagia. qua ratione fit, vt deserti à medicis conualescant, & contrà moriatur is de quo primò medicus securus fuerat: vt Celsus doctissimè scripsit. Satisque esse, si in quamplurimis prædicendi ars respondeat, nec si in vno aut altero fallat, damnandam propterea artem esse: aut falsi & erroris insimulandam.

Quod enim in pluribus locum habet, id obseruationis & veræ professionis legem habere dicitur. Certa verò & stata de futuris prænunciare & scire solius Dei præpotentis est. qui habet omnem scientiam & nouit omnia antequam fiant. Vt autem ostendat hoc loco Galenus, non omnia quę ex morbo proueniunt necessariò fieri, pro exemplo humorem qui de repente in nobilem aliquam partem toti necessariam medio morbi insultu repat, adducit. Nam si id fiat, confestim & decretorij futuri, & motus morbi ratio tota, magno cum ægri periculo permutatur. Concurrente virtute corporis rectrice ad succurrendum parti principi, relicto interea morbi cursu. Vnde animi defectiones, delyria, syncopes, tremores, pulsuum & sensuum defectiones fieri repentè cernimus. quæ alioqui non fierent. tumque in malis æger esse dicitur. Inde est illud Hippocratis, Erysipelas ab externis intrò conuerti malum;

Danielis. 13.

malum foras prodire bonum. Si verò humor in vilem aliquam partem & parum momentaneam ſeſe transferat, ex nobili eò translata, ſalutem ægro adferre ſolet. vt hic vult Galenus. quòd interiora corporis expurgentur, & à vitioſis ſuccis liberiora, in ſumma corporis detruſis humoribus, maneant. ſicque ſuis ipſa munijs liberius fungi poſſint. Atque hæc & quæſtioni diluendæ, & huic parti explicandæ abundè ſufficiant. libr. 6. pph. 26.

Textus.

In quibus verò non adhuc recrementa defluunt, ſed partem aliquam obſederũt, in his futurum eſt prænoſcere quum ſciamus naturæ facultates, quibus animal gubernatur, non eſſe exiguas, nec earũ differentias. Quin etiam quæ cũ ſanguine per totum animal feruntur excrementa, ſiue immoderata copia, ſtatum vnumquodque coquendi tempus habent, modo cuiuſque recrementi naturam inuenerimus. Sic enim artificio de eius coctione coniectare licebit, ſiquidem omnia circa ægrotum rectè adminiſtrentur. Nam errores in his commiſsi, aut morbi ſolutionem remorantur, aut mortem accelerant. Atqui huius certè toto hoc ſermone, ſi alterius cuiuſquam, meminiſſe oportet.

Com.

Quomodo eſſet præſagiendum, humoribus in fluxu poſitis, & è loco in locum migrantibus, ſiue in principem partem, ſiue in ignobilem fluerent excrementa, præcedente ſerie docuit Galenus. hac verò parte vt præſagiendum ſit, confluxis iam recrementis & partem aliquam occupantibus docet. Vbi enim recrementa iam non amplius fluunt, ſed in parte quampiam fixa iam conſiſtunt, alia eſt quàm in iis quæ influunt præſagiendi ratio. In his enim pro principatu partis & dignitate: aut illius vilitate in quam migrant, præſagium de periculo aut ſecuritate ægrotantis facere ſolemus. vt hoc loco teſtatur Galenus. at in iis quæ iã in parte hærent recrementis, neque amplius fluunt, ex conſiſtentium recrementorum natura vt ſunt vel concoctu facilia vel difficilia de futuro euentu iudicium facimus. Quæ enim facilè coctionem admittunt (nam recrementorum eſt etiam vti & vtilium ſua quædam coctio teſtibus Ariſtotele atque Galeno.) ea & breui morbum ſolutum iri, & ſecuritatem adferunt iuxta illud Hippocratis lib. 6. Epid. Coctiones decretorij celeritatem, & ſecuram ſanitatem demonſtrant. quo in genere ſunt bilis tenuis ac flaua: tum & ſanguis mitis atque tenuis, nec valdè a naturæ modo diſcedens. Quæ verò concoctu contumacia ſunt, vt pituita tum ſalſa, tum lenta ac craſſa, atque itidem atra bilis (præſertim ſi exaſſata fuerit) & periculum & longitudinem morbi portendunt. Vnde eſt illud Hippocratis, incocta & in malos abſceſſus conuerſa, mortes, recidiuas, vel longitudinem morbi ſignificant. Ariſt. 4. meteo. cap. 2. Gal. lib. 2. de rat. uic. acut. Com. 44. Vbi ſupra.

Ad hunc ergò modum de iis quæ in parte fixa ſunt præſagire oportet. ex recrementorum impactorum ad concoctionem facilitate vel difficultate, magno nanque negotio atra bilis vincitur: ob id qui ab ea morbi oriuntur, & perdifficiles & longiſſimi eſſe ſolent. vt quartana, Schyrrhus, Carcinoma, Elephas, & id genus ſimiles. leuiores qui à bili aut ſanguine fiunt. Cur vero in his quæ partem obſederunt, nec iam amplius fluunt, prænoſcere certius liceat, id eſſe in cauſa vult Galenus, quòd naturæ facultates quibus animal regitur de ſeruando animali ſuis quæque muniis valde ſolicitæ ſunt. & ſi quid intro noxium conſtiterit, abigere vel coctione in meliorem ſtatum reducere conantur. Vt libro primo de febrium differentiis ſcitè ſcripſit Galenus, dum ait, tentat ſemper natura ſuis vtens viribus quæ aliena ſunt expellere, quæ vtilia in vſus proprios ſeruare. inde fit cum ad ea quæ partibus incommodant adæſu ſuo, natura inſurgat, facilius de Cap. 5.

futuro euentu præsagire poterimus, si cuiusque recrementi naturam & morem in coctione sua inuenerimus. vt hoc loco monet Galenus. intellecta namque excrementicij cuiusque humoris in parte infixi natura, facilè ex eo sciri poterit num breui, num longiori tempore concoqui valeat. & ex coctionis facilitate aut difficultate, de morbi solutione cita aut tarda, certum ferre iudicium in nobis situm erit. Sed cum hic Galenus recrementorum velit esse coctionem, altius indagandum nobis id est cum concoctio vtilium tantum quæ alimoniæ corporis deseruiunt esse videatur. Siquidem definitur concoctio, alteratio esse quædam, & nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutatio. Vt millies in mille locis expressit Galenus. quod sanè excrementis conuenire nullatenus potest. Cum alendo corpori non sint. sed magis expelli debeant, cum in alimoniam corporis transire minime queant. vt Galenus libro 2. de rat. victus acut. Comment. 44.

Quæstio d' coctiõe recremẽtorũ

lib. 2. de facult. natur. lib. de sympt. diff. c. 4. & 6. d' sympt. caus. ca. 1. & Com. 1. ad lib. 1. Epid. & 8. de comp. med. localium. li. 2. d' rat. vict. acut. textu. 44.

Itaque recrementis concoctio minime competere videtur, cum illis concoctionis ratio haud conueniat. cum tamen & hic Galenus & mille aliis locis coctionem vna cum Hippocrate illis tribuat interdum enim (ait Hippocrates) biliosa cruda à capite & thorace attrahuntur. Et in Epidemijs biliosa cruda excernebantur.

Cap. 2.

Ad huius pulchri quæsiti enodationem, tota coctionis natura nobis peruestiganda est, ab ipsius definitione exorsi, tum de coctionis effectrice causa atque fine, deque materia. Deinde duplici eius vocis significato tractantibus nobis, quæsiti dilutionem facilè inueniemus. Ergo Aristoteles libro meteororum quarto, ad hunc modum concoctionem quam Græci πέψιν dicunt, definiuit. vt sit concoctio, perfectio à proprio & natiuo calore ex oppositis passiuis. hæc autem sunt cuiusque materia. vt ille dixit. Rectè inquam, perfectionem à proprio natiuoque calore in materia factam, concoctionem esse voluit. Nam perfectio, expletio est & absolutio rei inchoatæ vt apud Ciceronem libro de oratore. Est item perfectio Aristoteli, virtus & integritas qua, cum secundum speciem propriæ virtutis nulla pars illi deest. Itaque concoctio vtroque modo perfectio dici iure potest, nempè & absolutio ac complementum rei quę concoquitur, & virtus, ac integritas eius quæ concoquitur substantiæ. cui nihil deest ad complementum: eò enim concoqui dicitur alimentum, vt simile fiat alto corpori. quod cum factum est, concoctionis facultatis vi, tum certè perfectum & integrum dici meretur quod concoctum est. atque ob id rectè Galenus, concoctionem alterationem esse quandam voluit, & nutrientis in nutriti propriam qualitatem, demutationem. tum enim perfectum quid est, cum generanti simile factum fuerit. vt in fructibus exemplificat libro quarto meteororum Aristoteles. inquiens, tum fructus maturos atque perfectos esse, cum semen continent, tale quid producere potens, quale ipsi sunt. Iraque concoctum id iure dicitur, quod à natiuo calore exactè elaboratum, perfectionem quam habere debet nactum est. ea porrò est, ita elaboratum esse, vt alendo corpori satis sit. & in similitudinem substantiæ nutriti mutari. vt libro secundo de natur. facult. voluit conceptis verbis Galenus. fit autem concoctio à natiuo calore, tanquam actionis eius opifice. Est autem calor innatus noster, Hippocrati atque Galeno natura ipsa in nobis, principiumque & generationis, & vitæ, & essentiæ nostræ. Is itaque calor, cum functionum naturalium omnium opifex sit, vel Galeni testimonio, efficitur, vt illi meritò tanquam opifici concoctio tribuatur. Equidem cum ob assiduum nostræ substantiæ effluxum, inanitas instaurari partes omnes cibo, potu, ac respiratu oporteat, vt libro primo de sanitate tuenda affirmauit Galenus, quæ sanè instauratio perfici nequicquam potest non immutato prius alimento, immutatione quidem ea, qua cibus similis alendis partibus fiat (quod est perfectionem esse adeptum) concoctionem & alterationem in cibo præcedere eam oportuit, vt tandem assimilatione perfecta, ali corpus posset. Concoctionis porrò tres differentias Aristoteles posuit. Maturationem, Elixationem, Assationem. Priorem Græci πέπανσιν, alteram ἕψησιν, tertiam ὄπτησιν nominant. Maturatio porrò, concoctio est eius alimoniæ quæ in fructibus subest. Cumq; concoctio oĩs perfectio quędã sit, tũ maturatio perfecta erit, cum semina quæ in fructuũ generare sunt, aliud eiusmodi quale ipsum est efficere valent. Nam & in cæteris perfectum ita dicimus elixatio autem est eidem Aristoteli, in definiti

li. 5 metaph. cap. 16.

lib 2. de natur. facult.

Cap. 3.

li. 3. aph. 2. lib. 1. aph. Com. 15.

lib 4 meteor. c. 2. 3.

definiti in humore exiſtentis concoctio ab humido calore facta. fit enim elixatio ab igni qui in humore eſt. Quod enim in ſartagine igni admouetur; torreri aſſolet. Nam ab externo calore patitur humorem autem illum in quo eſt, plenius aridum ad ſe trahendo reddit. Quod autem elixatur contrario ſe habet modo. nam calor quem externus humor habet, ab eo humorem foras pellit. Quamobrem elixa aſſis aridiora ſunt, hoc eſt proprio humore aſſis magis exhauſta. non enim quæ elixantur, ad ſe humorem attrahunt quando externus calor internum humorem vincit. Aſſatio verò, concoctio eſt, quæ ab arido & alieno calore efficitur. Hæ concoctionis differentiæ ab Ariſtotele proditæ.

Porrò concoctionis ipſius, tum Ariſtoteli tum Galeno, duplex eſt ſignificatum. Proprium & præcipuum vnum, Generalius & communius alterum. Concoctio autem proprio ſuo & præcipuo ſignificato, effectricem habet naturam ipſam, & tantum vtilis alimenti eſt, quod naturæ opera in ſui ſubſtantiam & alimoniam, perfectionem adeptum tranſire poſſit cuius finis eſt inanitarum partium inſtauratio. Generalius porrò concoctionis ſignificatum Galeno id eſt, cum natura cauſis morbificis fortior fuerit: permutaueritque eas ſuo robore. Quo in ſignificato, excrementis competere coctionem affirmauit Galenus in hæc verba. Bilioſa cruda (ait) ita appellauit Hippocrates, quoniam & excrementorum concoctionem appellat. quamquam mutata corpus nutrire non poſſunt. vt bilis vtraque, & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur. Veruntamen quoniam & talia euincit natura, cocta quidem conſueuit vocare Hippocrates excrementa huiuſmodi, quæ à natura ipſa euicta ſunt; cruda verò quæ non ſunt euicta. Ob id pus in phlegmonis quæ concoquuntur fieri ait, quanquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, veluti accipit ex crudis appellatis humoribus & pituita, quæ reliquum perfectionis aſſecuta, & prorſus cocta, corpus nutrire poſſunt. Sic igitur bilioſorum humorum concoctio exiſtit vt ſanguinis qui in phlegmone eſt, in pus migrantis. intelligentibus nobis coctionis nomen in ſuo vniuerſaliore ſignificato. Eſt autem vniuerſalius, cum natura cauſis fortior fuerit, permutaueritque eas ſuo robore. Quæ igitur veluti in anima carente corpore putreſcunt, nihil ad permutationem conferente ipſis innato calore, à coctionis ratione degenerant: hoc ſanè interdum contingit his humiditatibus quæ per vrinas excernuntur atq; ob id crudas vrinas concoqui dicimus, quanquã corpus ex coctis vrinis ali non poſſit. Generali præterea hoc coctionis ſignificato vtimur, cum vel catarrhum, vel corryzam, vel fluentes ex his humiditates, vel eas quæ ex oculis manant, aut crudas, aut coctas eſſe dicimus. ad hunc modum & bilem uel crudam ſeu incoctam, vel coctam eſſe pronunciamus. Hactenus Gal. Ex cuius prælonga ſerie luce meridiana clarius fit, non vnicam tantum, ſed duplicem eſſe coctionem, vti & duplex eſt illius ſignificatum. Alteram quidem, vbi quæ concocta ſunt alere corpus ualent. quod ſanè proprium eſt coctionis ſignificatum: Alteram porrò, ubi quæ concoquuntur, & ſi alendo corpori non ſunt, uincuntur tamen ac ſuperantur quadantenus à natura. cũ ipſa cauſis morbificis fortior euaſerit. ita uidelicet, ut cum non poſſit excrementa ea in quæ agit ita uincere, ut in ſui ſubſtantiam conuertat, illis tamen imprimit ueſtigium ſuæ in ea actionis. adæquando illa, & expulſioni apta reddendo. Expulſioni inepta porrò ſunt, quæ cruda manent: quæ concocta, apta. Inde fit, ut in Phlegmonis pus cum coctum eſt, album & æquale & minime fœtens appareat. quòd uenæ ſi non in ſui ſubſtantiam ſanguinem (dum in pus uertitur) permutare potuerunt, colorem ſaltem pro ſui potentia tranſmutando ſibi ſimilem indiderunt (ſiquidem uenæ albæ ſunt ſuaptæ natura) & putredinem unde fœtor naſcebatur, ſuſtulerunt. Vnde & album & minime fœtidum pus tum redditur cum concoctum eſt. Sic & ſedimen in urinis album, coactum, & ſubſidens apparet, cum coctæ urinæ ſunt. relicto utiq; in his naturæ cõcoquentis ueſtigio & impreſſione. utcunq; licet naturæ in excrementis facere, cum ſemper natura de his quę fieri poſſunt, faciat qđ optimũ eſt. ut lib. de iuuentute & ſenectute uoluit Ariſto. Itaq; cum in ſui ſubſtantiã excrementa uertere minimè natura queat, quod vnum poteſt in excrementis facere, vbi fortior ipſa fuerit, id præſtat. nempè vt cum ita concoqui non poſſint vt in alimoniam tranſeant, ſatis pro modo ſuo concocta erunt, quando ſolidis membris quadantenus ſimiles effecti, & à natura ſupera-

Lib. 4. meteor. cap. 3.
Gal. lib. 2. de rat. uic. acut. Com. 44.
Li. 2. de rat. vic. acut. Com. 44.
Cap. 2.

ti, apti redditi fuerint, vt vel ab eadem natura per se, vel cum artis adminiculo expellantur. Et hoc est generalius concoctionis significatum, iuxta quod & pus & lotium concocta medici appellare consueuerunt, vt Galenus & Aristoteles locis præcitatis. Et Manardus libro Epist. medicinalium. 13. epistola prima, doctissimè explicauit, Vnde constat, Villanouanum Michaelem in suo de siruporum ratione libro insigniter errasse qui vnam in omnibus quæ concoquuntur esse coctionis rationem affirmauit. siue in iuuatiuo, siue in nocitiuo, vt nostri loquuntur, fiat concoctio, id est, siue in cibo ad alimoniam siue in excrementis ad depulsionem. Cum id & Aristoteli & Galeno atque adeo veritati ipsi repugnet. Cum coctionis quæ in alimento fit, agens sit natiuus noster calor, finis, mutatio alimenti in qualitatem animanti familiarem. Vt libro secundo de naturalibus facultatibus Galenus. Alterius verò quæ in excrementis fit, & si calor natiuus functionis eius opifex habeatur, impeditur tamen à materia, interdum verò & à calore putredinali quo minus permutare exactè materiam possit & in substantiam corporis conuertere. Vt à Galeno libro primo prognosticorum habetur. non enim pus, vrina, ichores, pituita salsa, vtraque bilis, permutationem ad alimoniam suscipere possunt. Neque item finis in vtraque coctione idem est: cum prioris finis, sit alimonia, & in propriam eius quod nutritur corporis substantiam conuersio. alterius, tantum adaptatio quædam ad expulsionem, cum natura causis morbificis potentior fuerit. vt supracitato loco Galenus. Præterea cum duplex sit coctionis significatum (vt supra ex Aristotele & Galeno attulimus) significatum autem, sine re significata esse non possit, necessario duæ concoctionis differentiæ erunt ponendæ, prout & sunt duo eius vocis significata, quæ rebus ipsis, ipsa sensuum fide conueniunt. Atque de hac re hactenus à nobis dictum sit.

Gal. lib. 2. de rat. vic. acut. Com. 44. Aristo. lib. 4. meteor. Cap. 2.

Textus.

Sola nanque præsagia eueniunt, vbi is qui curat medicus optimus est, & æger nihil deliquit. At eiusmodi medicis prognosticam facultatem esse arbitrari, quales diuinatores profitentur, ridiculum planè est. Illi siquidem verbi gratia nono die, incolumem futurum aiunt, non apponentes, omnibus probè administratis. Etenim tales omnia vel auspicatò, vel inauspicatò cessura esse prædicunt, medicus verò non ita prædicit: Verum si omnia, vt par est, eueniant, septimo die videlicet morbum solutum iri. Si error committatur, si quidem paruus fuerit, morbi solutio ex septimo in nonum diem transibit; si magnus in vndecimum. Si uerò adhuc maior, in decimumquartum: si maximus periculum certè sequetur salutis.

Com.



T. præsagia, qualia euentura prædicta sunt à medico eueniant, duobus maximè opus esse vult hoc loco Galenus, nempe, & vt qui præsagit medicus optimus sit: & vt æger nihil delinquat, in his obseruandis quæ ab optimo medico, qui curandi ægri onus suscepit, imperata sunt. siue id in victus ratione, siue in medicamentorum exhibitione consistat, vtrobiq; enim insigniter contingit errare ægrum, vt experientia ipsa docet. Errata autem quæ ab ægris committuntur, non solum morbi solutionem morari, sed & in deteriorem qualitatem ac morem conuertere, tum & mortem etiam sæpenumero accrescere solent, ut libro 2, de febrium differen. & lib. 3. de crisibus, & hic quoque testatur Galenus. Quoniam uerò, tum præsagia euenire, cum & medicus optimus sit, & nihil æger deliquerit, Galenus affirmat: quis ille hoc nomine decorandus medicus sit, qui optimi nomen mereatur; quæque errata sint, quæ committere æger possit, quominus præsagia uera habeantur hic dicendū est. Ergo optimum medicum autor definitionū medicinalium (quæ Gal. falsò adscribuntur) eū esse existimat qui omnia quæ ad artis rationē pertinent, summa & optima agit ratione hoc est, methodo certa. Consummatus. n. tum profectò habebitur medicus (& ut

Cap. ult.

Galenus vocat) [illegible], cum in rerum contemplatione & actione omnes numeros impleuerit. Quamobrem meritò id verum esse existimare oportet, quod est ab Hippocrate libro de articulis dictum, multarum rerum peritiam habere debere medicum. Et libro de lege, eum qui se medici nomine dignum existimarit, oportere non natura modo, sed doctrina, institutione, industria, prudentia, & tempore, artis sibi notionem parare. Is itaque optimus medicus fuerit, qui in primis, naturæ omnis qua humana corpora constant notionem habuerit, elementorum scilicet ex quibus humorum genus constat naturam omnem pernouerit. Temperamentorum quæ ex elementorum varia mistione constant rationes omnes tenuerit, partium corporis omnium temperiem, structuram, situm, connexionem, vsumque, & vtilitatem quam in corpore præstant agnouerit. Qui facultates corporis rectrices, earũ actiones & instrumenta, nempè spiritus quibus actiones suas obeunt, perspecta ad vnguem habuerit. Qui morborum omnium rationes, differentias, eorundemque causas, & quæ vel eomittantur, vel sequuntur symptomata probè cognita teneat, qui alimentorum omnium vires, temporum, aeris, cœli ac regionis conditionem, & quid in corpore recte adhibita, vel contra, possint, quid item exercitatio quies, vigilia, somnus, inanitio, plenitas, animique accidentia inferre noxæ corpori valeant perspectum habuerit, illisq; non secundum rationem occurrentibus mederi: qui denique methodo certa futuris morbis præcautione prospicere, præsentes curare, remedia morbis idonea ac propria eademque probè cognita & experta præscribere sciuerit, qui denique de futuro morbi euentu futura prædicere, sedes affectas dignoscere, morborum tempora distinguere: & pro temporum morbi ratione quæ fieri expedit, fecerit, qui crises & iudicia vel instantia vel proximè futura pernouerit, qui signorum omnium ex quibus vel morbi, vel sedes affectæ depræhenduntur, rationem exactè tenuerit, is profectò in præcipuis erit habendus planèque medici optimi nomen merebitur. Nam quicunque talis fuerit, is & à pueritia optimis erit & artibus & disciplinis ornatus, & assiduo indefatigabilique labore in literas incumbet, veritatis vtique in sano amore percitus, tum verò & hac ratione methodum sibi vendicauerit qua tutò, celeriter, & iucundè curare possit, & in artis operibus prudenter uersari. Siquidem prudentem & exercitatum oportet esse medicum vt lib. & methodi medendi affirmauit Galenus. Hic est quẽ hoc loco optimum medicum vocauit Galenus qui nunquam in præsagio errabit, & euentura certo ac definito tempore prænunciabit modo ne quid delinquat æger. Porrò innumera ab ægris errata contingunt, si vel medico parum dicto audientes sint & imperata facere nolint, aut si nimia mollitie, etiamsi parere velint medico, quæ illis præscripta in salutẽ sunt auxilia sumere recusant, aut non congruo tempore, ordine, mensuraque sumunt, aut (vt peruicaces esse solent & morosi vt plurimum) excretiones opportunas tempestiuè factas à natura vel excipere nesciunt, vel sustinere non possunt aut nolunt. vt si plusculum sudent, si sanguis è naribus paulò copiosius erumpat, si fluat aluus, hæc ægri difficulter tolerant. vnde fit, vt peruertantur naturæ motus, & decretoria in diuturniores moras proferantur, vel tandem si magni errores fuerint, mors sequatur. vt & hoc loco Galenus, & libro 3. de crisibus, capite quarto adstruxit. Nec solum ab ægris, sed & ab assidentibus errara plurima committuntur. aut ob imperitiam, aut imprudentiam. cum non recte quæ illis imperata sunt administrare sciunt. tum & ab ijs quæ fortuito eueniunt. vt á vicinorum tumultu, canum latratu, tristi nuncio (vt parum antea Galenus dixit) & mille huiusmodi euentibus peruerti iudicia possunt, & morbi in deterius abire. ob id sapientissimè monuisse visus est Hippocrates, non solum seipsum, hoc est medicum, præstare opportuna facientem oportere, sed & ægrum, & assidentes & quæ extra sunt. Atque hæc huic parti explicandæ abundè sint.

lib. de subfigur. empirica.

li. 1. aph. 1.

Aduertit autem semper medicus animum his duobus, ceu sibi mutuò contrarijs nempè morbo & naturę. Primò ex fortioris cognitione, vel seruatum iri, vel perditum hominem pręnoscit. Deinde alterutrius excessu certum morbi tempus presagit. Nec mirari oportet, si vtriusque viribus perspectis, victorem deprehendas. videmus enim gymnastas, ex primis luctatorum insultibus non solum — Textus.

lum

lum vter sit superaturus prædicere, verum etiam præter victoriam sæpè quòd & aduersarium celerrimè sit prostraturus hoc asterisco inclusa in Græco codice Aldino desiderabantur quæ in Germania impressis Græcis codicibus habentur. Itaque medicus tum sanitatem, tum mortem prę︎sagiet: idque non ex alijs quibusdam exercitationibus, sed accurata roboris morbi & naturę cognitione. Cęterum ex ijs ipsis etiam alterutrius terminos reperiet. Quippè citò morbus, si uirtus fuerit robusta, soluetur: Sin imbecillis illa, morbus autem ualidior, mors accelerat. Sed excessus magnitudo, tempus termini indicabit. Hos ergo scopos animaduertens medicus, de exitu poterit prędicere.

Com. AD quid attentus medicus de morbi exitu rectè & prudenter prædicere queat scienter explicat tota hac serie Galenus. ostendens, quibus scopis, ceu tutissimis ad præsagiendum anchoris fultus id præstare possit. quod nullo negotio efficiet, si roboris morbi & naturæ rationem tenuerit, vtriusque ad alterum collatione facta. nempè ex morbo & natura omnis quæ de prædicendo est scientia sumitur. Itaque si quantum vis morbi supra naturam valeat, aut naturæ supra morbum spectet intente medicus, ex fortioris ratione (vt doctè hic colligit Galenus) vel seruatum iri, vel perditum hominem prænoscet. Nam si morbus valde naturæ robur superauerit, deficiet æger. quod vires naturæ ferendo morbo non satis sint: sin contra, natura vim morbi superet, prorsus breui euadet æger. Nec solum euasurum aut moriturum ægrum ex his scopis est dignoscere, verum etiam ex alterutrius excessu, virium inquàm morbi, aut naturæ, certum morbi tempus præsagiet. num inquam breui sit futurus status & decretoriũ morbi, num in longiores moras protrahatur. ubi enim vehemens & citatus fuerit morbus,

lib. 1. aph. continuo, & magnos labores (vt Hippocrates dixit) habebit: citoque suum vigorem nanciscetur, & iudicium accelerabitur. quòd morbi sæuitiam diu ferre natura nequeat. ob id qui huiusmodi morbi sunt, acuti meritò dicuntur. & ad finem breui perueniunt sin paulò mollior fuerit morbus, tantò protrahetur status atque crisis, quanto infra summam acutiem cõstiterit. verè igitur à Galeno dictum est, ex virium morbi & naturæ excessu certum morbi tempus præsagiri. Habere quoque & hæc pars alium sensum non ab ratione & Galeni sensis alienum potest. vt dicatur, ex virium morbi & naturæ excessu certum morbi tempus prę︎sagiri, hoc est, terminum certum quo morbus ægrum ad sui pernitiem in mortem deducturus est, si multò naturæ viribus superior fuerit, vel si in tanto interuallo natura morbum su-

Cap. 10. peret, in securitatem sit ægrum asserturus. Nam Galenus libro tertio de crisibus ex hac prę︎dicendi, & crises futuras dignoscendi arte, in tantum excelluit, vt non solum quo die esset moriturus æger, ex hac morborum supra naturæ vires exuperantia, sed & horam quoque mortis præsciri ex methodo ab eo eò loci prodita docuerit. ex accessionum videlicet motu, impetu, sæuitia cum quosdam in initijs morborum cruda adhuc existente morbifica materia, nõnullos in incremento morbi, alios in statu, in declinatione etiam particulari nõnullos mori eodem ipso libro, capite nono affirmarit. Igitur ex prę︎sciendi scientia tempus morbi depræhendi posse, & quo sensu id accipiendum sit, explicuimus. Reliqua explicemus. Similitudine quadam valde apposita deinceps ostendit Galenus, quonam pacto ex virium morbi & naturæ ratione perspectis, de alterutrius victoria iudicandum sit. Nam (ait) si Gymnastæ, exercitiorum, luctæ, ac pugnæ experientissimi, vbi primum luctatores cõmissos in luctam spectant; mox ea qua pollent Gymnasiorum scientia, ex primis eorum insultibus, motu, gestu, nixu, atque repulsu, norunt discernere non solum, vter luctatorum victoriam reportaturus sit, sed etiam quàm celerrimè aduersarium in terram prostraturus (quod & ipsi ex virium vtriusque perspecto tenore iudicare norunt) quid ni medicus, virium morbi & naturæ ex arte sua gnarus, vter in morbi & naturæ lucta victor, aut victus euasurus sit non agnoscet? Agnoscit id profectò & prædicere nouit, num æger morbum superaturus an

ægrum morbus ſit idque vtriuſque viribus perpenſis & in trutinam rationis & bilancem artis poſitis. quæ cum exactè tenuerit prudens & exercitatus medicus, certam profectò de his ſententiam feret. Rectè igitur ſubijcit hoc loco Galenus, medicum, tum ſanitatem futuram, tum mortem præſagire poſſe, non ex alienis exercitationibus, hoc eſt, non ex diuinandi arte, ex incertis indicijs ſumpta, ſed ex artis medicæ certis theorematibus, à quibus & certa quoque ſumit medicus de prædicendo dogmata, idque accurata morbi & virium ratione perſpecta: ex quibus, alterutrius, hoc eſt vel naturæ in morbum, ſuperando, vel morbi in naturam, vincendo, terminos reperiet quo inquam tempore, die, hora, vel morbus naturam ſuperabit, vel natura morbum. Citò nanque morbus finietur, ſi virtus firma robuſtaque fuerit, & ferendo morbo valida. ſin imbecilla naturæ vis fuerit, vel à natiuo temperamento, vel à laboribus, vel tandem à morbi violentia infirmior effecta, profectò tū mors infeſtabit. idq; tantò celerius quanto vis morbi ſupra naturam ſeſe efferet. quod & ipſum ſcienter protulit hac parte Galenus ſub calcem capitis inquiens, ſed exceſſus magnitudo, tempus termini indicabit quod eſt, tanto celerius aut mors aut ſalus ægro continget, quā to vel morbus naturam, vel natura morbum ſuperarit. indeque ex hac alterutrius in alterum robore & vi, prædicere certum tempus aut ſalutis aut mortis poterit medicus. ad quos ſcopos intentus medicus (quod hic pro fine capitis ſubijcit Galenus) de morbi exitu certo, tuto, ac verè prædicere quæ euentura ſunt poterit. quod illi glorioſum & honorificum fuerit. Porrò vt ne quid deſit quod medicinæ cultoribus vſui ſit futurum, præmonitos velim, eam partem quæ incipit. (itaque medicus tum ſanitatem tum mortem præſagiet) & quæ vſque ad calcem capitis ſequuntur, in Græco Aldino codice deſiderari, quæ tamen in exemplaribus Germaniæ excuſis plenè habentur, ne quem fallat addita particula hæc. aut temerè adiectam putet. utrumque enim codicem de induſtria conſului, vt verum nanciſcer.

## CAPVT DECIMVM NONVM.

Porrò quibus modis ſcopos dignoſcet, diffuſius in libris de criſibus pertractatum eſt. Sed etiam nunc generalis methodus, ut aliorum omnium, ita & horum dicetur. Proinde robur ex proprijs functionibus cognoſcendum eſt: magis autem ex iis quę pulſum ędunt, quoniam huius opifex uitalis facultas eſt. Magnitudo autem morbi ex ipſis ſymptomatibus. Textus.



Vi eſſent pręcipui ſcopi medico attendendi & diligenter rationis examine expendendi, ſuperiori capite expreſſit Galenus. eos dico ſcopos, qui ad rectè & verè de morbi exitu prædicendum faciunt. Hos porrò eſſe dixit, ſi naturæ & morbo ſit intentus medicus: & quis alterum ſuperaturus ſit, aut natura morbum, aut morbus naturam ſignis proprijs à naturæ & morbi robore aut infirmitate petitis, depręhenderit. Hoc capite, qua ratione naturæ robur, aut morbi magnitudo expendi debeant, doctè explicat. inquiens (& ſi ea de re libris de criſibus abundè dictum ſit) ne tamen mancus ſit hac parte futurus hic de artis conſtitutione liber, hanc ſe generalem ad id ſubijcere velle methodum teſtatur, quæ talis eſt vt naturæ robur ex proprijs functionibus dignoſcatur. præſertim autem ex vitalis facultatis quæ pulſum ædit (ab hac. n. de vita aut ſeruāda, aut vi morbi pereūte certa iudicia ſumimus) tū verò morbi magnitudinē ex ſymptomatis illi ūuel comitantibus uel conſequentibus depræhendamus. Porrò autem in libris de criſibus, præſertim eius tractationis libro tertio, quibus modis de futuro morbi euentu ad ſalutem uel mortem: longitudinem uel breuitatem, recidiuamue iudicandum ſit, diligenter & ſcite explicauit Gal. ſcopos ſumendo ab ęgri uirtute, morbi magnitudine quę ex ſymptomatis depręhendi debet. edoctus nimirum ab Hippocrate, qui ei in hac re facem pręlulit libris præſagiorum, Prorrhetici, & Pręnotionum Coarum. Quos item longo poſt temporum curriculo inſecutus Auicenna uidetur eadem ipſa recenſens quę Com. fen 2. quarti ca...

prius

prius illi tractauerant. Hos igitur ſcopos hic compendio tractat Galenus oſtendens, ex quibus robur facultatum ad depellendum morbum: ex quibus item morbi magnitudo dignoſci ad rectè præſagiendum debeat.

Robur facultatum.

Robur verò facultatum ex proprijs ipſarum functionibus depræhenditur. Siquidem, cū definiatur facultas, actionis cauſa, neceſſum quidem eſt vnicuiq; facultati propriam actionem aſſignare. & pro cauſæ agentis, nempè facultatis, vel robore vel infirmitate, talem ędi actionem. vt lib. 6. de ſymptomatum cauſis tradit Gal. Itaque vbi functiones hæ rectè & ſine offenſa obitæ fuerint, robur facultatum ex his demonſtratur. functionum enim integritas facultatum potentiam ac robur indicat vt citato proximè loco à Galeno habetur. Quo modo enim quod infirmum eſt & inualidum probas & inoffenſas actiones ędere poteſt? Ergo actiones rectè procedere, ſignum eſt certiſſimum bene valentium facultatum: valent autem tum facultates optimè, cum proba temperie, & ſtructura, membra quorum ſunt fruuntur. nec vlla in ipſis ſubeſt noxa qua facultates ipſæ à ſuis ipſarum munijs obeundis impediri queant. Ergo rectè dixit Galenus, robur ex proprijs functionibus dignoſci. Dicūtur autem propriæ functiones hæ, quæ à nulla alia facultate aut parte quàm ab ea cuius ſunt fieri poſſunt. vt pulſus propria vitalis facultatis functio eſſe dicitur. quòd à nulla alia quàm ab hac, & á corde à quo manat fieri poteſt. ſic ſenſus & motus propriæ functiones animalis facultatis & cerebri eſſe iure dicuntur. nutritio verò & ſanguificatio naturalis facultatis atque iocinoris propriæ ſunt. & ſic de alijs membrorum facultatibus vt ventriculi, pulmonū renum, veſicæ, & reliquorum omnium quibus aliqua ineſt agendi facultas, dicendum. Porrò morbi magnitudinem (quod proximè ait Galenus) ex ſymptomatis deprętendi, notius eſt quàm vt multis probari indigeat. ſequuntur enim ſymptomata morbum velut vmbra corpus. quod de pathognomonicis accidentibus intelligendum venit, non de ſuccedentibus. neque enim hęc perpetuo adeſſe morbo oportet, ut luce meridiana clarius fit. non enim ſemper uerbi grtia febri coniungitur aut capitis dolor, aut uentriculi, quin nec ſitis in pleriſque febribus recte igitur a Galeno hic dictum eſt, morbi magnitudinem ex ſymptomatibus dignoſci. quòd hæc non ſolum ſymptomata ſint morbum committantia, ſed etiam ſigna explicatiua morbi. quo enim uehementiora hæc fuerint eo morbum maiorem declarabunt. non enim aliter eſt morbi magnitudinem deprehendere. Itaque ſi quis (ut exemplo rem deducam) in febri continente anguſtiam patiatur, animi deliquium, delyriū inſomnia, inextinguibilem ſitim, linguæ nigredinem, capitis ingentem dolorem, aut nō uideat, neque ſentiat. ſitque uiribus exhauſtus an non magnam eam febrem quę tot pariat mala germina eſſe dicemus? Quot autem modis morbus magnus dicatur a Galeno libro 4. meth. petendum.

Propriæ functiones quæ.

Textus.

Quatenus autem natura morbum, uel morbus naturam ſuperat, ex concoctione cruditate deprendemus: Virtutem rurſum ex recremētis, uentris uidelicet per ea quę deiiciuntur: uaſorum, per urinas totius corporis per ſudores. Ita ex aliis uniuerſis ſuperfluitatibus, quę in una particula aut pluribus habentur: quemadmodum thoracis pertuſsim: uecicæ autem, aut renum, per ea quæ cum urinis inferuntur. Iecinoris cauæ partis, & meſenterii uirtus noſcitur ex ijs quæ per ima deſcendunt. ſuperioris uentriculi & ſtomachi, ex iis quæ uomitu reiiciuntur. At hoc omnibus eſt cōmune, puta morbum prius non poſse ſolui quam in excrementis ſigna concoctionis appareant. ſiue aures laborēt, ſiue oculi, ſiue aliqua particula, fuerit exulcerata. & ut ſummatim dicam, concoctiones, criſis uelocitatem ad ſalutem ſignificant. cruda uerō, incocta, et in prauos abſceſsus conuerſa, nullam criſim, uel labores, uel mortes, uel morborū recidiuas nunciant. Hęc de pręſagiis in pręſentiarum ſufficiant. omnia ſiquidem quę de his dici poſsunt, peculiaribus libris ſumus executi, pluribus ſanè particulatim, ſed ferè omnia theoremata complectentibus, quales ſunt de pulſibus, de diebus criticis, & de criſi inſcriptis. vnde

de quid em prȩſagia quis ſumat hiſce commmentariis oſtenſum eſt.

IAm methodum quam ſe de præſagiendo traditurum hoc capite propoſuerat Galenus abſoluere cupiens, adijcit quȩ deeſſe ad integritatẽ eſt arbitratus. nempè, quonam pacto natura morbum ſuperatura ſit, an morbus naturam præſagiri rectè poſſit. indicans, prout naturæ robur ex proprijs functionibus eſſet cognoſcendum: & morbi magnitudo ex ſymptomatis morbo proprijs, ſic quoque ſi de alterutrius ſuper alterum victoria, hoc eſt naturæ ſupra morbum, vel huius ſupra naturam præſagiendum ſit, id inquam ex coctione vel cruditate eorum quæ infeſtãt depræhendemus. coctio namque, naturæ ſupra morbum victoriam: cruditas contra morbi ſupra naturam indicat. Siquidem (quod paulò poſt dicturus ex mente Hippocratis eſt) coctiones, criſis velocitatem ad ſanitatem demonſtrant: Cruda verò & incocta & in prauos abſceſſus conuerſa, nullam criſim, vel labores, vel mortes vel recidiuas ſignificant. Cum igitur citra coctionem ſolui nequicquam morbus poſſit (quòd coctio naturam cauſis morbificis ſuperiorem fuiſſe declarat vt ſuperiore capite dum de concoctione loqueremur oſtẽdimus) ſequitur profectò, ſi ad ſalutem finiri morbus debeat, nocentis humoris concoctionem præcedere oportere. ſic enim natura facere ſuaptè ſponté conſueuit, vt primum noxia concoquat, concocta ſecernat ſecreta poſtea abijciat & vt inutilia excernat. vt Galenus libro 1. aphoriſmorum, Com. 22. & lib. 4. Com. itidem 22. conceptis verbis affirmauit. Quin & virtutis in ſuis functionibus robur ex recrementis eiectis etiam cernitur eiuſve infirmitas. vbi enim quæ educuntur, quacunque tandem via educantur, cõcocta ſunt, facultatem validam eſſe: & ſuperando morbo idoneam indicant. contra ſi cruda, non ſuo tempore & cum ægri mala tolerantia excernantur, infirmum eſſe demonſtrant. vt exemplis aptiſſimis hic probat Galenus. quæ cum facillima ſint explicatione non egent.

Com

lib. 1. Epid.

## CAPVT VIGESIMVM.

Ac mihi ſanè videtur medendi methodus iam finem habere: quãdoquidem eos qui à morbis conualeſcunt, recreare conuenit: alijs qui his ſunt proximi, proſpicere: reliquos qui inculpata ſanitate fruuntur, in ea conſeruare. Quumque tres circa hoc medicinæ partes verſentur, conabimur etiam de harum conſtitutione pro uiribus compendioſè differere.

Textus

VT abſolueretur methodus ea quæ ad conſtitutionem artis medicæ pertinet, ea explicanda reſtabant, vt qui à morbis conualeſcunt reficiendi ſint, atque methodo tractandi: tum, vt qui in morbos decidere parati ſunt, & hi quoq; ne in morbos incidant, præſeruandi vt ſunt, tum verò vt in optimo ſtatu naturȩ benignitate ſiti qui ſunt, ſeruandi veniant. Quibus conficiendis tres medicinæ partes inſeruiunt. Recreandis enim à morbo conualeſcentibus (quos medici neutros conualeſcentiæ rectè nominant, quòd neque inter inculpatè ſanos, nec inter verè ægros, quorum ſunt actiones offenſæ numerari queant) ea medicinæ pars ſeruit quæ à Græcis dicitur. ἀναληπτική quaſi refectricem aut renutritoriam dicas. Nempè cum ſint conualeſcẽtium corpora á morbo imbecillia exanguiaque relicta, ob eam quæ in morbo accidit naturæ aduerſus eum pugnam, ob diſſolutum natiuum calorem, ob proſtratas membrorum vires, & exhauſtum ſpiritum vitalem, qui multus per morborum vim diſſolui conſueuit, efficitur, vt refectoria ac renutritoria artis parte hi indigeant. quò natura reſarciatur quod illi per vim morbi perijt. His vero qui in morbum caſuri ſunt, ob eam quæ iam in corpore latet morbificam cauſam, proſpiciendum eſt, ac antequam in morbum incurrant, ſumma prouidentia præcauendum, atque hæc artis pars eſt quam προφυλακτικήν Græci vocant. hoc eſt

Com

est,præuisiuam & prospicientem quid facto sit opus, antequam in morbum incidat æger. Siquidem ( vt Galenus in medico ait)præstat morbum non admittere,quàm admissum curare. Tertia ea pars est,qua,qui optimo statu præditi sunt, in eo ritè seruantur, quam ὑγιεινὴν vocant. Præuisoriam autem partem Galenus hoc loco,primo in genere constituit. non quod ea principem locum in ordine partium medicinæ teneat (si quidem primas partes obtinet quæ optimum statum tuetur ac seruat. vt lib. 1. de sanit. tuenda Galenus ) sed in genere eorum quæ rebus præter naturam in corpore existentibus prospiciunt,primas præuisoria medicinæ pars iure obtinere dicitur. quòd(vt antea ex Galeno attulimus( præstantius longè sit,& vtilius,morbum non admittere quam admissum curare. An enim non præstet(& si nō omnino inculpatas)tales tamen edere actiones,vt ab munijs vitæ necessarijs homines nō impediantur,quam ita iam offensas habere vt decumbere ob eas sic læsas cogantur? meritò igitur hic Galenus,in primo genere consistentem eam medicinæ partem facit, quæ preseruatiua dicitur ad eum,quem modo exposuimus sensum. Neque verò quæ a medendo dicta pars est,sua laude caret.cum ab ea(vel Galeni testimonio(vniuersa medendi ars nuncupationem sumpserit.quòd morbis mederi sciat, hoc est, pro ipsorum ratione congrua & morbo apposita remedia adhibere.hoc siquidem curare est,quæ profectò, potissima inter medicinæ partes habenda est earum dico quæ rebus præter naturam amouendis inseruit. Potior hac habenda est,quæ sanitatem tuetur,quanto optima frui sanitate, morbosa dispositione præstat estq; & securior & vtilior ea quæ offensas iam actiones habet quam & morbum nuncupamus.

lib. de par. tis medicatiuę.

**Textus.** Quoniam igitur,sicut antea quoque dictum est,tria sunt in vniuersum genera rerum præter naturam existentium,causæ videlicet, affectus, & symptomata: prouisio vtique pars artis erit,quam & propriè vocant prophilacticen, in primo genere consistens.

**Com.** TRia esse in vniuersum,eorum quæ corpus præter naturam infestant genera, cum hic,tum verò lib.de symptomatum diff. Gal.expressit.causæ videlicet morborū generatrices,cum morbus nullus sine productrice aliqua causa,externa inquam aut interna fieri nequicquā possit.cum axioma sit medicū,nihil quicquā sine causa fieri vnquam posse. vt lib. 2.meth. med.a Gal. proditum.causas sequuntur affectus ab ipsis geniti: qui nihil prorsus aliud sunt,quam constitutiones præter naturā primo ac per se actiones lædentes. vt vbique passim testatur Gal.symptomata autem veluti morborū germina morbos sequuntur & illis succedunt vnde ἐπιγίνηματα,quasi succedentia dicas, a Græcis nuncupata sunt.quæ vero medicinæ partes his tribus inseruiunt generibus,sępius a Galeno tum hic, tum libro de partibus artis medicatiuæ dictum est. nempè affectui curatio, causis morbificis latentibus:necdum morbum generantibus,prouisio debetur.quæ in hoc genere primas obtinere dicitur.

li.de morb. diff.libr.de symp. diff. lio. 1. de sa. tu.li. 2.me tho.med.

**Textus.** Quando enim vel copia humorum,vel grauitas,vel obstructio, vel corrumpens virus corpori innascitur,metus est ne statim homo ægrotet, aliquando etiam extremè periclitetur. Porrò difficile huiusmodi causæ queant cognosci,vt potè hominem minimè infestantes.

**Com** Ostendit hac serie Gal.quibus præcipuè in corpore existentibus rebus preter naturam prouisio debeatur.prouisione tum vtendum sentiens,cum causę morbificę in corpore latent,nondum tamen morbum inferentes.quo in genere sunt quas medici antecedentes & corporeas causas dici volunt,nempè cum vel copia humorum,vel grauitas,vel obstructio in corpore subsunt.aut corrumpens totam substantiam venenum.Cum hęc adfuerint, tum profecto cautione opus est,ne in morbum incurrat homo.Siquidem ab ijs causis in corpore latentibus,vtpotè morbificis,metus est,ne morbus mox consequatur.Copia nāq; humo

rum

rum,plenitudinis morbos creare ſolet.vt lib,de ſang.miſſ.de plenitudine,& lib. 1. aphor. Com.3.& lib.4.de ſan.tu.à Gal.proditum eſt.ad quã vtique membrorum grauitas, ceu plenitudinis germen ſequitur.vnde eſt illud Hippocratis,labores ſpontanei prænunciãt mor- *lib. 2. aph* bos.ad obſtructionem verò(quæ meatuũ obductio & oppilatio eſt( prohibita diſſlatio,indeque putredo & febris innaſci ſolent.vt lib.9.& 11.meth.med.prodidit Gal.Cum autem virus corrumpens,corpori innaſcitur,maior tum metus abeſt ob latentis ſubſtantiæ pernitiem quæ toto genere deleteria cum ſit,immedicabilem plerunque noxam inferre ſolet: vnde etiam appoſitè hic à Gal. dicitur, interdum etiam extremè periclitari hominem. is porrò extremè periclitari dicendus eſt, qui morbi grauitate & malitia in certam mortem progreditur.Hoc nanque eſt extremum & omnium maximum periculum, vitæ amiſſione mortem obire.Alia pericula,longitudinis morbi,recidiuæ,aut grauitatis ſymptomatum, præ hoc leuiora habenda ſunt.nec ab ijs(niſi lethalia omnino fuerint) extremè periclitari dicetur homo.Quoniam verò hoc loco Gal.corrumpens virus corpori innaſci poſſit. poſſe autem,Gal.aduerſus Pelopen præceptorem aſſerint.& lib.item ſexto de locis affectis c. 5.de vteri affectibus.verum & ſi experimento conſtat,tetros in corpore & veneni naturam reſipientes humores gigni,vt æruginoſam bilim,tabo peſtilenti infectus ſanguis,humoresve alij,non tamen dicendum à natura id vitij oriri in nobis.cum ſit natura noſtri conſeruatrix,nec in tantam ipſa pernitiem humores deducere poſſit, vt veneni naturam ſapiant. cum ſit venenum aduerſaria quædam noſtri corporis corruptrix ſubſtantia, quæ nunquam vi aut opera naturæ gignitur.Sed cum id tamen in corpore fieri cernamus, cenſendum vitio materiæ & malignitate à natura valde degenerantis & alienæ id effici. quæ a natura derelicta,nec regimini eius obediens,in qualitatem veneno perſimilem degenerat.paria inducens in corpore quæ venenum ſymptomata.vt de ſemine retento, de bili æruginoſa,de peſtilenti putredine infectis humoribus:multis Gal.locis ac teſtimonijs conſtat. Itaque à morboſa quapiam cauſa eaque graui intus latente, vtpotè intemperie partis vehementi, cum affluxu vitioſæ cuiuſpiam ſubſtantię à natura valdè alienè,aut morbida aliqua & peſtilenti excretione intrò concepta,putredineve mali moris,concipi in corpore venenoſa aliqua ſubſtantia poteſt.quæ inſtar veneni in perniciem dedat corpus. non tamen id à natura fieri dicitur,quæ ſemper ad tutelam,non ad pernitiem corporis nititur, ſicque propoſitæ quęſtioni ſit ſatisfactum.

*An venenũ in nobis innaſci poſſit*

*lib. 11. met. lib. 5. apho. com. 1. libr. 6. de loc. affe. c. 5. lib. 1. de feb. di.*

Cũ itaq; talia in corpore ſubſederint qualia hic dixit Gal.nẽpè humorum redundãtia,vitiumve,aut obſtructio,aut venenoſa quæpiam ſubſtantia,tum accurata prouidentia inſtãtibus morbis occurrendum erit vel ſanguinis miſſione,uel purgatione, uel alexipharmacorum & antidororum exhibitione ne in graues morbos,qui inde naſcituri ſunt,homo incurrat.quod hic prudenter & ſcitè monet Galenus.

Sicut venenum canis rabioſi,cuius nullum ſignum peculiare in corpore contineri inuenitur antequam commorſus rabie propemodum conflictetur. *Textus.*

*Com.*

SOlemne Galeno eſſe ſolet methodos propoſitas exemplis confirmare rei maximè congruentibus. qua ratione ſcitiſſimè libro nono methodi dixiſſe cum legimus,optimam eſſe quæ in exemplis fit exercitationem.eaque pro potioribus habenda,quæ ipſi oculis uſurpauimus.id perpetuo obſeruans Galenus, deeſſe hoc loco methodo à ſe ſeruatæ noluit.Nempè cum præcedenti ſerie accuratè proſpiciendum eſſe morbificis cauſis intra corpus latentibus ne morbum inferrent,dixiſſet, id exemplo confirmare uolens, rabioſi canis morſu illatum in corpus uenenum adfert. ut cuius cum nullum ſeſe prodat peculiare & proprium in corpore ſignum,priuſquam commorſus rabie propemodum præhendatur,oſtendit quanta prouidentia tanto malo occurrendum ſit. ne in rabiem efferentur homines eo tabo infecti. Quoniam uerò de rabioſi canis morſu hic agit Galenus, æquum viſum eſt, vt ea de re ad ampliorem huius loci ex-

De rabie canum dissertatio.

plicationem accuratè tractaremus. nempè quid rabies sit, & vt in canibus quoue tempore generetur. Quæ animalia rabiem incurrere soleant: quibusve signis ea depræhendantur, cur hydrophobi, hoc est aquæ metuentes, tandem fiant: quidque eis potissimum opituletur. quibus absolutis finem commentationi faciemus. Ergò rabies, furor quidam & agitatio est in animante, cum ita iactatur & furit, vt vno loco quiescere non possit, huc atque illuc rapiatur, & extra se sit. apud antiquos rabiam etiam dici inuenio.

Nonnulli rabiem quasi raniem dici putant à raucitate vocis in quam rabiosi canes incurrere solent. ob partium voci & latratui seruientium siccitatem, & cum ardore asperitatem. vnde rancos tum fieri canes experimento comprobatur. Græci furorem huiusmodi & rabiem λυττᾶν appellant, παρὰ τὸ λύειν τὸν νοῦν, id est à mentis seu potentium interiorum animalium alienatione seu resolutione. Porrò affectus hic maximè in canibus perspicitur præsertim, si qui ex ijs viuidiores aut pugnacissimi sint quòd sicco temperamento cũ sint, bileque plurima abundent, ea, si occasione aliqua exæstuetur. vt in atram degeneret facilè rabie tum canes tentantur. Arist. autor est, canes non solum rabie, sed & angina, & podagra quoque infestari solere. Porrò autem quo tempore in eis rabies huiusmodi gignatur dicendum iam venit. Aestiuis ardoribus & frigore glaciali in rabiem agi canes exploratissimum est. & identidem testatur Auicenna summo æstu in rabiem efferari canes ob id euenit (vt Aphrodiseus Alexander affirmat) quòd cum canes habitu sicciore semper constent (quæ eorum temperies & natura est) efficitur, ut per æstum magis inarescant & sicciores euadant. quasique in tabitudinem deducantur. humor enim contentus in his, totusque habitus concalefactus resiccatusque, supra modum incenditur. Itaque ritu hominum per febrem insanientium (Alexander ait) furiunt, & saliuam siccissimam, rubiginosissimamque emittunt. Incendi totum habitum constat, eò quòd & frequenti ore anhelant, & oculos igneos habent, & fauces reserant, & ore hiscente vagantur, vt refrigerentur, cauda illis demissa est, & præ nimia siccitate tabescens & extenuata. Astrorum periti censent, sidus quoque caniculæ, quæ ardores maximos, grauissimosque æstus inferre solet, rabiem canibus per delibationem quandam cœlestem atque influentiam emoliri. Hæ causæ sunt, cur æstiuis ardoribus canes rabie tententur. Cur verò hyeme glaciali & rigida? ꝙ concretus intra viscera glaciali frigore ater sanguis, & obductis stipatisq; cutaneis meatib. difflari prohibitus, situm contrahit atque putrilaginem, vnde in rabiem efferari canes contingit. Diximus quid rabies sit, vnde gignatur, nempè à canis permutato in alienam quãdam & pernitiosam qualitatem temperamento, ex atrabilarij sanguinis vitio originem ducente. quod & Auicenna testatur. Nunc quæ animalia incurrere rabiem soleant præter canem, breuibus dicendũ. Præter canes, mulos, asinos, vulpes, mustelas, camelos, murenas, equos, maximè generosos, simias quoq; rabie tentari experientia docet, & testantur authorũ celeberrimi Arist. Columella, Plinius, de mulo testari ipse plena fide possum. qui cũ mulũ generosum, ambulonem & citatum nactus essem, pullo colore nigrantem, & vasto corpore, in rabiem æstate æstuosa incidit. tumque nullius generis capistra, ne ferrea quidem continendo mulo satis erant, nec quisquam accedere ad eum audebat, ita calcibus & dente omnia impetebat. Cũq; ad cõpescendũ furorẽ, validos homines in id cõpositos aduocassem, vinculis multis adactis currui mulũ alligauerũt. quẽ tñ mulus, vt erat ferox, & in rabiẽ actus, vi & cursu valido ad plus quinquaginta passus solus traxit, seq; vinculis liberauit. tandẽq; solertia æquisonis cuiusdã velato muli capite sensim & subdolè in rhodanũ iniectus, flumẽ tranauit affatim potãs subindeq; sanatus est mulus. sed quẽ tñ meum esse amplius nolui ne me præcipitẽ in saxa daret. Quibus aũt signis rabiosi canes deprehẽdãtur, cognitu facile ẽ. Siquidẽ inanes & vagi demisso capite incedũt, toruũ aspiciẽtes, rubẽtibus oculis, fluẽtibus buccis & spumã tetrã ac vitiosam promẽtibus. tristes ac lãguore cõfecti, obuios quosq; sine discrimine mordẽt, feras atq; hoĩes: domesticos, nec dñm q̃dẽ agnoscũt, vtpotè furore correpti oblatos cibos recusant, aquę aspectũ nedũ potũ horrẽt linguã foris exerũt, & colorata apparet: subsiliũt, moxq; cõsistũt, demissis aurib. extenuato corpore & squalidoq̃ oĩa pulchrè à Gal. li. de theriaca ad Pisonẽ describũtur. Excitaẽ aũt in ipsis rabies nõ solum ijs quas modo diximus causis: sed ẽt morticinarũ, putrescentium, vernibusq; scatẽtium carnium æsu quin & fluentis iam marcidi ex eis sanguinis. Quod si fuerint hæ carnes eorum animalium,

quæ

Marginal notes: lib. 8. de histo. animal. c. 22. — fen. 6. 4. tractu. 4 cap. 5 — lib. 1. prob. 74 — vbi supra — Historia de mulo rabioso — Signa rabiosi canis

quæ vel pestilentia, vel ictu fulminis, vel veneno perierunt, maiore tum rabie tentantur. prout etiam si putrentes aquas coeno & tabo infectas ebiberint. ꝙ hæc omnia atra bilarios succos generent, augeant, & putredine corrumpant. vnde rabiem gigni perinde atq; in hominibus cum hæc præualuerint necesse est. Cur verò à rabiosis canibus demorsi, cum ad extrema ventum est, aquam paueant: sicq; hydrophobi fiant nunc dicendum. ad quod graue symptoma antequam perueniatur, qui demorsi sunt si morbum negligant, præter morem moesti, tristes, cogitabundi fiunt. & insueta mente reuoluũt. iam in illis imaginatione corrupta. ꝙ veneni vis sursum repens cerebri facultates labefactet, vnde aliena cogitant & falsis imaginibus tentantur insanientium aut melancholicorum instar. proindeq; insomnes ducunt noctes & peruigilio tenentur. & si quando dormiant, sæpe illis interrumpitur cum pauore somnus. domesticorum consortia vitant, solitudinem diligunt, secum ipsi submurmurant & inania loquuntur. extremarum partium nerui etiam conuelluntur. Postremò, cum se malum altius egerit, clamant, rixantur, & canum more latratus edunt. tandemque in vltimis aquam expauescunt, certissimum mortis & inexpugnabilis veneni indicium. dicente nimirum Dioscoride, ex ijs qui hoc vitium senserint pauoris aquæ, neminem seruatum se vidisse præter vnum aut alterum ex historiæ fide. Huius porrò tanti tamque verendi symptomatis aquam expauescendi, causa potissima est, quòd melancholici effecti, & extra se positi, corruptis vtique & infectis veneno principibus cerebri facultatibus, non norunt quod illis saluberrimum foret. proindeque recusant ac metuunt aquam præsidium singulare, quo solo curari possent. idque maximè euenire insigni & occulta quadam ac cæca veneni huius prauitate. Qua de re Gal. lib. de theriaca ad Pisonem hæc scripsit. Non. n. (ait) corpus duntaxat ipsis inarescit, & conuellitur interdum, febriq; acri intus vritur, sed animus etiam delirat, & grauissimum ipsis adfert symptoma. Quippè aquam timent, ac propter multam siccitatem humidi tenentur desiderio, & potu abstinent, quia mente alienati id quod auxiliari possit non considerant. Fugientes enim aquam pauoreque ab ea correpti miserrimo mortis genere intereunt. Hactenus Gal. Censent tamen Aetius, Posidonius & Rufus, aquæ metum in sic affectis ob id accidere posse, quòd rabidi canis imaginem videre se in aqua existiment. cuius speciem horrentes, & protinus ingenti terrore corripiũtur, & aquam refugiunt nec potare audent. At Philosophus quidam á cane rabioso demorsus (Aetio referente) egregia animi virtute præditus nihilq; inanem speciem canis obuersantem veritus, dixit. Quid cani cum balneo? intrepidusq; sese in aquam immittens affatim bibit, sicq; sanatus est. vnde postea in prouerbium abijt. Quid cani cum balneo? Signum verò salutis futuræ (Auicenna ait) si quis à cane rabioso demorsus & iam aquam expauescens, sese in speculo contemplatus agnouerit, huic salutis spem non deesse. idq; ratione optima. Siquidem seipsum in speculo nouerit, significat veneni vim non adeò sese in corpus, facultatesq; cerebri effudisse, quin integræ adhuc maneant aut saltẽ non ita lęsę quin cognitrice potentia seipsum cognoscere possit, sese dum in speculo intuetur. Id magis mirum & profectò incredibile & fabulosum, quod ab eodem autore dicitur minxisse quosdam sic affectos carnea frusta ingenti cum dolore, quæ propè forma catulos paruos repræsentent quod & gentilis Auicennæ interpres, & cõciliator abundè testantur. & à multis eo morbo sanatis auditũ est, se huiusmodi catulos minxisse. quod reuera mirum uideri potest. sed mira tamẽ in corporibus, pręter naturã illiusq; institutũ euenire quotidie cernimus. Porrò quibus p̃sidijs sanari possint à rabioso cane demorsi, iã nũc vltimo loco subijciemus. sicq; cõmentationi huic colophonẽ addemus. Cancrorũ fluuiatiliũ sarmentis albæ vitis crematorũ cinerẽ, & gẽtianæ radicẽ tusam, pręcęteris omnibus auxilijs præfert Dioscorides. si ea ex viuo meraco dẽtur. tũ labia vlceris acie scalpelli circunscribere, & prehensam hamulo aut volsella carnẽ dẽte cõmorsam amputare, & circũstãtia loca altioribus vlcusculis scarificare, vt copiosior sanguinis emanatio arceat, ne venenũ mẽbratim insinuetur. & si locus patitur, cucurbitulas cũ multa flãma atq; scarificatu affigere loco affecto oportet, vt veneni vis extrahatur. vstio aũt, si tolerare eã æger possit, expeditissimũ & præsens est remediũ. ꝙ ignis, cętera viribus præstet, simul ꝙ virus domet, & ferri penitius non patiatur, simul ꝙ pars ignẽ experta, postea haud vulgare commodum curationi futuræ præbeat. manente diutius vlceratione, quod in huiusmodi morbis salutare admodum est.

Signa demorsorum à cane rabido.

lib. 6. cap. 6

fen. 6. 4. tracta. 4. ca. 7.

vbi supra.

diff. 179

lib. 6. c. 37.

Cauendumq; ne citò vlceris oræ coalescant, & cicatrice induantur. sed si fieri potest, ad multũ, idq; præstitutũ tẽpus, vlcera prorogari cõuenit. quod muria, vel ægyptiacũ inditũ optime præstare solent, vel cepæ, alliumve detritum. Quin inter septica primas obtinet argentum sublimatum vnguentis refrigerantibus intermistum vt minus doloris inferat, & locum non inflammet. Præcipitatum etiam ritè confectum, & in tenuissimum pollinem redactum, & vlceri admotum, omnes mirificè commendant. & mihi familiare magno successu esse solet. victus ratio sit, quæ excrementis careat, nec prauos humores gignat, lac potũ, & vinum meracum summo præsidio sunt, vt Dioscorides testatur. Cancrorum fluuialium esus vnicè commendatur. Porrò nec sanguinis missio, nec purgatio ab initio conueniunt. ne in intima corporis trahatur venenum. Clisteribus acrioribus vtẽdum. Demum verò in progressu, purgatio probè conuenit. Antidotis autem magis per initia, quàm deiectorijs medicamentis pugnandum. quin & toto curationis tempore antidotis perpetuò vtendũ, quæ ceca potestate morbo auxiliari queant. Cætera quæ in hanc rem multa afferri possent ex alijs petantur. Atque hic iam finis esto.

Lib. 6. c. 39.

Textus.

Quare necessarium est ægrum à medico de omnibus interrogari quæ ipsi accidunt. Quum tamen copia quædam, vel humorum prauitas in corporis mole suboritur, aut viscus aliquod obstruitur, licet nobis ea dignoscere per quædam symptomata media quodammodo eorum tum quæ sanis insunt, tum quæ ęgris accidunt. Etenim quæ in sanis sunt, omnia secundum naturam inculpata habentur. quæ ægris accidunt, præter naturam & culpata existunt. Quæ in horum medio consistunt, ex genere quidem eorum habentur quæ morbis eueniunt, sed tam exigua magnitudine, & viribus imbecillia, vt solitæ vniuscuiusque functiones non impediantur. Si nanque dolor capitis, vel alterius cuiuspiam partis fuerit, adeo parua est, vt hominem nondum lecto decumbere cogat: at siue grauitas in præcordijs, vel capite, vel alia parte, aut viscere, neque hæc satis est quæ à solitis functionibus hominem remoueat. Insuper nec tumor corporis, vel gracilitas, vel coloris priuatio, & mouendis membris pigritia, uel somnolenta dispositio, uel uigiliæ, à munijs ad uitam necessarijs abducere sufficiunt: imo nec cibi fastidium, uel appetentia aucta. Ambo siquidem corpori non adamussim sano accidunt, quemadmodum si citra rationem se uel potum appetere, uel negligere, uel in stomacho morderi aut uentriculo, uel se lassos sentiant. talis enim species est illorum quæ ægrotaturis contingunt. Porrò affectuum qui illa generant correctio, summatim contrarijs, uti prius ostensum est, celebratur. Particulatim uerò loquendo, omne superuacuum expurgari debet, distinctione prius facta, siue copia, siue qualitate, siue utroque delinquat.

Com.

Li. 4. de rat. uict. acut. textu 51
Celsus li. 2

VT de affectibus rectè iudicemus, salutariaque admouere præsidia valeamus, necessarium quidem est medico ægrotantes, qui se illius curæ committũt, de omnibus quæ ipsis accidũt: quin & de his quæ præcesserũt interrogare. quod & diuinus Hippocrates atq; celsus prudentissimè monuerunt. Siquidem percunctatio hæc ad causarum morbificarum, affectusve cognitionem non minimũ facit. Proinde sciscitari oportet nũ alserit, nũ rigore correptus æger fuerit, nũ plus iusto incaluerit, nũ corpore fractus sibi videat, nũ ad labores segnis & piger, nũ sõnolẽtus aut vigil, nũ oris amaritudinẽ sitimq; ꝑpetiat, nũ cibos auersans, nũ nimiũ appetẽs. ad hęc

qua corporis parte doleat, quid potiſſimum infeſtet, quid vrgeat & quieſcere non ſinat. quibus delectetur, quæ abhorreat. qua diei vel noctis hora conflictetur magis, qua pacatius degat. an adſtricta an ſoluta aluo ſit, an vomitu ac nauſea prematur. & num ab externis & procatarcticis cauſis in morbum inciderit, nempè æſtu nimio, frigore, labore, imbribus, niue, glacie, ventis. an ſine his præcedentibus, in morbum de repente incurrerit. num grauitas & laſſitudo præceſſerint, num anxietas & vigilia ab his. n. interrogando intellectis, & & de ſede affecta & de affectu ipſo cenſere rectè poterimus. cognitis vtique ex interrogatione effectricibus cauſis, ſede affecta, & affectus natura, ſicque ſalutaria morbo remedia efficaciter adhibere ſciemus, oſtendit autem poſtea Galenus, per quæ ſymptomata dignoſcere poterimus quæ in corpore lateant nondum quidem morbum efficientia, ſed mox effectura. Si. n. (ait) aut copia, aut humorum prauitas, obſtructione corpus infeſtarint, id deprehendere eſt per ſymptomata quædam media eorum quæ ſanis, & quæ ægris accidunt. qui ſalubri & ſano corpore ſunt, omnia quidem inculpata habeant & ſine noxa ſint: qui ægrotant, læſas habet & offenſas actiones: atque ob id præter naturam habere dicuntur. ſed qui in horum medio conſiſtunt, qualia ſunt quæ neutra decidentiæ corpora dicuntur, neq; omnino inculpatas, vt ſani qui ſunt, neque item adeò læſas actiones habent, vt qui ægrotant, factoque decumbere coguntur ſed cum modicé afficiantur, & ſymptomata tamē morboſa patiantur, capitis dolorem, in præcordijs grauitatem, tumoremve aut gracilitatem corporis, aut decolorationem, ſegnitiem, ſomnolentiam, aut peruigilium, cibi faſtidium, aut appetentiam immodicam, vt in fame canina, aut ſi ſitibundi ſint, potumve aſpernētur, aut ventriculi ore (quod ſtomachum vocant) aut ventriculo ipſo morderi ſe ſenſerint, aut ſpontanea laſſitudine teneantur (quæ omnia ægrotaturis contingere ſolent (nihilo ſæcius tamen lecto decumbere non coguntur. præ horum ſymptomatum exiguitate. vnde eſt illud Galeni lib. de locis affectis priore, naturam non egere medicamentorum auxilio niſi, morbo magnificato nequiuerit ſuperare exiguos: nanque morbos natura per ſe ſuperat vt vt idem dixit. Affectus verò qui hęc ſymptomata generant, contrarijs curari, vt antea dictū eſt, oportet. Particulatim verò & contractius loquendo, ſuperuacuum omne expurgari deſiderat, diſtinctione prius facta num copia, num qualitate, num utroque delinquat. Hic verò obſeruandum copiæ nomine Galenū eam multitudinem humorum intellexiſſe qua ſucci omnes ex æquo abundant & naturæ negotium faceſſunt; quam πλητωρα Gręci vocant, prauitatis autem homorum nomine, unius alicuius humoris redundantiam, nempè bilis, pituitæ, aut atræ bilis quam cachomiam, hoc eſt ſuccorum uitium aut prauitatem nominā. uiſcera porrò obſtrui, eſt ipſa in ſuis meatibus obducta eſſe. uiſcerum autem nomine potiſſimum, hæpar, lien, uentriculus, inteſtina, ueſica & renes intelliguntur. grauitas autē quocunque in loco conſtiterit, uel humorum redundantiam, uel obſtructionem indubiè ſignificat. ſchyrrhumue in parte conſiſtentem, aut inflammationem ſi cum febre fuerit. ut lib. 2 de locis affectis capite eodem Gal. Corporis tumor, hoc eſt obeſitas, vel à nimio cibo & potu, deſidia, ſomno multo prouenire ſolet. vt de Nicomachi corpore exemplificat Galenus quod præ nimia mole ſe mouere non poterat. Gracilitas autem à cibi & potus paucitate, a laboribus, vigilijs, curis, & angoribus: tum & ab adurentibus febribus & alijs extenuantibus prouenire ſolet. Decoloratio autem, à ſanguinis & humorum vitio: ſi nanque in albū mutatus ſit color, pituitę redundantiam, ſi in pallidum aut flauum bilis, ſi in lucidum & nigrum, atræ bilis exuperantiam ſignificat. Pigritia humorum copiam, ſomnolentia frigidiorum & lentorum humorum in caput repentium multitudinem, peruigilium, acrium humorum raptum, uel ſiccitatem nimiam demonſtrat. Cibi faſtidium, humorum in uentriculo contentorum aut aliunde influentium redundantiā arguit. uti nimia appetentia frigiditatem immodicam aut inanitatem ſequi conſueuit. Nimia potus appetentia, ualidā ſitim & caloris copiam, uel humoris inopiam ſequitur. ut Gal. lib. 1. de ſimpl. facul. c. 30. dixit, ſuperuacuum omne uacuari deſideret: nempe, quod uſui amplius naturæ eſſe non poſſit. unde merito ob id ſuperuacuum dictum eſt ſed ſi ex humorum copia tale ſit, ſanguinis miſſione, ſi qualitate, alteratione & purgatione conuenienti humori. ſi utroque peccet, nempè & copia & qualitate utrique apta euacuatione depellendus erit.

Textus.

## CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Quod in naturalem statum redire potest, contrarijs alterare oportet, crassum & viscosum attenuando, tenue incrassando: communiter autem vtraque concoquendo, obstructiones aperiendo.

Com



Vædam in corpore nostro eiusmodi sunt, quæ & si a naturali statu, per quem ritè omnia obeuntur, deflexerint, ad eum tamen correctione vitij redire possunt. quæ enim haud magno interuallo à natura discesserunt, nec plurimum vitij contraxerunt, ea artis beneficio in naturalem statum regredi possunt. si contrarijs opportunis in symmetriam eam à qua deflexerunt, reducantur. vt exemplis appositis confirmat hoc loco Galenus. Si quid enim iusto crassius, lentiusque ac viscidum magis fuerit, id attenuando in naturalem habitum reduces. si quid tenue nimis, incrassando: communiter autem (quod hic ait Galenus) vtraque concoquendo. estq; actio hæc ei planè persimilis (vt ex moribus etiam exempla naturalibus rebus adaptem) qua nõnulli homines á recto non tamen magno lapsu deflectentes in viam rectam reduci per contraria possunt suasione & demonstratione ducibus. vt si quis intemperans sit, per temperãtiam ad bonum deducetur, si incontinens, per continentiam: si iracundus per mansuetudinem. & sic de reliquis. cum enim modicus est lapsus, nec qui labitur, in vitijs obduruit & obstinatè consistit, tum certè ad virtutem per ea quæ diximus reductio facilis est. perinde profectò est videre in his quę in nobis insunt, quæ si modico lapsu à symmetria naturali deflexerint, per contraria ad eam ipsam redire artis beneficio possunt. Sed in hac explicanda serie, multa sunt nobis ad congruum horum intellectum ex medicinæ promptuario depromenda. quòd ambiguitatis, quę hic à Galeno traduntur, plena esse videantur. Quorum primum illud est, ei quod crassum & viscosum est, attenuationem tantum deberi. cum attenuatio quidem crasso conueniat: viscoso autem incisio atque detersio. vt 8. & 11. metho. med. Galenus: Tum quòd velit vtraque a medico concoquenda tam quæ crassa ac viscida: quàm quæ tenuia sunt. cum tamen concoctio non a medico, sed à natura fiat. iuxta Arist. & Galeni omniumque autorum placita. Hæc inquam ea sunt quæ accurata disquisitione & explicatione indigent. Quin & illud quoque, vt quid tenuia incrassare iubeat hic Galenus, cum incrassatio ineptiorem ad expulsionem materiam faciat. Corpora nanque vbi quis vult purgare oportet prius fluida facere ex Hippocratis sententia fluida autem fiunt autore Galeno omnibus meatibus referatis: humoribus verò incisis, detersis atque extenuatis si quis fuerit in corpore humor crassus ac glutinosus. vt autem ordine hæc tractemus, à primo inchoãdum nobis erit ad reliqua postmodum serie progredientes. Ergo quòd crasso & viscido attenuationem simul deberi dixerit Galenus, verè sanè dixisse est visus. non enim solũ quod crassum est attenuari desiderat, sed & magis quod viscidum est. Nam glutinosum cum sit & herens quod tale est, incisioneque atque detersione indigeat. quæ propriè viscido humori debentur, incisio autem atque detersio prius perfici nequeat, nisi attenuatum sit & in multas partes diuisum quod viscidum est (alioqui enim nisi attenuatione in minima quasi secetur quod glutinosum est, perpetuò tale manebit, quod & ratio dictat, & monstrat experientia) efficitur profectò, & viscido prius attenuatio quam incisio & detersio debeatur. Cũ viscidum omne de genere crassæ substantiæ sit. Siquidem omne viscidũ crassum. Tenue nanque & crassum ita Gal. discriminantur, vt tenue id sit quod celeriter in minima & tenui solui potest: Crassum verò, quod id perpeti nequit. Itaque cum uiscidum quod est, ac glutinosum, humiditate partes continuante (humiditate dico lẽta nõ aquea) vt crassum inde euadat necesse est. vt in pituita lẽta experimur: tũ & in muscillaginibus varijs seminũ cydoniorũ, psilij, tragãchãtę & similiũ. in quibus cũ lẽtore & visciditate crassitiẽ est inuenire. Quæ igitur huiusmodi sunt, attenuatione sanè prius indigent. Neque. n. aut incidi aut detergeri quod viscidum est potest, nisi prius attenuatum fuerit. Cum sit vtique attenua-

Arist. lib. 4. meteor. c. 2
Gal. libr. 2. de nat. fac. & pluries alibi.
li. 2. aph. 9

li. 4. de simpl. facu. c. 2

tio

tio via quædam ac præuia dispositio ad illa. Hæc de primo. Quòd vero tam tenue quàm crassum concoqui à medico debere, vult hoc loco Galenus, existente nimirum coctione facultatis concoctricis & alteratricis in corpore actione: naturæque non medici actio meritò dici debeat, ita sanè intelligendum id erit, vt & in actione ea (deficiente vtique facultate in id munus à natura dicata) & partes quoque suas agere medicus possit. naturæ opem ferendo. Siquidem est eius actionis calor natiuus noster opifex atque natura vt millies in mille locis Galenus. Sed id tantum voluit concoctioni quidem ei quæ a natura fit, medicum oppitulari debere. vbi quæ conquitur materia actionem eam excipere parata est. qualis vtique pituita dulcis est & si lenta sit. oppitulatur autem medicus vt naturæ minister suppetias illi ferens: vbi ipsa coctioni obeundæ non satis sit. idque præstat, natiuum calorem roborando, boni succi cibis, vini generosi moderato potu, somno, quiete, calorificis & aromaticis, tum intrò exhibitis: tum admotis. per quæ iuuari concoctionē ipsemet Galenus paulò post hoc loco conceptis verbis affirmat, inquiens, cæterum co„ ctionem, tum quies, tum calefactio moderata, ac boni succi ciborū mediocris esus, & vim „ modicè calidi potio. At calorem moderatum frictio temperata, & moderatus aquarum ca„ lidarum vsus, cibi ac medicamenta mediocriter calefacientia possunt efficere. Ex quibus „ verbis colligere promptum est, quanam ratione coctionem iuuare medicus arte possit. „ per ea inquàm, quæ hic a Galeno enumerata sunt. Itaque adminiculo quodam ad medicū quadantenus pertinebit coctionem efficere, iis quæ natiuum calorem roborant. vt hoc loco Gal. Cur verò tenuia quę sunt incrassari iubeat Gal. vti crassa attenuari, in prōptu ratio est. ꝙ cū tenue à nāli statu ꝑ nimiā tenuitatē deflexerit. in naturalē habitū non nisi alteratione q̄ per contrarium fit (vt hic affirmat Gal.) restitui pōt, cū correctio eorū quæ à nāli statu recesserunt, contrariis sit celebranda. Vt libro 5. de sanitate tuenda, & in arte medicinali atque hoc loco testatur abundè Galenus. Itaque cum tenui crassum opponatur, efficitur, vt si quid tenue nimis in symmetriam æquatione reuocandum sit, id crassescere omninò sit necesse. Hic enim Galenus cum crassum attenuandum: tenue incrassandum dixit, non de præparatione ad concoctionem (de tenui quidem quod incrassandum affirmarit) dixisse est visus, sed de æquatione ea qua quod à natura deflexit, in naturalem statum reuocari alteratione per contrarium possit. ad quod necessaria est in tenui incrassatio, vt in crasso attenuatio constat enim si coctionis naturam spectes, eius dico quæ in nocitiuo est, quæ tunc esse dicitur, cum natura morbificis causis superior eas suo robore superauerit (quod generalius est coctionis significatum. vt lib. 2. de rat. vict. acut. Com 44. expressit Galenus. non esse inquàm incrassandum tenuem humorem qui expelli debeat. Cum incrassatio ineptiorem ad expulsionem humorem reddere soleat, fluida autem atque attenuata esse oportet quæ euacuanda sunt. iuxta Hippocratis & Galeni lib. 2 aphorismorum sententiam. Hoc nanque est fluida reddi corpora, si attenuati crassi humores fuerint, incisi ac probè detersi qui glutinosi & viscidi sunt: meatus verò corporis reserari, vt præcitato loco affirmauit Galenus. Cum igitur tenuia hic incrassanda imperauit Galenus, de alteratione ea quæ per contrarium fit, & æquatione humoris vt in naturalem statum reducatur, locutus fuisse videtur. quod ipsa loci series satis indicat & ad hunc sensum intelligi hic locus debet. Et si scio nonnullos in aduersaria sententia esse quorum ego rationes vt parui momenti redarguere nolo. Sicque satisfactum quæstioni verè arbitror.

*lib. 2. de natur. facult. li. 6. de symp. caus. lib. . aph. com. 15.*

*Apho. & Com. 19.*

At quæ totò genere præter naturam sunt, sicut venena, & animalium virus iaculantium ictus, alterando & vacuando. Alterationes quidem per contraria, vel in tota substantia, vel vna qualitate uel duabus moliendo. *Textus.*


A meritò toto genere præter naturam dicuntur, quæ ita à natura aliena sunt, vt nunquam in naturalem statum redire queant. instar flagiriosorum hominum qui in malis consenuerunt, nec vlla ratione in viā reduci possunt. Quæ verò toto genere præter naturam sunt nemini cuiquam secundum naturam se habenti inesse possunt, Vt lumbrici, ascarides, lapis in vesica, grando in oculo, suffusio, Pterygion, & similia: tum & ea quoque quæ nulla ratione à natura vinci pos-

*Com.*

*Gal. lib. 2. de morb. diff. cap. 8.*

sunt:

sunt: sed ea ipsa perpetuò naturam nostram vincunt ac superant, & in suam ipsorum naturam conuertunt. vtique deleteria sua potestate substantiam nostram corrumpentia. ob eam quæ illis cum nostra substantia inest contrarietatem. quæ totius substantiæ contrarietas iure appellatur. quo in genere venena omnia, & virus eiaculantia animalia reponi certè debent. quorum quædam qualitatibus manifestis & elementaribus: quædam tota sua substantia nobis aduersantur. Opium nanque, mandragora, hiosciamus, frigiditate immodica, euphorbium, sandaracha, Misy, Psori, & eius generis multa calore immoderato substantiam nostram euertunt. Tota vero sua substantia perdunt, Aconitum, Ixia, Taxus, Mel Heracleum, Taurinus sanguis, stibium & ex metallicis pleraque. vti ex animalibus tota sua substantia aduersantur Scorpius, Rubeta, Lepus marinus, Mus araneus, Rabiosus canis, Phalangia, Vipere, Scolopendra, Dipsas & vt in summa dicatur, omnia serpentum genera quæ morsu suo lethalem omnia inferunt noxam. Hæc quidem tam quæ qualitatibus immodicis nocent, quàm quæ tota substantia deleteria sunt, & substantiæ nostræ aduersantur, alterando & vacuando (vt hic vult Galenus) curabimus. Alteratio porrò nõ tam qualitatibus immodicis debetur contrariam qualitatem inferendo, quàm etiam toti veneni substantię, ea adhibendo quę tota sua substantia vnicuique veneno & animantibus virus eiaculantibus aduersantur, quæ ἀλεξιφάρμακα Græci vocant. de quibus abundè Dioscorides libro sexto, & Auicenna fen. 6. 4. & Conciliator in suo de venenis tractatu disseruerunt. ipseque libro tertio locorum medicinæ communium meorum. cap. 18. exactè itẽ tractaui. In curandis autem affectibus huiusmodi, qui à rebus toto genere præter naturã proficiscuntur, nihil præstantius præsentiusué euacuatione, si protinus fiat, vel secessu, vel uomitu proritato haberi debet. inter quæ vomitus præsentaneum est remedium si confestim ab accepto deleterio medicamento prouocetur, oleo multo, butyro, pingui, decocto seminis raphani & attriplicis cum oleo & melle. Tum verò acribus clisteribus, medicamẽtis soluentibus paulò vehementioribus, antidotis propriis admistis. Sanguinis missio haud ita conuenit, nisi plethora multa in vasis subsit, alioqui magis nocet quàm prosit, veneni seminaria in habitum corporis diffundens, trahens atque exagitans. Vnde veneni vis magis intimiusque sese exerens naturam confestim superat ac vincit. Materia nanq; omnis mota, seipsa quiescente deterior fit, vt autor est Galenus. multoque magis si venenosa fuerit. & substantiæ nostræ aduersaria, ob id consultus fuerit (nisi aliunde ingens aliqua sese prodat indicatio) à sanguinis missione abstinuisse ob ea quæ enarrauimus mala quæinde euenire nata sunt.

li. 6. de sympt. caus.

Textus. Porrò uacuabimus trahendi facultatibus.

Com.



Væ toto genere præter naturam sunt, vt venena, & virus eiaculantium ictus, alteratione & euacuatione sanari de[b]ere præcedente serie docuit Galenus. ostẽdẽs alterationẽ fieri contrariis, vel in tota substantia, vel vna aut pluribus qualitatibus. quam nos Galeni mentem diffusé explanauimus. Hac verò serie, alteram sanationis partem quæ hisce rebus toto genere præter naturam existentibus debetur (quæ quidem euacuatione perficitur) absoluere ingreditur Galenus, inquiens, vacuanda ea esse attrahendi facultatibus. hoc est medicamentis trahendi humores facultatem habentibus. quædam enim ex medicamentis talia sunt, vt delectu trahere hunc illumué humorem possint. vt medicorum omnium concors sententia est. Vacuationem porro quæ medicamentis fit (de qua hoc loco Galenus) attrahendi facultatibus quæ medicamentis huiusmodi insunt fieri, idem autor existimauit. vt lib. 3. de simplicium facultatibus capite 24. conceptis verbis expressit. Num verò quæ delectu purgant medicamenta humores similitudine & familiaritate quadam substantiæ attrahant, num vero potius humores huiusmodi fugent, expellant & abigant, ambiguæ quæstionis nec satis adhuc explicatæ esse video. de qua quid sentiam diffusè vt potero explanabo. Si modo prius quæ Galeni in hac re mens fuerit explicauero. Ergo Galenus libro primo naturalium facultatum ex Hippocrate naturæ potentiam enarrans, ait, in corporibus nostris

Galeni opinio de purgantib. medicamẽtis.

ſtris vnum conſpiratum confluxumque eſſe. quòd Hippocrates tum libro de alimento, tum libro ſexto Epidemiorum, ſectione ſexta protulit. Naturamque iuſtam & ſolam animalibus ſufficere dixit. ipſamque per ſe ſine doctore quæ opus ſunt agere indeque facultates ſibi ineſſe, alteram qua ſibi conueniens attrahat, alteram quæ alienum à ſe depellat: tum & illud ex communi medicorum conſenſu, nedũ Hippocratis, alia medicamenta purgare flauam bilem, alia nigram, alia pituitam, alia aquoſam & tenue excrementum aſſerit. quod & ipſum, idem Hippocrates lib. de natura hominis conceptis verbis affirmauit. Itaque Galenus medicamentis vim tractoriam quandam tribuit, qua familiares ſibi humores trahant. Vnde ſcammonium bilem, carthamus pituitam, epithimum atram bilem, Braſſica marina aquas & ſeroſos humores analogia quadam & familiaritate, ſimilitudineque ſubſtantiæ trahere dicuntur. Quæ mens Galeni fuit, tum lib. 1. de natur. facult. tum libr. 3. de ſimpl. facult. cap. 24. & lib. 5. cap. 16. & hoc ipſo de conſtitu. artis medicæ libro. Quam ille ſententiam à magiſtro ſuo totius Medicinæ parente Hippocrate mutuaſſe eſt viſus. qui de ea re ex profeſſo libro de natura humana loquens, ſic ait. Etenim Pharmacum (inquit) vbi corpus intrauerit, primùm quidem ducit id quod ex omnibus in corpore exiſtentibus ſibi maximè ſecundum naturam familiare fuerit, deinde verò etiam alia trahit ac purgat. Ex quo loco videre eſt, ſoluentia medicamenta familiares ſibi ſecundum naturam humores trahere. nec trahere ſolum ſed etiam ducere atque purgare quod & Galenus itidem ſenſit lib. de naturalibus facult. primo. Quod mox Hippocrates ſupra citato loco ſimilitudine quadam appoſitiſſima confirmat inquiens. Quemadmodum ex terra naſcentia & in ipſam plantata ac ſeminata, vbi in terram peruenerint, vnumquodque trahit id quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit (ineſt autem in terra & acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum & omnigenum) Primùm itaque plurimum eius trahit in ſeipſum quod ſibi ipſi iuxta naturam maximè familiare fuerit, deinde trahit etiam reliqua. Huiuſmodi ſanè quiddam etiam pharmaca in corpore faciunt. En ergo explicatam à ſe de medicamentorum ſoluẽtium ratione Hippocratis mentem. quæ huiuſmodi eſt, vt velit familiaritate quadam trahentis medicamenti humores illi ſimiles ac familiares attrahi, ſimili quidem attractione qua terræ naſcentia quod illis familiare eſt attrahunt è terra. acida acidum, dulcia dulce, amara amarum, ſalſuginoſum ſalſa quæ ſunt. atque ad hunc modũ & medicamenta quoque plurimum eius humoris trahere qui illis familiaris fuerit. quem ſanè attractum ſubſtãtiarum ſimilitudine fieri vult Hippocrates. alioqui nunquam medicamenta familiarem ſibi humorem trahere fuiſſet dicturus. ob id nanque familiarem trahent medicamenta humorem, quòd humor quadãtenus attrahenti medicamento ſimilis ſit atque familiaris. ex ſimilitudine nanque familiaritas in rebus naſci ſolet. dicente nimirum in moralibus Ariſtotele, ſimilitudinem, amicitias familiaritateſque parere. Porrò Hippocrates libro de locis in homine, medicamenta vult eſſe ea omnia quæ præſentem ſtatum transmouent. omnia autem fortiora transmouent. Ex his igitur quænam fuerit Hippocratis & Galeni de purgãtibus medicamentis ſententia ac mens, ſciri abundè poteſt. nempè cognatione quadam & familiaritate perinde atque plantæ ſuccum è terra ſibi conuenientem attrahunt & non alium, ſic ſanè & medicamenta proprium quendam & ſibi familiarem attrahere humorẽ, attractumque expellere. vt conceptis verbis ſupracitato loco vult Hippocrates, medicamenta humores non ſolum attrahere, ſed & purgare atque educere quem attraxerunt humorem. Sed cum hæc omnia magnam penitius rem contemplanti difficultatem pariãt, altius nobis tota hæc res ad Ariſtophanis lucernam expendenda erit. Videndumque num ad propoſitum ab Hippocrate & Galeno modum, purgantia quæ ſunt medicamẽta humores trahant, num alio quouis modo. Præterea, num ob id trahant, quòd naturam ad excretionem proritent atque ſtimulent. Tum verò, an attractus is à temperie propria medicamenti, qualitatibuſque elementariis, an à forma ſpecifica proprietateque illam inſequẽte fiat: Et num potius inimicitia quadam & anthipathia, quàm familiaritate humores tum attrahant, tum expellant ſoluentia quæ ſunt medicamenta. Quæ cuncta vt methodo à nobis tractari commodè queant, quædam prælibanda erunt ad hæc. quæ diſcutienda propoſuimus neceſſaria, ſiue quorum cognitione intelligi nequicquam quæ propoſuimus poſſunt. Illud primum, quid tractus ſit, & quotuplex, & à quo attractio omnis fiat. Secundò, quid

Hippo. opinio.

Lib. 5.

medicamẽtum quid Hippocra.

Quæſtio grauiſsima de purgationib⁹ medicamẽtũ.

Quæ prælibanda ad quæſtionis diſſolutio.

tota

tota rei substantia sit: & quid operari à tota substantia dicatur. Tertiò, quid proprietas quam occultam vocant, & in quo sita ea sit. Quartò & Vltimò, quid facultas rei operantis, à qua effectio omnis ceu ab efficiente causa producitur. Quibus omnibus exactè expensis, palam fiet quid de proposita re tenendum asseuerandumuè sit.

*lib. 7. phis. cap. 2.*

Ergo vt à primo ordiamur, tractio seu tractus Aristoteli, motus est secundum lationem. & est cum motus trahentis aut ad se, aut ad aliud, celerior eius est motu quod trahitur, neque seiungitur ab eodem. quoniam id quod primò mouit, & est principium motus, simul cum eo est quod mouetur. vt eiusdem autoris sententia est, lib. 7. de Physico auditu conceptis verbis expressa. Itaque quod trahit, omnino potentius esse eo qnod trahitur oportet. eò enim trahere dicitur, quòd ad se id quod trahitur ducat: quodque celerius eo quod trahitur moueatur. celeritas autem motus vim & robur indicat: vti tarditas imbecillitatem quod in senibus & iuuenibus est experiri quorum hi citato motu ob virium & iuuentæ robur, alij ob virium defectum & inclinatam ætatem tardo moueri solent. Neque vnquam quod trahit, id quod trahitur deserit. Vt rectè citato loco Aristoteles. Est autem tractus seu attractio multiplex. alia quidem ab interno: alia ab externo fit mouente. item quædã quę successione ad id quod vacuatur contingit, altera quæ qualitatis conuenientia fit vt Galenus libro tertio de facult. naturalibus àfferit his omnino verbis. Illud minime ignorãdum (ait) duo esse tractionum genera, vnum quod successione ad id quod vacuatur: contingit: alterum quod qualitatis conuenientia fit. Aliter enim aer in folles, aliter ferrum à magnete attrahitur. Præterea successione ad id quod vacuatur, prius id trahi quod leuius est. Cõuenientia qualitatis, nonunquam (si ita fors tulit) quod grauius: modo id cognata magis natura sit. Duo tractationum genera hic Galenus. facit. alterum, quod vacui successione, ne vacuum detur (quod natura non admittit, vt lib. 4. de Physico auditu prodidit Aristoteles (sit: alterum quod qualitatis necessariæ & congruentis appositione. Aer namque in folles attrahitur, successione ingrediente, scilicet folles aere in vicem iam acris sublati ne vacuum detur: ferrum verò à magnete, non ita: sed sympathia quadam & tacito naturarũ consensu inter ferrum & magnetem. Vt hoc illud attrahat. Inter verò hæc duo tractionum genera id discriminis est, quòd quæ vacui successione attrahuntur, semper enim quod leuius est trahi oportet. alioqui nanque non traheretur, nisi leuitate & pronitate quadam succedere cedenti posset. si enim vel grauitate & pondere, vel densitate remitteretur, prorsus non succederet. Quæ verò qualitatis conuenientia attrahuntur, id minime requirũt. sed interdum grauia leuibus, densa raris, pro cuiusque trahentis natura ac more facilius attrahuntur. Vt in diuersi generis plantis est videre. Brassica marina salsum è terra attrahit, Colocynthis amarum item & absynthium, oxalis acidum, Arundo indica, quæ saccharũ fert, dulce. At verò quæ in plantis & animantibus fit conuenientis attractio, ea inquàm ab interno principio fit. nempè animantis seu plantæ vegetatrice anima quod sibi conuenit attrahentis. idque sine vlla vi, molestiouè sensu, aut violentia vlla. Quæ verò ab externo mouente fit attractio, ea violento quodam & valido motu perficitur: vt in equis currui iunctis currumque trahentibus cernere est. Neque enim vnquam currum equi traherent, nisi vim inferrent, & citato motu ad se currum deducerent, eoque funibus equi currui alligantur, vt contiguitate quadam inuicem copulata, possit ipsum primum mouens, quod trahitur ad se deducere. Quæ sanè deductio atque motus vi fieri conspicitur. Trahi enim, eidem Aristoteli lib. 4. meteororum, cap. 9. est transferri ad mouens planum continuumq; existens. quod in curru tracto, & aliis quæ quouis alio modo trahuntur omnibus est videre. Fit porrò attractio omnis à primo mouente principio, siue id internum, siue externum sit. Est & alius attractionis modus qui à calore vel à dolore fit de quo Gal. 2. de diff. feb. ca. 11. Quod autem secundo loco præmittendum ad quæsiti enodationem diximus, id iam explicemus, quid inquàm tota rei substãtia sit: & quid operari à tota substantia dicatur. quod & si inuestigatu est difficillimum, vtpotè arte nulla, nullis sensibus compræhensum, si rei abditam essentiam spectes, cum id tamen ad rei medicę tractationem effectionemque naturæ cognitionem tanti momenti sit, vt præteriri ea minime sine culpa possit (in hac præsertim quam tractamus quæstione) satagam ipse hanc ipsam totam substantiam quæ dicitur explanare quod si tantæ rei minime purgatissimis auribus satisfecisse videbor, id non tam

*Trahere quid.* *Loci Gal. explicatio.* *Trahi qd.*

ingenij

ingenij mei exilitati, quàm magnitudini rei atque difficultati tribuendum meritò erit. Dicamus igitur naturam (quod Ariſtoteles dixit) principiū eſſe motus & quietis eius in quo eſt primum, per ſe, non ſecundum accidens. eamque ſemper ob finem agere nec fruſtra vnquam niti. tum & illud, omnia bonum appetere & bono vt fine niti. eſt autem bonum in vnoquoque id, ſua cuiuſque perfectio quæ abſoluta rei conſummatio & integritas eſt qua ſecundum ſuam cuiuſque naturam operari quidque quod ſibi conuenit poteſt. Hæc autē conſummatio, integritas, atque perfectio in vnoquoque qua ipſum eſt id, quod eſt, & non qualitate ſui, tota rei ſubſtantia ſeu forma ſpecifica dicitur. Quod ne gratis & ſine teſtimonio dixiſſe videri poſſim, locupletiſſimum teſtem ad feram Auicennam. qui fen. 2. primi canonis, doctrinæ ſecundæ, capite decimoquinto, de his quæ proueniunt ex his quę comeduntur & bibuntur de ea re ex profeſſo tractans, ad hunc modum diſſeruit. Sui verò ſubſtantia operans (inquit) eſt forma ſui ſpecifica agens. & eſt illa, qua ipſum eſt id quod eſt, & non qualitate ſui, Quumque dico qualitatem (ſubdit) vnam quatuor qualitatum intelligo. Et paucis interpoſitis eodem ipſo capite, & ſua quidem operans ſubſtantia, eſt illud, quod forma ſuæ ſpeciei operatur quam acquiſiuit poſt complexionem: quod quū eius ſimplicia ſe commiſcuerunt, & ex eis generata fuit res vna, præparauit ſe ad recipiendam ſpeciem & formam additam ſuper illud quod habent ſimplicia: Hæc ergo forma non eſt qualitates primæ, quas habet materia, neque eſt complexio quæ generatur ex eis, ſed eſt perfectio quam acquiſiuit materia ſecundum aptitudinem quæ fuit ei acquiſita ex complexione ſicut in magnete virtus attractiua, & ſicut natura cuiuſcunque ſpecierum vegetabilium & animalium, ſcilicet illa quam habent poſt complexionem propter complexionis præparationem & mox ſubdit, eam quam totam ſubſtantiam ſeu ſpecificam formam dicimus, eſſe aut animam, aut formam aliquam de non perceptis ſenſu. Demum vero docere volens quid ſit à tota ſubſtantia operari hæc ſubiicit. Tota autem operatio hæc non prouenit ex eius cōplexione: immo ex eis forma ſpecifica adueniente poſt complexionem. Vnde propter hoc vocamus huiuſmodi operationem à tota ſubſtantia, ſcilicet forma ſpecifica: & non qualitate, ſcilicet non aliqua qualitatum quatuor, neque eo quod eſt earum commiſtio. Hactenus bona fide Auicennæ, viri ſummi, teſtimonium ad noſtram de tota ſubſtantia ſeu ſpecifica forma corroborandam ſententiam attulimus, ipſius Auicennæ ſeu eius Latini interpretis ipſiſſima verba referentes. Ex qua longiſſima ſerie apparet, & quid tota rei ſubſtantia ſit: ſeu ſpecifica cuiuſque forma, & quid item operatio à tota ſubſtantia. Siquidem agens in quaque re ſubſtantia, poſt temperamentum in materiam præparatam indita & adueniens, cuiuſque forma ſpecifica dicitur. id eſt natura perfecta, vnicuique rei congruens qua ſingula ſunt idipſum quod ſunt. & id ſingulatim ac propriè operantur, quod ei ſpeciei conuenit. Vt in magnete explicat idem autor vt à cuius ſubſtantia & ſpecifica forma, proprietateque illam inſequente, attractionis ferri operatio proueniat. Ex quo item intellecto conſtare illud in aperto eſt, quid actio ſit à tota ſubſtantia proueniens, & in quibuſnam huiuſmodi appareant actiones. Equidem cum ſpecificæ rerum formæ (quæ & eædem tota rei ſubſtantia ſunt) eæ ſint à quibus ſingula hoc ipſum ſint quod ſunt (vt citato loco doctiſſimè Auicenna ſenſit) quumque hæ nobis ignotæ ſint, vtpotè ſenſu non perceptæ, ut idem autor dixit, quumque nihil ſuam formam non habeat per quam ſubſiſtit & operatur, euidens ſit, illam à tota ſubſtantia eſſe actionem. quæ à ſpecifica forma prouenit: rebuſque ſingulis proprias & peculiares à tota ſubſtantia emanare actiones quæ illi ſoli debeantur, non qualitatibus elementaribus, aut temperamento ex earum miſcella inſurgente. ac proinde falli eos ac errare toto cœlo arbitror, qui omnia in cauſas manifeſtas reiicere annituntur abditaſque rerum cauſas reiiciunt, neque admitti volunt. Equidem ſi à cuiuſque rei forma actio omnis procedit (quod Philoſophi omes ex æquo cenſent) ſi etiam res omnes à ſua ipſarum forma id habent, vt id ſint quod ſunt (quum forma, iuxta Philoſophorū omnium ſententiam det eſſe rei) ſi item ex hac ipſa forma cuique rei propria & ſingulari, eiuſque actionibus, res ipſæ cunctæ, animalia, plantæ, metalla, gemmæ, inter ſe & ſpecie, & viribus, & actionibus inuicem differunt ac diſcriminantur: cum has rerum formas à quibus actiones hæ & facultates manant ignoremus, vtpotè quas ſola mente complecti & intelligere, non ſenſibus vllis poſſimus: quòd videlicet incorporeæ ſint nec materia conſtantes ut

li. 2. de phiſico auditu

lib. 1. Ethi. cap. 1.

Explicatio loci Auic.

In Timæo & Parmenide. Plotinus lib. Auicē. ubi ſupra.

vt Plato, Plotinus, & Auicenna iure exiſtimarunt, quis inficias ire queat, actiones pleraſq; ab ignotis & abditis cauſis prouenire? vt quæ à cuiuſque ſpecifica forma & tota vocata ſubſtantia prodeunt? Sed quum nos hac de re fuſius ſimus tractaturi in hac ipſa propoſitæ quæſtionis enodatione, cum de operatione à tota ſubſtantia vocata diſſeremus, in eum locum quod ſupereſt bona fide reiiciemus. & nunc rurſus ad totam ſubſtantiam exactius explicandam reuertamur. nempè, quod iam paulò antea diximus, conſummationem atq; perfectionem in vno quoque qua ipſum eſt quod eſt, totam rei ſubſtantiam dici. tum enim verè quæque res totam ſubſtantiam habere dicitur, cum exacta, integra, abſoluta, perfectaque eſt. á quæ integritate & perfectione cum deſinit, manca eſt nec perfectionem ſuã, hoc eſt totam ſui ſubſtantiam habere dicitur. perinde atque domus dum fit, ſuam non habere integritatem iure dicimus quòd quam debet habere perfectionem nondum nacta ſit, cum verò abſoluta eſt atque perfecta, integritatem eam atque perfectionem, totam domus ſubſtantiam ſuopte merito nuncupamus. Perfectum namque eſſe, eſt totam habere ſubſtantiã. Rectè igitur tota cuiuſque rei ſubſtantia, illius perfectio qua in eſſe ſubſiſtit ac conſeruatur, eſſe iure dicetur. & hæc eadem, forma cuiuſque rei ſpecifica eſſe cenſetur. cum ſit ipſa actus & perfectio rebus naturalibus obueniens vt concors eſt Philoſophorum omnium ſentẽtia. Nos verò in præſens de hac ipſa philoſophico magis quàm medico more tractamus. cum rerum formas medici parum curent, temperamenta norunt, quæ tum animantium, tum terræ naſcentium omnium naturam eſſe Hippocrates & Galenus ampliſſimè docuerunt. Ea igitur ſubſtantia à qua res quoque naturalis ſuam ducit eſſentiam, illius forma dicitur, & à Philoſophis nuncupatur. cum ea ſit quæ det ſubſiſtentiam rebus. Quoniam verò nihil quicquam in natura otioſum, aut vanum, temereque factum eſſe poteſt: cum natura ſemper ob finem agat, vel Ariſtotelis & Galeni teſtimonio, ſed in id quidque factũ, vt pro naturæ ſuæ modo agere poſſit, actio ſanè ea quæ ab hac ipſa ſeu forma rei ſeu perfectione fit, illique debetur, operatio à tota ſubſtantia erit cenſenda. Quo in genere ſunt ratiocinatio in homine, ferri à magnete: ſurculorum à ſuccino attractus, humorum item à purgantibus medicamentis quæ fit attractio, & cætera huiuſmodi infinita. Actiones enim hæ omnes, neque ad elementorum qualitates, neque ad temperiem, aut ad materiam referri vllo prorſus pacto queunt. Nam ſi ad qualitates nempè caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatemve talia referẽda eſſent, quæcunque tali qualitate prædita eſſent, & idipſum quoque ipſa operari poſſent. Cuius tamen oppoſitum experientia docet. neque etiam materiæ adſcribi operatio huiuſmodi poteſt, vt cuius non ſit agere ſed pati. vt & Plotinus lib. de materia, & Ariſtoteles libro primo Phyſicorum docuere. Non enim ab Heraclij lapidis aut qualitatibus elementaribus, aut miſcella ex illis ferri attractio fit, ſed magis ab illius ſubſtantia & ſpecifica forma peculiarique illa vi ac poteſtate cęleſti illius formæ indita, per quam id cœlitus operatur. Vt à nullo Philoſophorum alia reddi effectionis huius ratio vſquam poſſit, quàm quòd hæc ſubſtantia id virium à forma ſua ſpecifica cœlitus illi attributa habeat, vnde id ſuapte natura efficere queat. Vt Scammonio bilem detrahendi, cnico pituitam, elleboro atram bilem. Itaque quęcunque meritò ſuæ ipſorum formæ vnũ quippiam agunt quod illi peculiare ſit ac proprium, id quidem à tota ſubſtantia iure merito operari dicentur. quòd in nullam aliam quàm in propriam rei agentis ſubſtantiam referri ea actio poſſit. Nam cum forma rei diuinius aliquid temperamento ſit, vt & Plato, & Meſueus, Auicennaque voluerunt, neceſſarium quidem eſt quod à forma eſſentiali (quæ tota rei ſubſtantia eſt) efficitur, id ſublimiore quodam modo atque etiam num occultiore fieri. nempè quòd occulta ſit nobis ea ſubſtantia atque forma vnde operatio ceu à propria cauſa manat. Vnde haud immeritò cæcam eam cauſam, cæcamque poteſtatem, eamque etiã proprietatem quæ talem naturam inſequitur, vocare ſolemus. quòd ſenſibus noſtris ea natura obuia non ſit, minuſque perſpecta. atque ob id apertam talium actionum rationem reddere minimè valemus, niſi hanc vnam tantum, à vera cognitione atque ſcientia valde ſemotam, quòd hoc illi ſubſtantiæ atque naturæ proprium ſit. Vt equo hinnitus, Grunnitus Suibus, Bobus mugitus, Ouibus balatus, Elephantus barritus, canibus latratus, Homini riſus. Cur verò ſic? nemo quiſquam niſi qui ſolus omnia nouit Deus optimus Maximus idẽque ſapientiæ fons ſciuit vnquam. præter id ſolum, quòd proprietates hæ & actiones, ſuas

Auic. lib. 9. methaphyſices. c. 5. lib. 3. aph. 2. & lib. de natu. hu. & li. de tẽper. libr. 2. de phyſico auditu. & 2. de cœlo. Gal. lib. 1. de uſu par.

Operatio à tota ſubſtantia. Plato. i Timęo Meſués i can. uniuerſal.

formas

formas & rerum naturas quibus insunt perpetuò sequātur. quòd inquàm vnicuiq; pro formæ suæ ratione atque merito id quod illi conuenit adaptatum à cœlesti virtute sit, vt diuus Mesueus in canonibus vniversalibus affirmauit. Nec mirum hæc nobis homunculis parum perspecta & nota esse. Siquidem (quod sapientissimus Ecclesiastes cecinit) cunctę res difficiles, nec potest eas homo explicare sermone. Constat igitur ex ijs quæ attulimus, totam rei substantiam, nihil prorsus aliud esse quicquam, quam rei integritate sua constantis perfectionem atque formam cœlitus illi inditam. & quæ actiones ab hac fiūt, eæ à tota substantia fieri dicuntur. nihilque aliud operari à tota substantia est existimandum, quàm vnum quippiam á tali cuiusque rei forma propriè & per se effici. Quæ sanè operatio à tota substantia dici consueuit. quòd illi conueniat: quodque illi maximè propria sit, illamque nunquam (nisi aliunde impedita) deserat. Hactenus de tota substantia, deque operatione quæ ab ea fieri dicitur à nobis dictum sit, quantum ex classicis autoribus depromere datum fuit. Nam ex Galeno paucissima omninò elicere licuit. vt qui de re hac parcè admodum & quasi aliud agens locutus sit. Si quidem tantum libro tertio de facult. simplicium. cap. 23. 24. 25. hæc eum scripsisse legimus: ostensum (inquit) nobis in commentariis de naturalibus facultatibus est, quòd qualitatum quæ in substantiis sunt proprietatibus attractiones perficiantur. Hæc capite. 23. sequenti vero hæc itidem pauca. Demonstratum (inquit) est ibi. id est, in libro de naturalibus facultatibus, plerasque perfici attractiones qualitatis familiaritate. proinde quamque singillatim animantis particulam familiare sibi nutrimentum attrahere. Ad quam sententiam seu dogma sequitur medicamenta purgantia esse quidem detrahendis humoribus familiaria. Verum quæ attrahunt, quodammodo esse efficaciora valētioraque: sicut magnes lapis ferro. cap. verò. 25. Purgantium medicaminum quędam possidere idoneam ad attractionem similitudinem protulit. Rursus lib. 8. de compositione medicamentorum secundū locos, ca. 7. de vuæ passæ ad hæpar viribus loquens. ait, vuam passam secundum totā substantiam visceri ipsi, nēpè hepati, familiarem esse & propriam. & alimenta quoq; secundum totā suā substantiam proprietatem ac familiaritatem habere ad ea quæ aluntur affirmat. Sed quid tamen tota substantia sit, vnde profluat, & quæ eius operatio, minime certe explicat. Inuenio itidem nonnulla ab eodem Commentario. 5. in librum sextum de popularibus morbis prolata. Nunc vero quid proprietas ea quæ substantiis inest (quam & occultam vocare in vsu plerisque est) quid inquàm ea sit, & in quo sita (quod tertio loco explanandum polliciti sumus) videamus. Proprium autem, verè id dicitur, quod omni, soli, est semper conuenit, autore Porphyrio. vt risibile homini, hinnibile, equo. Itaq; quod ad hunc modum alicui proprium est, id ab eo separari minime potest. ita enim rei naturam cuius est, sequitur, vt ab ea diuelli prorsus nequeat. Neq;. n. dare est hominem qui ridendi proprietate destituatur: nec equum qui hinnitu priuari queat, quod proprietates hę suas quorū sunt substantias consequantur prorsusq; illis inhæreant. Erit igitur proprietas, qualitas quædam certam substantiam sequens, quæ ita illi adhęret, vt eam perpetuò comittetur. nisi si quādo obiectum sit contrarium aliquod, quod non quidem proprietatem ipsam auferre (id enim fieri manente substantia nullo prorsus pacto pōt) sed actionem proprietatis eius remorari ac sistere possit. veluti cum ferri à magnete attractus adamantis obiectu fieri prohibetur, aut certè habetescit. Sunt enim antipathiæ quædam in rebus à quibus dissensus oriuntur vt actiones quæ alioqui rectè fierent, aut omnino non fiunt, aut remisse & ægrè fieri, quasi à contrario lacessitę, cernantur. Nec verò etiam si impediatur actio, ob id proprietas esse desinit. vt quæ speciem & formam sequatur. Et si enim ab adamante, attractus ferri ab Heraclyo lapide fieri prohibetur, non inde tamen proprietas ea tollitur quæ Heraclio lapidi inest, ferrum ad se trahendi: perpetuò enim id ei substantiæ inest vt ferrum trahendi vim habeat. Ea nanque facultas atque proprietas, tanquam propria quædam dos, substantiæ cœlitus indita atque attributa est. vt paulo post ex Platone & Mesueo probabimus: ac proinde substantiam nunquam deserit. Quoniam verò proprietatem hanc, substantiæ esse & ad eam pertinere iure diximus, sint autem in hoc genere & materia ipsa, & naturale corpus, tum etiam species atque forma, cui nam ex his omnibus ea adscribenda proprietas sit quam quærimus, & à quo horum ceu à parente

Ecclesiastes cap. 1.
Tota rei substantia quid.

Operari à tota substātia.

In lib. quinque vocū. c. de pprio.
Proprietas quid.

Plato ĩ Timęo Plotinus lib. de materia.

profluat, videndum. Materiæ quidem, vtpotè rudi & informi, & quæ infimum teneat in substantiarum albo gradum vt Plato & Plotinus voluerunt adscribi proprietas hæc minime certè potest, quòd totius substãtiæ proprietas sit: materia autem, substantia esse prorsus nequeat, sed tantum illius abiectissima pars, pati quidem, non agere nata. Species ac forma materiam illustrans, ac rei cuique essentiam præbens, altiore ac perfectiore, longeque nobiliore gradu nititur. nempè cum sit & naturalis corporis atque adeò materiæ ipsius summa perfectio præcipuaque rei substantia. vt per quam vnaquæque res ut sit, & vt tali vel tali proprietate dotata, habeat. Verè igitur quæ totius substantiæ proprietas nuncupatur, ad speciem referri meritò debet, vt à qua originem ducat, & ceu à fonte perenni profluat. Quamobrem cum formæ ipsæ rerum primæque substantiæ è cœlo sint: res verò naturales è materia atque elementis, superindita tamen cœlitus sua cuique specie ( vt ex Platone & Aristotele paulò post probaturi sumus ) efficitur, vt quæ totius substantiæ proprietas nuncupatur, à cœlo manet, indeque originem ducat, Ob id meritò in intimis naturæ recessibus posita, occulta nobis dici iure queat. quòd eius proprietatis ratio, quæ specificam cuiusque rei speciem sequitur, perspecta sensibus nostris minime sit: nec nisi altissima mentis intentione atque indagine vix comprehendi possit. immo ne quidem exacta ratione, sed per vmbram atque caliginem: velutique in ænigmate talia complecti animo possint. Quod animaduertens in Timæo Plato, cum de mundi origine se dicturum esset professus, id Socratem præceptorem obnixè obtestatur, id minime mirandum fore, si rationes de iis rebus probatissimas exactissimasque afferre nõ possit. satis enim factum officio putari, si probabiles tantum de hisce abditissimis rebus afferat rationes; æquumq; esse ita existimare, vt & qui de huiusce rebus differit: & eũ qui iudex futurus sit, homines esse, vt si probabilia in re abscondita dicãtur, nihil esse vlterius requirendum. Hæc. n. ipsissima Platonis latine per intepretem loquentis verba sunt. quibus admonemur, vt quorum rationes non apertè tenemus, de iis, non scientificis theorematis: sed vt possumus, verisimilia tantum afferamus. ac proinde cum veras rerum formas non agnoscamus ( & si eas esse necessariò, mentis ope intelligamus ) proprietates eas quæ formas has insequuntur sensu complecti, ac vix dum etiam mente possumus. Rerũ quidẽ vmbras, qualitates dico & accidentia, colores, magnitudinem, sitũ figuramq;, quę materię insunt, facilè deprehendimus, veram & germanã rerũ substãtiã, qua vnumquodq;. i. quod est, non tenemus. à qua cum proprietates quæ rebus insunt profluant, efficitur, vt perinde atq; substãtia cuius est, sic & eius proprietas ignota nobis sit. ac proinde ẽt occulta suopte merito & sit & dicatur. A cœlo aũt rerum omniũ formas & species ceu à fonte perenni manare indeq; duci, & Academicorum, & Perypatheticorũ graui & indubitata sentẽtia constat. tamesi negandũ non sit quasdã de potentia materiæ educi vt Philosophi censent. Porrò Aristoteles à cęlo duci rerum species asserere volens, cęlestẽ illã mundanamq; conuersionẽ, eorum quæ gignuntur omnium causam esse statuit. vt. n. inter motus oẽs primũ dignationis locum is obtinet qui ad lationem seu localis dicitur, vt ex quo reliqui omnes profluunt; sic corpus illud quod iugi & irrequieto perenniq; motu circulari fertur ( cęlum id est ) omnium quæ gignuntur causam statuere oportet. quod ex Solis anniuersaria circuitione euidentissimum fit. quod ne gratis dixisse videri possim, ipsissima adferam Aristotelis verba quibus eorum quæ gignuntur principatum cęlo tribuit.

li. 1. meteor. cap. 2.

„ Est ( inquit ) necessario mundus iste continuus supernis lationibus vt inde vis eius omnis regatur. Ea siquidem causa prima putanda omnibus est, vnde motus principium existit. Adhęc quæ perpetua est, nec motus finem ratione loci habet, sed in fine semper est. Hactenus Aristoteles, qui paulo post eodem ipso lib. metheorologicorũ 1. ca. 2. docere volens ab elemẽtis materiam; à cœlo speciem genitis rebus conferri, hæc subiunxit. Quinetiam ( ait ) hæc omnia corpora certis discreta sunt spatiis. quare ignem & terram & quæ hisce cognata sunt, eorum quæ in inferiore mundo contingunt, vt in genere materiæ eorũ quæ fiunt causas existimare addecet. qđ. n. subiicitur patiturq;, hoc nũcupare modo consueuimus. Sed qđ ita cã est vt vñ principiũ motus, ad eorũ vim quę assiduè mouẽtur, referẽdũ est. Duo hac serie Arist. ꝓposuit, vñ nã rebus genitis materia, quã ex elemẽtis q̃ gignẽdis reb⁹ subiiciunt, ꝓdire dixit: efficiẽtẽ vero & genitricẽ formarũ causam, nẽpè vnde principiũ motus, ad eorũ

vim

vim refert quæ assiduè mouentur, cœli hi sunt. Quam & eandem ferè sententiam libro 2. Physices auscultationis, capite eodem idem autor repetiit. dum hominem & solem, hominem generare dixit. Homo quidem in sui similis generatione materiam præbet, genitale semen, Sol viuificat & speciem præbet. Rursus lib. 9. methaphysicis capite itidem eiusdem numeri, dixit, nisi æterna essent, nempè cœlestia corpora, nihil esse eorum quę sunt. Quin & eiusdem tractationis lib. 12. capite sexto, ab eo quod per se, non per aliud agit cuncta fieri ac generari prodidit. & à tali principio, tum cœlum ipsum, tum naturam omnem dependere, eiusdem libri cap. 7. expressit. atque ob id etiam primum generans ex Pherecidis & Magorum sententia optimū esse, eiusdē tractationis lib. 14. cap. eodem, idem Aristoteles sapientissime affirmauit. Theophrastus autem eius discipulus: & Scholæ Perypatheticæ hæres relictus, libro suo Metaphysices (quem ego librum tanquam pretiosum thesaurum seruo & habere me glorior & si mancum atque decurtatum) is inquàm rerum omniū productionem in primam causam refert. Diuinum (inquit) rerum omnium principium existit. per quod & sunt, & permanent vniuersa. Ergo rerum species, & diuinæ & à cœlo sunt. Quod & Diuinus Plato, Aristotele prior in Timæo diuinitus quoque expressit. dum ait. Volens Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & vndique absoluto mundum hunc simillimum reddere, animal vnum ipsum effecit aspectui subiectum, animalia cuncta naturæ suæ conuenientia intra suum limitem continens. Hactenus Plato. qui hac serie vniuersum hoc quod mundum vocamus, ad similitudinem pulcherrimi & absolutissimi omnium quæ mente concipi possunt factum esse iure affirmat. Id verò ad cuius exēplar factus est mundus, de Platonicorum omnium sententia Idea mundi Deo insita est. quā Iamblichus & Plotinus, mundū intelligibile vocant. Mundi nāq; idea intelligibilis, in Deo est, vt Platonici oēs censent. Iamblichus, Plotinus, Proclus, Ficinus, Chalcidius, Foxius, in hoc autem sensibili mundo animata solum. Siquidem rerum formæ in Deo sitæ, (vt Plethon ait) maiorem & præstantiorē habent essentiam q̄ in seipsis. vt & ratio dictat, & affirmat ex Plethone Foxius. Ergo diuinitatem referunt quæ formā diuinitus acceptam in se continent. Equidem Deus, cum vniuersum hoc mirabili & immensa sua potentia condidisset, rationū atq; formarū omnigena semina illi copulauit, & vitæ seminarium diuinitus induxit: vt cum mundo vim quoq; procreatricē animæ mūdi insitam proferret à medio per totum porrectā atq; extensam. Eius autoris hac ipsa de re hęc sunt, in Timęo verba. Animam (inquit) in eius, nēpè vniuersali, medio collocauit, perq; totū tetendit, atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit. Et paulò post, illa (subdit) à medio per oē vsq; ad cęli extima se porrigens, eiq; extrinsecus circūfusa, seq; in seipsa conuertens, ita sempiternæ sapientisq; vitæ in vniuersum tempus, diuinum dedit exordium. Et corpus quidē cęli spectabile factū est, anima verò, oculorum effugit obtutum rationis & modulaminis cōpos, ab autore suo omniū quæ semper sunt ad intelligentiā pertinent optimo, ipsa quoque optima omnium quæ genita sunt effecta. An non his locis Diuinus Plato, vim genitricem oēm à cęlo atq; anima mūdi in rebus genitis demanasse testatur? Quod ex hoc loco mutuatus Diuinus Vates Vergilius, rē totā mirificè his versibus lib. 6. Aeneidos expressit.

Cap. I.

Loci Platonis explicatio.

Com. in Timeū parte 2. pag 81.

*Principio cœlum ac terras, camposque liquentis*
*Lucentemque globum Lunę, titaniaque astra*
*Spiritus intus alit: totámque infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet*
*Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum*
*Et quę marmoreo fert monstra sub æquore Pontus.*
*Igneus est ollis vigor & cœlestis origo.*
*Seminibus.*

Ab anima igitur mundi vique seminali illi indita, omnia gigni ac propagari quæ in vniuerso sunt animantia, indeque speciebus singulis originem esse: cœlestem igneumque vigorem, per quem actiones quæque edant suas vt cuiusque naturæ conuenit, & Plato cum omni Academicorum Schola: & Vergilius diuinitus dixisse sunt visi. Quin & Auicenna inter Arabes doctissimus, libro suo Metaphysices nono (quem ego vna cum

sexta quarti naturalium, & libro de animalibus, librum sanè inuentu rarissimum hab eo charissimum) capite quinto, id ipsum hac verborum forma expressit.

Oportet (ait) vt ad esse diuersitatem formarum cooperetur diuersitas dispositionum cœlorum. Cœli enim conueniunt in natura iudicij motus circularis. oportet igitur vt iudicium illius naturæ sit adiuuans esse materiæ. vt ad esse conuenientiam elementorum in materia, oportet cooperetur conuenientia dispositionis cœlorum. & paucis interpositis, ea autem (subdit) quæ sunt multa conuenientia in specie & genere, non sunt sola absque consortio alterius adiuuantis, quod est causa essentiæ. quod in seipsa est conueniens vnum. nec facit diuersa nisi quod est aliud ab ipsa (scilicet essentia). Hoc igitur vnum non est ab ea nisi propter ligationem alterius vnius quod reducit eam ad vnum aliquid. oportet igitur vt illud sit vna de intelligentiis separatis. Et mox subiicit, & ipsa est à qua propter consortium motuum cœlestium, fluit aliquid in quo est descriptio formarum mundi inferioris. Quid hac serie firmius adduci possit ad probandum à cœlo ingenerari formas rebus, planè non video: cum velit Auicenna vel ad conuenientiam formarum, vel earundem diuersitatem in iis quæ gignuntur, concurrere necessario oportere cœlorum cum illis vel discrepantiam vel congruentiam. Tum verò quæ specie aut genere conueniunt: eò conuenire, quòd ab altero adiuuentur quod sit in eis essentiæ causa, vnumque efficiat in genere aut specie. Idipsum autem quod id facit (hoc est multa quæ sunt in vnum vel genus vel speciem reducit ac cogit) vnam esse ex intelligentijs separatis,

Explicatio loci Auic. libr. 9. methaph. c.5.

vult meritò Auicenna. quam & ipsam Ideam formæ specificæ vel genericæ vocare Platonici solent. Rursus eodem illo libro & capite, ad maius dictorum robur, hæc prodidit idem autor. & à corporibus cœlestibus fiunt impressiones in corpora huius mundi, propter qualitates, quæ sunt ei propriæ & ab illis fluit in hunc mundum & ab animabus etiam illorum fiunt impressiones in animas huius mundi, & ex his intentionibus scimus quòd natura quæ est gubernatrix istorum corporum & quasi perfectio & forma, fiunt ab anima diffusa vel adiutorio eius. Quàm hæc Auicennæ sententia, & Platonicæ supracitatæ, & Vergilianæ congruat, ipsa series planum facit. cum velit à cœlestibus corporibus influxus & impressiones fieri in hunc mundum (quod & nos paulò ante ex Aristotele adduximus) & à cœlestium corporum animabus (siquidem vna cum Platone & cœlos & sydera

Loci Auiç. explicatio.

animata Auicenna facit) in huius mundi formas influxum delabi, naturamq; supernam, hoc est cœlorum, gubernatricem esse inferiorum horum corporum atque eorum perfectionem: tum verò ab anima diffusa, hoc est ab anima mundi, eiusque vnius ope perfectionem inesse rebus, an non hæc omnia cum Platonis, Aristotelis, & Vergilij supracitatis locis egregiè, immo ad amussim conueniunt? Quin & paulòpost idem autor, à datore formarum immitti formas in materiam ad eam excipiendam formam præparatam, conceptis verbis affirmat, Sic se profectò res habet, gignendarum rerum præcipua vim in cœlo posuit Deus, per quam se mundus impleret animantibus, stirpibus, metallis, lapibus, gemmis, plurimisque rebus alijs quæ & vsui & ornamento essent futura. pro idearum multitudine (vt Plato vult) quæ sunt in mente diuina. à cuius virtute dotes in rebus mirificæque qualitates quædam abstrusiores, ceu à perenni fonte profluunt. Hinc variæ animantium formæ, hinc terrænascentium tot in radicibus, truncis, foliis, floribus ac fructibus discrimina. Hinc miræ in rebus proprietates, Hinc effecta mirabilia, hominis captum supergredientia. Hinc in rebus mirificæ facultates atque potentiæ quas perspicere & admirari, intelligere autem & plenè animo complecti non possumus. vt potè in abstrusis naturæ recessibus positis. vt in attractu ferri à magnete, surculorum à Succino, soluentium medicamentorum delectu in attrahendis aut educendis humoribus. in ratione motus & recursus humorũ in corporibus nostris, cur inquàm bilis tertio quoq; die in febribus recurrentibus & periodicis moueatur, reddere rationẽ difficillimũ est. tum verò & iam cur. Heraclius lapis septentrionem semper spectet & in eum spõte vertatur: cur calthę flores: sese sub solis ortũ pandant, sub meridiem integrę expansi sint, moxq; sensum in occasum vergente sole sese contrahant, vnde solisequiũ planta nomẽ sortita est. An nõ & hoc rursus admirationẽ oẽm superat, remotam piscẽ exiguũ ac paruæ molis, onustã nauẽ sistere ac remorari posse? Torpedinem à longinquo in piscatoris manum stuporem inferre?

Lupum,

Lupum, si prius hominem aspexerit raucum efficere? Leonem ( quod Plinius testatur ) galli cantu, aut rotæ currus strepitu ita terreri vt prorsus pauore concussus aufugiat. Nonne admiranda hæc sunt & in altissimis naturæ archanis posita? Quis tanti sit, aut tantum ingenio polleat, vt horum certam & benè excussam reddere rationem possit? nemo quisquam profectò, nisi hanc vnam, hoc illud efficere quia tale. quod de medicamentis soluentibus, humores delectu trahentibus & educentibus, testatissimum Diuus Mesueus fecit. Platonicæ sententiæ consentiens qui medicamentorum huiusmodi actionem neque eorum temperamento, nec qualitatibus elementariis, nec substantiarum similitudini aut contrarietati deberi: sed facultati secretiori cuidam medicamento cœlitus inditæ hac verborum serie confirmauit Medicamentum (ait) est purgatorium non à temperamento, neque vt contrarium agens in contrarium, quatenus contrarium: neque vt simile trahens & euellens alterum, aut vt contrarium, neque vt leue sursum, graue deorsum agitans purgandam materiam, sed quia talem cœlitus est sortitum facultatem. Omnis enim res (vt a Philosophis dicitur) facultate duplici est dotata & prædita. vna quidē elementari qua calefacit, refrigerat, humectat, siccat, non autem purgat: altera verò cęlesti, hacque vel communi, vel sibi propria, & temperiem illam dirigente: & qua hoc medicamentum est purgationum, illud hanc vel illam vacuationem prouocat, aliud aliā atque aliam habet virtutem. Quæ omnia potest medicamentum à cœlesti virtute ad temperamenturam accedente. Rebus enim omnibus natura (vt inquit Plato) proprietates quasdam indidit, quibus hæ ipsæ quod sibi est proprium agunt, idque pro formæ natura & motione insita. Cum nullius rei actio propria esse possit vlla, nisi quam forma ipsa excitat & dirigit. Et paulo post, Absurdum igitur fuerit existimare, à simili trahi simile: absurdius à contrario: Contraria enim mutuò se expellunt, non attrahunt. Hactenus diuus Mesueus, qui graui & solida sententia effectiones soluentium medicamentorum quibus attrahere humores & ad se deducere solent, non in elementarem rationem nec in eam quæ ex elementorum fit symmetria temperiem: nec in similitudinem ipsorum cum iis quos trahunt humoribus, non item in contrarietatem, sed in vnam cœlestem virtutem temperamento superinditam, tum & in proprietatem quandam pro formæ natura motioneque operantem actiones huiusmodi reiicit Mesueus. idque non minus verè quàm ad Platonis atque Aristotelis sensa. Sed quorsum tam multa de cęlesti vi ac potestate rebus insita, ex Platonis, Aristotelis, Auicennæ, Mesuei, ac diuini vatis Vergilij sacrarijs attulimus? In id scilicet, vt quid proprietas ipsa esset, cui occultiores hæ actiones debentur, ostenderem. curque occulta ea & esset & meritò diceretur monstrarem. Tum verò & in quo sita esset. Est enim proprietas, qualitas sequens formam, illique perpetuò inhærens, nec eam vnquam deserens. & si eius actio a facultate rei indita manans, remitti intendiue nonnunquam possit. Occulta verò meritò dicitur, quòd in substantiæ seu formæ cuius est sinu ac penetralibus tota recondita, incognita nobis sit nec sensibus nostris exposita, & si actionem perspiciamus. Abeant igitur qui omnia in causas patentes, & vt putant manifestas, actiones omnes quantumuis archanas & abditas referre uolunt: nec vllam esse proprietatem quæ occulta aut sit aut dici mereatur. Cum ex his quæ modo prælibauimus, tū ex grauissimorū autorum testimonio, tum exemplis variis effectionū admirabiliū quę attulimus, abundę constet proprietates quasdā rerū admirabiles esse quarū nulla a nobis certa reddi ratio possit. quæ ingenij nostri captum longissimè superēt, sintq; extra aleā cognitionis nostræ posita: q multa archanis naturæ modis fieri pspicimus. Neq; .n. oīa pōt humanus animus capere: & sibi quædā natura seruauit illi quidē notissima, nobis autem prorsus ignota atque occulta. Quod Theophrastus ille sapientissimus animaduertens, grauissimè atque scitissimè illud libro Methaphysices capite quinto dixisse est visus. Fortè (inquit) veritati magis consonum illud existit, palpante ac veluti attingente mente fieri speculationem. At difficilis est (subdit) circa idipsum intellectus atque fides. Siquidem (ait) qui de omnibus rationem quæritant, simul cum ratione scientiam tollunt. immo verius erit dicere, eos rationem petere eorum quorum neque est, neque fuit. Hactenus Theophrastus. Ex cuius grauissima sententia suo plane autore digna, constat non esse de his querendam rationem, quorum reddi ratio nequit ne

lib. 8. natu. hist.

In Canonibus vniuersal. cap. 1.

hinc.

ne simul cum ratione quam nancisci inuestigando minimè possumus. Scientiam quoque amittamus. vt in proposita re de qua tractamus, nempè de archana rerum proprietate, & mirabili medicamentorum soluentium in attrahendis certis humoribus delectu & actione, intueri licet. & ex prælibatis euidens à nobis factum est. At iam de proprietate occulta vocata, quam tertio loco explicaturum me eram pollicitus, abundè satis dictum esse arbitror. Vltimum explicandum restat, quid facultas rei sit, à qua ceu effectrice causa actio omnis procedit. quam nos rem ex grauiorum autorum sensis in apertum promemus. Vt eo absoluto ad quæsiti enodationem grauem profectò ac difficilem properare feliciter valeamus. Ergo cum varia sint in nobis quæ naturæ ductu fiunt opera, quæ & ipsa ab actione vna aliqua procedere oportet: actio autem omnis ab aliqua fiat causa, id sanè á quo actio ceu à causa manat, facultas dicitur. Est enim facultas, definiente Galeno, actionis causa.

lib. 1. de facult. natur.

Equidem cum nihil sine causa fieri axioma sit Physicum: videamus autem carnem, sanguinem, neruum per actionem vnam quampiam facta atque completa (quod opus appellat Galenus) id inquàm quod iam factum per actionem quampiam est, fateri oportet ab aliquo ceu à productrice sui causa factum fuisse id autem quod efficit, facultatis nomine dignamur.

Vbi supra.

Quoniam enim agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam seu potentiam appellamus. Quæ docta Galeni lib. 1. de facult. naturalibus sententia est. Facultas autem in genere eorum quæ ad aliquid dicuntur, esse dicitur. quòd actionis causa sit. causa verò ad aliquid est, refertur enim ad effectum. erit igitur facultas ad aliquid, nempè ad actionem relata quæ ab ipsa proficiscitur, vt ex eiusdem Galeni vbi supra mente habetur.

via facultates inueniendi.

Via autem ac ratio certa facultates inueniendi, quot & quænam sint, ab operibus ipsis petenda est atque actionibus. Quot namque opera erunt, tot certè actiui motus, hoc est actiones à quibus opera edũtur, esse erit necesse: quot verò actiones, tot profectò in genere facultates atque potentiæ erunt. Vt longa serie libro de natur. facult. priore probat Galenus. Atque inter has facultates quæ naturæ deseruiunt, quatuor potissimæ habentur quas ministrantes vocat Auicenna.

Fen. 1. pri. doct. 6. de virtutib.

Eæ sunt Attratrix, Retentrix, Alteratrix, Expultrix, quibus animantium singulæ partes à natura dotatæ sunt. Quin & in plantis similes quasdam est potentias inuenire quibus quod sibi conueniens est attrahunt, retinent, conficiunt, ac in sui naturam transmutant (quæ concoctio dicitur) tum verò alienum & superuacuum naturæque onerosæ abiiciunt. Cur hæc de facultatibus in præsens attulimus? in id scilicet, vt ostendere possemus, vt nihil quicquam in omni natura est ociosum, sic in animantibus & plantis inesse sui generis facultates, quibus vt naturæ suæ conuenit agere possint. Hinc medicamentis à primis elementorum qualitatibus pro varia mistionis ratione, calfaciendi, refrigerandi, humectandi atque siccandi, insitæ à natura facultates sunt, quæ quidem ad materiam magis quàm ad formam spectant. A forma verò humores purgandi, hunc vel illum eliciendi atque trahendi, membra certa iuuandi, vt caput, pulmones, ventriculum, hepar, vterum, renes: tum verò vrinas mouendi, menses euocandi, sudores ciendi, pus creandi, detergendi, implendi ac similium medicamenta alia atque alia, certas & proprias quidem quibus id efficitur facultates habent, quæ medicamenti formam & virtutem cœlitus inditam sequuntur. Neque enim hæc aut materiæ, aut temperamento adscribi vllo pacto queunt, vt supra ex Mesueo probauimus. & si ad hæc tamen temperamentum quadantenus vt instrumentum ad actiones has iuuandas accomodum concurrat: non illi tamen aut humorum delectus, aut euacuatio: aut alia atque alia membra iuuandi actio attribui vsquam potest. Non enim id operantur medicamenta quia calida, frigida, humida, siccave sint: nec quòd sic vel si temperata (vt recte Diuus Mesueus dixit) sed quòd talia, taliaque cœlitus virtute donata. quæ virtus formam sequitur, non materiam, temperamentumué vt supra ex Platonis, & Aristotelis. scitis probauimus.

lib. can. vniuers. cap. 1.

His itaque ad tanti quæsiti elucidationem necessariis expositis, ad quæsiti ipsius discussionem proprius accedamus. in quo ob diuersa sentientium pugnam, nobis (vt video) valde sudandum erit. Sed fata tamẽ viã inuenient: aderitq; vocatus Apollo. Anteq̃ verò ad explicationẽ difficultatis huius accedã, opportunũ fuerit (arbitror) dissentientiũ in ea re autorũ sñias apponere: vt ijs inuicẽ collatis, vltra earum verior sit colligi possit. Ergo Hippocrates vetustissimus (vt antea diximus)

mus) in ea sententia fuit, vt arbitretur soluentia medicamenta eos quidem humores ducere qui illis maximè secũdum naturam familiares fuerint: deinde verò alios humores trahere atque purgare. Quam quidem mentem suam apposita similitudine terrę nascentium, quæ quod sibi conuenit attrahunt, confirmare nititur. vt lib. de natura. hum. ab eo est videre atque tale quid pharmaca soluentia trahere quale terræ nascentia è terra attrahunt. Cuius etiam sententiæ Gal. fuit eadem propè de medicamentis soluentibus inculcans, quæ ab Hippocrate dicta prius fuerant. vt libris primo de natur. facult. tertio de simpl. facul. capitibus. 23. 24. & lib. 5. c. 16. & hoc ipso quem interpretamur de constitutione artis medicæ libro. Atque talis fuit principium horum Medicæ autorum de re proposita opinio.

Hippocratis & Gal. de medicamentis soluentibus opinio

Neque arbitrandum temerè eos quicquam, qui artis principes habiti sunt, censuisse. cum & magna prorsusq; diuina sapientia essent præditi: & summo claroque iudicio ornati. tametsi multa sententia hæc continere videtur, quæ non satis firma esse videri possint: de quibus postea cum eam examinabimus exactè disseremus. Diuus Mesueus, neque in similitudinem & familiaritatem medicamenti cum humoribus, neque in contrarietatem, aut elemẽtarias qualitates, temperamentumve inde manans, medicamentorum soluentium actionem reijcit, sed in virtutem cœlitus illis inditam & formam id præstare valentem quia videlicet tale sit. vt supra attulimus.

Mesuei opinio.

Auerrous Arabs, medicorum cotes, de hac re ex professo loquens libro collectionum seu colliget quinto, capi. 21. medicamenta vult soluentia trahere quidem succos per viam tractus, tum etiam per proprietatem quandam eò quod medicamentum quodque proprium sibi attrahit humorem, nec proprium tantum, sed ab hac vel illa parte nempè, à iuncturis, neruis, cerebro, hepate, venis, cæterisque partibus. quod sine attractu (& verè quidem) non fieri posse putat idem autor. Tractum verò hunc caloris beneficio effici, ab eo quidem calore qui soluenti medicamento insidet, idem existimat. eum quidem humorum attractum perfici non posse arbitratus, nisi cum apertione orificiorum venarum quæ per calorem fit: indeque attractionem humorum fieri caloris huius medicamenti ope. quæ ille his verbis citato loco affirmauit. Et propter hoc totum apparet (inquit) ꝙ medicinæ purgatiuæ non operantur nisi per vnum calorem proprium qui est in eis, qui habet proprietatem trahendi talem humorem. Hæc Auerrois de re proposita mens fuit vnde apparet Auerroen in calorem medicamento proprium attractionis humorum à medicamentis causam referre. quod num verum sit, postea illius mentem discutientes planum faciemus.

Auerroes opinio.

Auicenna in canticis, medicamenta soluentia à tota specie attrahere humores in hæc verba scripsit. Medicina (inquit) quæ è tota specie attrahit humorem seu humiditetem aliquam est bezahar, & medicinæ laxatiuæ seu eductiuæ. Tum verò alio loco hanc de ea re protulit sententiam. Scito ꝙ medicina solutiua ventris, expellit illud quod euacuat cum virtute attractiua quæ attrahit hunc eundem humorem: & fortassè attrahit grossum & relinquit subtilem. quemadmodum facit illa quæ melancholiam expellit. Et paulò post eodem ipso capite. Et videtur quidem (ait) quòd Galenus ex eo quòd certificat, sentiat quòd inter attrahentem medicinam & humorem attractum sit conuenientia in substantia, & propter hoc attrahit ipsum sed hoc (subdit) non est verum. quoniam si attractio fieret cum conuenientia, ferrum attraheret ferrum quum ipsum superaret: & aurum attraheret aurum quum ipsum superaret. hoc tamen certificare non est medici. Hactenus bona fide Auicennæ verba retulimus. Ex quibus videre est quæ illius mens de purgantium medicamentorum actione in ducendis humoribus fuerit. nempè hæc, attrahi quidem à medicamentis humores, sed non attractione ea quæ per substantiarum similitudinem & conuenientiam fit, contra quàm sensisse Galenus sit visus. cuius ipse hoc loco opinionem insectatur nec sine apparenti ratione refellit. Atque hæ priscorum præiudicatæ opinionis autorum de re proposita opiniones fuere.

Tertia parte canticorum apho. 49

Auicennæ opinio. fen 4. primi. c. 4.

Recentiores verò nostri, qui hos longis temporum spatijs sequuti sunt: quorumque est diffusa per orbem virtutis ac doctrinæ merito fama, modo in hanc, modo in illam videntur sententiam inclinare. Siquidem Montanus ille non sine magna honoris præfatione nominandus, libro de differentijs medicamentorum, de euacuatione ea loquens quæ per solutionem fit, purgationem huiusmodi per attractionem virtute medicamenti propria & occulta fieri vult, quæ quidem virtus rationẽ formæ sequatur, an uerò attractio ea fiat ob similitudinem & conuenientiam formarum sub-

loci Auicennæ explicatio

stan-

Mõtati opinio. stantiarumve (quod voluit Galenus,) vel ob aliam quampiam causam, nempè calorem (vt
Auerrous existimauit) asserere non audet. aitq; id humano intellectui fortasse esse penitus
li.3. de simpl. c.23.24. occultum. quòd eas substantias non noscamus. Hęc illius mens fuit. Fernelius Medicorum
& li.5. c 16 Galliæ scientissimus, idem & eloquentissimus, libro secundo de abditis rerum causis, cum
Fernelij opinio in genere totius substãtiæ extremè cõtraria esse voluerit alimẽta & deleteria vocata medi
camẽta, quod & verũ est, inter hæc medio quasi ordine cõsidere medicamẽta purgãtia rectè
asseruit. quæ neque vt alimenta in nostram substantiam conuerti, neque eam ipsam pror-
sus corrumpere, vt deleteria, solent. Extremorum (subdit) hæc naturam habent participẽ,
partim quidem similia, partim dissimilia nobis. dumque nec vinci omnino, nec vincere
» possunt, inimica dissimilitudine velut per seditionem exiguntur & exterminantur, secum
» interim similitudinis necessitudine eum humorem abducentia cum quo maior erit affini-
» tas. Hæc ipsissima Fernelij verba sunt. Ex quibus videre promptum est, id eum voluisse, pur
» gantia medicamenta similitudinis necessitudine & affinitate (quod & voluit Galenus) hu
» mores abducere, medicamentis tamen ipsis inimica dissimilitudine nobis aduersarijs exi-
» stentibus. ob idque à facultate corporis rectrice quasi seditione ab ipsis in corpore facta
» per vim detrudi, exigi ac è corpore pelli. Hæc Fernelij viri nunquam satis laudati de re pro
posita sententia est. Puteanus, integro volumine facultatem eam quæ per substantiarum si
Puteani opinio militudinem succos trahere dicitur, omnem a medicamentorum purgantium consortio
explodere nititur: inq; formam medicamenti substantialem, & in qualitates elementarias
primas & secundas eam vim reijcit qua medicamenta purgantia succos sibi proprios à to-
to corpore trahunt & purgant. vt libri secundi de purgantium medicamentorum ratione,
capitibus, x. & xii. ostendere: sed futilibus certè rationibus nititur. Ioubertus porrò meus,
Iouberti opinio. vir nescias ne doctior, an acutior, & qui in re medica omnibusq; disciplinis in primis con-
sistere summo suo merito potest: vt qui ad reconditam rerum medicarum cognitionẽ, lin-
guarum tum Græcę, tum latinæ vsum eum adiunxerit, vt paucos pares habeat, in secundo
suorum Paradoxorum libro, medicamenta purgantia antipathia quadam humores educe-
Paradoxo. 9. re, non attrahere contendit. Attulimus bona fide celebrium autorum omnium ferè, tum
ueterũ tum recentiorum de re proposita sententias. Quæ cum à se inuicem dissideant, quis
tanti sit, tantumque vel iudicio, vel ingenio, vel denique solida sapientia se præstare con
fidat, vt inter eos medius, vel tanquam censor seuerusque iudex: vel vt arbiter æquus stare
posit? Non has ego mihi partes assumam, vt ne quid præter casam, vt est in prouerbio,
Quis enim ego sum, vt tantæ rei explicandæ sufficere me posse sperem? qui probè virium
mearum conscius, quam sit mihi curta suppellex abundè per me intelligam. Et vbi inter ar
tis proceres de re graui aliqua controuersia est (qualis profectò hæc est) non facilè verum in
uenitur. Quod Damascenus non pessimus autor, in ijs in quibus Aristoteles & Galenus
lib. aphor. aph. 16. dissentiunt vix fieri posse affirmat. quanto magis vbi tam grauium autorum eadem de re di
uersæ & secum ipsæ pugnantes sententiæ, in medium: quasique forum iudiciarium excutiẽ
dæ, & ad veritatis normam expendendæ proponuntur? presertim ubi res ipsa qua de agi-
tur, in intimis naturę recessibus tota posita est ac collocata? ita ut non nisi coniecturis qui-
busdam non ueri scientia aut demonstratione attingi possit? ut eorum stupiditatem, ne di
cam insaniam, aut potius arrogantiam, non satis mirari possim qui rem tantam facilè se ex
plicare posse: & in manifestas & patentes causas reijcere, quę abditissima sunt, posse confi-
dunt, aut sibi temerè nimium persuadent. Ego uerò & si iam rude donatus, extra tamen
quin quennale illud Pythagoræ silentium positus, profari etiam aliquid omni cum mode-
stia de re proposita potero. id à me negocij repellens, ne omnes cogar quæ de re tanta pro
positę sententię sunt, aut euertere, aut quenam uerior sit expendere. quę res ut operosa es-
set, sic certè immensi laboris, & quę plenum uolumen requireret. tantum quid in ea re te-
vendum (ut captus hominis attingere potest) quę mea de ea re mens sit, expromam. Hip-
pocratis tamen interea, Galeni, atque Auerrois expensis ad trutinam sententijs. Qua in
re & si omnem quantulacunque ea in me est, ingenij uim effudero, minus tamen certè ef-
fecero, quàm uel rei ipsius dignitas, uel suscepti muneris amplitudo exigere ac mereri ui-
dentur. sed iam ad rem profero quę de re proposita affirmari posse existimem hęc sunt.
1 Primum, medicamenta per excellentiam purgantia, delectu quodam humores tum
attra-

attrahere, tum etiam educere aio. idque à forma eorum specifica, proprietateque formam insequente ac comitante illis cœlitus impressa non à temperamento proprio, nec à primis elementaribus qualitatibus. Valleriolæ opinio.

2 Attractionem humorum à medicamentis, iuuari plurimum ac promoueri à calore medicamenti asserimus. non tamen ab eo calore, huius vel huius humoris, vt à primo mouente attractum fieri, sed à forma specifica medicamenti, cuius id agere proprium est, affirmamus.

3 Præterea attractum hunc humorum, non ob similitudinem ac conuenientiam medicamenti cum attrahendis humoribus fieri, perinde atque plantæ & animantia quod sibi conueniens est attrahunt, non sic trahi à medicamentis humores: sed magis violento quodam motu, quòd (vt Mesueus ait) naturæ vis inferatur. ob idque ἀντιπαθεία quadam euacuationem humorum à medicamentis fieri: attractionem verò ab eorum formas specifica existimamus.

4. Eductionem humorum non tantum à sola vi pharmaci: sed & vna cum eo a natura medicamento irritata & lacessita, perfici indubiè asseueramus.

5. Medicamentum purgans, si non educat quem educere debet humorem, in eum degenerare atque conuerti & ab eo talem produci humorem qualem educere natum erat, & si id Galenus affirmarit, magnam tamen certa ea res difficultatem habet. nec ita exploratum vt vulgo putatur, habendum est. Hæc mihi de re proposita asserenda planè videntur. li.3.de simpl.fac.c.23

Sed quum non satis sit quicquam pro arbitrio statuisse, nisi quod pro constanti & asserto quis statuerit, idipsum rationibus (quantum res patitur firmissimis) & præiudicatis grauiorum autorum testimonijs quæ asserta sunt, ceu vallo munitissimo fulciat, quæcunque è mente nostra esse in re proposita existimauimus, ea & rationibus & autorum testimonijs confirmare, vt rata haberi possint, amitemur. si modo dexter nobis & propitius in hoc sancto conatu (vt fide in eum confidimus) adesse voluerit Deus veritatis omnis fons, vt qui sit ipse immensa veritas à quo verum omne emanat.

1 Medicamenta porrò delectu purgantia, humores tum trahere, tum euacuare (quod primo loco probandum assumpsimus) Hippocratis, Galeni, Auicennæ, Auerrous, & Mesuei assertione constat, Hippocrates nanque lib. de hominis natura: Galenus, tum lib. 1. de fac. natur. tum lib. 3. de simp. fac. cap. 23. 24. & lib. 5. c. 16. & hoc ipso quem interpretamur de constitutione artis medicæ libro: Auicenna in canticis, & fen quarta primi. cap. 4. & Auerrous libro colliget quinto, cap. 21. & Mesueus in canonibus suis capitibus primo & secundo, id conceptis verbis (vt supra attulimus) affirmarunt. Constat ergo tantorum virorum testimonio, medicamenta cathartica humores tum trahere, tum euacuare. Sed quid testimonijs pugnare oportet, vbi experientia ipsa eius rei fidem facit? An non id quotidiano vsu experimur, datis medicamentis purgantibus, mox agitationem in humoribus fieri, confluxumque in ventriculum & intestina attractorum vi pharmaci humorum? quod sine motu locali quo è venis, cerebro, articulis, alijsque locis attracti per vim humores deducuntur, fieri non posse certissimum est. Mox verò cessante pharmaci opere, deficere quoque cõfluxum huiusmodi, & agitationem atque etiam vacuationem sisti. nonne hæc oculata sensuum fide experimur? Tertia parte câticorũ aph. 49. Prima ratio.

Cum itaque exhibito purgante medicamento, agitari, loco moueri humores, & in ventriculum confluere & intestina, protinusque euacuari cernamus: cessante autem pharmaci opere suis iam viribus destituti, motum cum humorum atque euacuationem quiescere, an non eius euentus causam, in medicamenti purgantis vim congruè reijciemus? Mihi quidem certè optima ratione in id reijciendum videtur. Quo enim tangente afficimur (ait Galenus) & cessante cessat affectus, id eius causam esse statuere oportet. Quamobrẽ cum hausto pharmaco moueri, agitarique humores & alio confluere perspiciamus, non ne attractu id fieri iure existimãdum erit? cum nulla alia pateat via qua id fieri præter tractiuum pharmaci motum existimare possimus. vnde Diuus Mesueus, Medicamentum quidem purgans (ait) à nostro calore in energiam reductum, motu violento vacuat, neque enim vacuaret, nisi naturæ vim afferret. Et paulòpost, ne putes (inquit) medicamentum purgans ventriculo receptum ad humorem vacuandum, penetrare, sed ui attractrice sibi insita, delectu quodam lib. 1. de lo. aff. libr. Com. vniuers. ex versiõe Syluij. » » » »

dam cognatum humorem & familiarem ex venis & corporis meatibus sensum latentibus, ad se in ventriculum & intestina rapere: quomodo magnes ferrum, & succinum festucam, & alia quædam, alia trahunt.

Hoc autem humore, ventriculi & intestinorum natura dum grauatur, eum expellit. Ex quo quidem loco videre planè est, attrahi à medicamentis humores motuque violento ab ijsdem medicamentis (quod vim naturæ inferant) detrudi & vacuari. ob id enim trahuntur & euacuentur, qui attracti sunt humores. Neque enim vacuaret medicamentum nisi naturæ vim inferret. vacuari porrò a medicamentis humores. pręter sensuum fidem, quæ omnes omnium rationes & testimonia superat, sacra Hippocratis autoritas palam facit. Pharmacum (ait) vbi corpus intrauerit, primùm quidem ducit id quod ex omnibus in corpore existentibus sibi maximè secundum naturam familiare fuerit: deinde verò etiam alia trahit ac purgat. Quin & nomen ipsum purgantis medicamenti idipsum plenè ostendit. ob id enim purgans dicitur, quòd virtute propria humores è corpore pellat atq; euacuet. quamquam euacuatio ea non soli pharmaco sed & naturæ quoque tribuenda merito est. vt quæ à medicamento lacessita atque irritata, humores ab ipso attractos expultricis facultatis ope deijcit & foras pellit. Igitur ex his patere arbitror, medicamentum purgans, non solum humores vi propria illi insita trahere: sed etiam euacuare naturæ cooperantis ad euacuationem, auxilio. Rursus vero medicamenta purgantia, humores trahere, ex ipsa tractus natura, ex ipsa etiam medicamētorum virtute exactius probemus. primùm que ex medicamentorum ratione, dein ex tractionis natura (quæ motus quidam localis est Aristoteli) id probabimus. Hippocrates libro de locis in homine, medicamēta ea vult esse omnia, quæ præsentem statum transmouent: omnia autem fortiora transmouent. Ex Hippocratis verbis, quænam medicamentorum purgātium, immo & cuiusuis generis omnium, natura sit, perspicere planè possumus. nempè ea, vt præsentem corporis statum demutent. eò quòd corporis viribus fortiora ipsa sint. Ea vero demutatio, vel alterando, vel occultiore quodam motu agitando fit. alterando quidem, in his quæ qualitatum elementarium ratione vim exercent suam calfaciendo, refrigerando, humectando & exiccando. occultiore autem motu, alexipharmaca vocata, quæ à tota substantia venenis & ferarum morsibus resistunt, tum etiam purgantia medicamenta statum corporis transmouere solēt. quòd enim potentiora sunt, eo quidem humores mouent & trahunt exagitando, & ad motum compellendo. quòd videlicet vim potentia sua ijs ipsis quos mouent humoribus inferunt. quæ illata vis ducit impellitque humores vt loco moueantur, & versus medicamē tum trahantur vt ex Mesueo paulò antea probauimus. Nunc verò ex ipsa tractus natura ab Aristot. pulchrè explicata, trahi á medicamētis humores sumus probaturi hinc sumpto initio. Tractum Aristoteli, motum esse secundum lationem. & est cum motus trahentis aut ad se aut ad aliud celerior eius est motu quod trahitur, neque seiungitur ab eodem. quoniam id quod primò mouet. & est principium motus simul cum eo est quod mouetur. Nihil... aliud prorsus trahi est, eiusdem Aristotelis testimonio, quàm transferri ad mouens planū continuumque existens. quod & nos antea, huius quæstionis initio ex eodem autore attulimus. Cum itaque accepto purgatorio medicamento, loco ac sede sua moueri hnmores cernamus, nempè à venis & distantissimis etiam locis, deducique in ventriculum, vbi medicamentum ipsum insidet: suaque, uirtute non penetrans quidem sua ipsius substantia loca illa unde humores trahit, sed eo transmissa spirituosa sua parte medicamenti uim secum ferente, & ad loca humorum se transferente, indeque uirtute propria humores eliciente, (quod in purgationibus contingit) an non optima ratione trahi ab medicamentis soluentibus humores dicere poterimus? atque eo maximè quòd ei actioni, tractus ratio optimè conueniat. Alioqui si non trahuntur humores, cur in articulorum doloribus hermodactilos exhibemus? & cur opportuna inde sequuta euacuatione, leuari doloribus ægros cernimus? Non alia certè ratione, quam quod qui in articulis & locis proximis insidebat humor, ui pharmaci sit abactus. alioqui enim non cessaret dolor, qui tandiu perstat, quandiu in loco affecto noxius consistat humor. tum uero sedatur, cum abigitur & foras pellitur. quod epoto e hermodactilis medicamento plerumque euenire uidemus. Maneat igitur firmum tum rationum adductarum firmitate, tum experientiæ fide trahi ab medicamentis humo-

li. de hom. natur.

Alia ratio.

lib. 7. physf. cap. 2

Tertia ratio.

lib. 2. physf. cap. 2

lib. 4. mete. cap. 9

humores tum & euacuari quoque, natura ad id coadiuuante. Tractum autem hunc a forma medicamenti ſpecifica, non à temperamento, aut elementarijs qualitatibus fieri, ( quod probandum prima noſtra poſitione aſſumpſimus) conuincamus. Itaque cum actio omnis, quæ ab aliquo fit, aut materiam ſequi, aut formam, aut totum ipſum compoſitum ſit neceſſe (quę concors eſt Philoſophorum omnium ſententia) A materia nulla actio emanare poſſit, quòd ipſa ſuſceptionis tantum & paſſionis, non actionis cuiuſpiam capax ſit : vt Plotinus libr. de materia ſcitiſſimè explicauit, ſequitur profectò, vt vel à toto, vel à forma actio procedat. Atqui a toto procedere minime poteſt, ex quo oporteret ab ipſa quoque materia actionem procedere ſi a toto fieret. vt quod ex materia & forma integretur. Quamobrē quod à toto compoſito procedit, partibus illud totum integrantibus & ſimul iunctis adſcribi debet. alioqui non à toto fieri dicendum eſſet, ſi non vtraque compoſiti pars ad actionem concurreret. quod cum de materia, parte totius integrante affirmari non poſſit, ſequitur actionem toti non deberi. Relinquitur ergò à ſufficienti partium enumeratione, vt à forma rei prodeat actio. Cunque motus hic quo a medicamento purgante humores attrahuntur, actio quædam ſit, nempè motus factiuus quiſpiam ab efficiente manans, neceſſariò concludere oportet actionem huiuſmodi à medicamenti forma cui talis vis deducēdi humores atque trahendi inſita ſit, prouenire ob id rectè Diuus Meſueus altius cæteris in hac parte intonans, actionem huiuſmodi à forma medicamenti prodire, quòd videlicet tale ſit, hoc eſt tali forma ac virtute cœlitus indita præditum, conſtanter & verè aſſeuerauit. idque etiam, non quia ſimile, neque vt contrarium, ſed quia tale, eum fieri humorum attractum, non a temperamento, qualitatibusve elementarijs, vt & ipſe teſtatur, & ex prehabitis abundè me monſtraſſe exiſtimo.

Tractū humorum à forma ſpecifica nō à tēperamēto aut calore medicamēti fieri.

Gal. libr. 1. de loc. affe. & libr. de ſympt. diff.

Secundo loco, attractionem humorum a medicamento, iuuari quidem a calore medicamenti, non tamen ab eo calore, huius, vel huius humoris vt a primo mouente attractum fieri, ſed magis a forma ſpecifica, cuius id agere proprium eſt, affirmauimus id aduerſus diuerſum ſentientes probandum nobis eſt. Sunt enim qui arbitrantur attractum hunc a ſola medicamenti caliditate fieri. in quorum albo præcipuè Auerrous Arabs fuit, qui attractionem humorum ab medicamenti caliditate fieri conceptis verbis lib. colliget, quinto cap. 21. affirmauit. quod & inter noſtræ ætatis medicos Puteanus docere annixus eſt. Libri ſecundi de Purgantium medicamentorum ratione cap. x. Quorum ſenſa num vera ſint penitius diſpiciendum. Nam & ſi diffiteri non poſſumus, à calido attractionem fieri, vt cuius ſit proprium attenuare, fundere, ſecare & ad ſe trahere quod ignis cucurbitulis incluſus manifeſtum facit, ſubditam carnem ad ſe trahens, vt a calido attractionem promoueri certum ſit: attractum tamen hunc qui a medicamento purgante fit, calori eius non eſſe adſcribendum, neque eam item quæ ab eo fit ſolutionem rationibus conuincemus. Nam ſi huiuſmodi attractio a calore medicamenti fieret, oporteret vtique ea prius attrahi debere quæ ad attractionem magis apta eſſent, nempè tenuia quę ſunt, & quæ in vijs ductuum conſiſtunt. Calor namque trahit primùm quicquid tractui magis obuium atque paratum eſt, qualia tenuia, & in vijs ductuum poſita ſunt. Atqui medicamentum purgatorium eligit delectu quodam natiuo quod attrahat, etiam ſi id fuerit a vijs ductuum valde remotum: neq; tenue etiam minuſque paratum, cum craſſa interdum, viſcida ac lenta trahat relictis tenuibus & tractui obſequentioribus magis, quod in Phlegmagogis medicamentis, turpeto, hermodactilis, colocynthide, & cæteris experiri licet. Hæc enim quòd vim habeant pituitam trahendi, hanc attrahent vſque a remotiſſimis locis, nempè iuncturis, & capite, alijſque locis, etiam ſi craſſiſſima & tenaciſſima fuerit. relicta interim bile tū propinquiore: tum ob tenuitatem tractui magis parata. Non igitur attrahet medicamentum humores caloris ſui ope. ſed ob ſubſtantiæ ſuæ ac formæ vim illi cœlitus impreſſam. Nam & ſi calor meatus reſeret, humoreſque attenuet (quod millies in mille locis docuit Galenus) non illi tamē huius aut illius humoris attractus delectu factus ab medicamento adſcribi iure poteſt. vt hac ratione probauimus. Quin ſi caliditati medicamenti, talis attractus debetur, fateri neceſſarium erit, vt quantò quid calidius, tantò potentius humores trahere debeat. Sinapi enim, caſtoreum, naſturtium, calidiſſima eſſe in confeſſo eſt, vt quorum caliditas ad quartum aſcēdat gradum, vel Galeni autoritate. ſintque vrentis & cauſticæ facultatis eorum pleraque :

Probatio ſecundę poſitionis.

Rationes quòd à calore medicamenti attractus humorum nō fiat.

li. 1. de ſimpl. fac. c. 20 lib. 4. c. 1. li. 5. c. 16. li. 2. de feb. diff. c. vlt.

lib. 6. ſimp. c. 142. & li. 7. c. 8.

Colo-

Colocynthis autem & tripolium his minus calidiora cum sint, nempè tertio tantum excessu calida, vt Auicenna secundo canone docet videmus tamen ab his vehementem fieri humorum attractum. minus vtique calidis existentibus, a sinapi autem, & castoreo nullum fieri talem attractum etiam ore assumptis. quod tamen fieri deberet, si vni caliditati tantũ, vt rationi formali humorum tractus deberetur. Non igitur huic, sed formæ medicamenti (vt sæpius diximus) attractus is debetur vt & ratio docet & explicauit doctè Mesueus. Ostendimus caliditatem tractus humorum causam non esse. nunc verò pari ratione nec solutionis causam statui posse doceamus. Nam si solutionis quæ a medicamento fit, caliditas per se causa est, illud confestim sequetur, calida quæ sunt omnia, soluendi potestatem habere si caliditas talis effectionis causa per se & primaria sit. quod tamen manifestissimè falsum esse ipsa experientia docet pleraque nanque vehementer calida cum sint, solutiua tamen non esse ipsa sensuum fide experimur. vt gingiber, sinapi, castoreum, & cætera huiusmodi. Nec valet quæ a Puteano adfertur solutio ob id isthæc solutiua non esse, & si calidissima, quòd sapore suo & odore naturæ sint grata atque amica ideoque cocti lia Multa nanque sunt calida medicamenta quæ nec sapore nec odore naturæ grata sunt, at potius odiosa, quæ tamen non soluunt vt castoreum, ruta calamyntha & eiusmodi talia. Nec valet id quo se fulciunt argumentum propterea caliditatem solutionis esse causam, quòd soluentia medicamenta omnia calida sint. fatendum quidem soluentia medicamenta calida esse omnia: ab eorum vero caliditate procedere solutionem, admitti nullo prorsus pacto debet. vt rationibus a nobis abundè probatum arbitror. Constans igitur maneat nec attractum, nec solutionem humorum a medicamenti calore fieri, sed magis a tota medicamenti substantia virtuteque illi indita vt iam pluribus rationibus assertum a nobis est. & si fatendũ omnino sit, ad attractum caliditatem non minimum cõferre. quòd attenuet, dissecet, vias aperiat, & fluxilem magis reddat humorem. quæ quidem omnia quasi disponens & adminiculans, non vt formaliter efficiens (vt Philosophi loquuntur) caliditas efficere solet. In vniuersum quidem caloris est attrahere fateri possumus: at hoc magis quàm illud attrahere, vtpotè pituitam magis quàm bilem. aut atrabilarium succum, hoc sanè proprium specificæ formæ esse, non caloris, vna cum Platone ac Mesueo, atque Auicenna asserere non dubitamus. De qua quidem eiusque facultate atque proprietate nihil puto aliud quicquam affirmari aut constitui posse, quàm quod est à præiudicatæ autoritatis Philosophis ac medicis assertum. esse quidem illam nobis occultam, naturæ verò cognitam. nec talium rerum rationem esse perquirendam, aut acumine ingenij idagandam, quòd (vt Theophrastus rectè monet) frustra sit rationem quærere cuius nulla ratio inueniatur: metusq; sit, ne ea in inquisitione vna cum ratione & scientiam quoque perdamus vt idem dixit. Docuimus, quod primo loco propositum fuit, medicamenta purgantia, humores trahere atque educere à forma specifica medicamenti, non a temperamẽto, aut qualitatibus manifestis. Illud etiam quod secundo loco proposuimus, attractionem non fieri a calore medicamenti, eorum dico humorum qui delectu a medicamentis attrahuntur huius inquam vel huius humoris, & si ad id caliditas non parum faciat, abundè me probasse arbitror. Nunc verò quod tertio loco asseruimus, videndum est. nempè, an attractus humorum qui a medicamentis fit, ob similitudinem ac conuenientiam medicamenti trahentis cum humoribus fiat: perinde atque plantæ & animantia quod sibi conueniens est attrahunt an violento potius motu quodam, quod naturæ vis inferatur id effici probabilius sit. Hæc enim nobis omnia ad seuerũ vnguẽ expendenda sunt, vt veritas elici possit. Siquidẽ Hippocratẽ Galenumque id voluisse legimus, tacito quodam naturarum consensu & familiaritate qnadam, medicamenta humores attrahere. vt supra longa serie diximus. nec censendum tantos viros, Medicinæ lumina, absque multa ratione in eam incidisse sententiam nec nudis eam protulisse verbis. in quod vitium ne incurreret Hippocrates, dicto suo similitudinem apposuit congruentissimam hanc. Quod quemadmodum terræ nascentia & in ipsam plantata ac sata, vnumquodque trahit id quod naturæ suæ familiare in terra existit, sic & medicamenta purgantia id quod ex omnibus in corpore existentibus sibi maxime secundum naturam familiare fuerit, trahunt. deinde vero etiam alia & trahunt & purgant. Hæc enim ipsissima Hippocratis latinè loquentis verba sunt. Galenus quoque idipsum tum libro de purga-

Caliditatẽ in medicamentis purgãtib. causam non esse.

In puteanum.

lib. metap. cap. 5

Tertiæ assertionis probatio.

lib. de nat. hu a.

purgantium medicamentorum facultatibus: tum libro primo de facult natu. tùm verò lib. tertio de simpl. facul. c. 24. affirmauit. nempè medicamentum quodque catharticum conuenientem sibi succum trahere. quòd rebus quibusque vim quandam inesse idem Galenus velit, qua conuenientem sibi qualitatem attrahant. Quæ & si magna cum ratione dicta videntur, multa tamen altius rem contemplanti occurrunt, quæ huic opinioni negotiũ facescere queant. Illud primum, nullam aut certè per exiguam familiaritatem similitudinemve inter medicamentum purgans & humores corporis interesse. quòd medicamentũ nec substantia sua, nec semper qualitatibus suis cum humoribus conueniat. Siquidem substantia medieamenti magna ex parte solida est, non fluida, liquida, qualis humorum substantia est. Cum sit humor, definiente Auicenna, corpus humidum, liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur. non ergò in substantia conueniunt. Nec valet si dicatur, medicamentum solidum vti est non exhiberi: sed infusum atque liquatum. tumque similitudinem habere cum humoribus, quòd vtraque fusa, liquata, humidaque sint. Cui scrupo facilis est responsio, non in vniuersum verum esse infusum & liquatum preberi medicamentũ. cum & in catapotiorum formam (quæ solida sunt) redactum, & in puluerem non nunquã interdum & in boli formam exhibere medicamenta soleamus. quæ sic exhibita, in substantia profectò cum attrahendis humoribus minime conuenient.

lib. 1. de facul. natur.

Quæ opinioni Hippocratis & Galeni aduersari videantur

fen prima primi doc. 4. cap. 1.

Obiectio.

Obiectionis dilutio

Quinetiam cum infusum liquore aliquo propinatur medicamentum, non propterea simile esse humoribus dicendum est. quòd eam formam ab arte non à natura sit adeptum. sitque accidentaria & artificialis forma illi superinducta, non à natura tributa. Accidentariæ autem & artificio inditæ formæ. rei cuius sunt essentiam non præbent. neque illis actio vlla quæ secundum naturam sit, adscribi iure potest Nullam igitur similitudinem cum humoribus, aut certè (vt postea dicemus) perexiguam habere medicamenta possunt. nisi valde latam & quę similitudinis nomen vix mereatur. Similitudo nanque, expressio est eiusdem in altero, atque in seipso. Siquidem simile Platoni definitur, cui idem quiddam accidit cũ altero. vt cum ouum ouo, lac lacti simile dicimus.

Similitudo quod item & simile.

In Parmenide.

In Amphitryone.

In Menechmis.

Nam in ouo & vitellus, & albumen, & membrana par atque cortex insunt. nec est reperire ouum in quo non hæc omnia insint: ac ob id ouum ouo simile dicimus. vnde prouerbium de valde similibus, non tam ouum ouo simile de rebus indiscretæ similitudinis dictum. quod est a Cicerone libro Academicarum quæstionum secundo vsurpatũ. vti à Plauto hoc, non tam lac lacti simile: item, non tam aqua similis aquæ. Prout & illud ab eodem Cicerone citato loco prolatum. Quam apes apum similes. vt similia sunt & oua ouorum, & apes apum, Quamobrem cum nihil idem in medicamento & humoribus actu sit, quo eodem, vnum referat alterum (vt ouum ouum) non video quonam pacto similitudo inter hæc aliqua intersit cuius merito medicamentũ humores similitudinis ratione attrahere queat. quod vt apertius ostendamus, vtriusque illorum adinuicem collationem faciemus Medicamentum purgans, interdum substantia sua rarum, leue, spongiosum friabileque est, vt optimũ in suo genere tale deligitur. vt Agaricus. at qui ab eo attrahitur & educitur humor, grauis, viscidus lentus, compactus minimeque friabilis est. nempè pituita, quæ isthęc in se omnia complectitur ut sensus demonstrat. Quæ ergo similitudo substantiæ agarici cum attracta ab eo pituita? Quòd si dicas temperamento & qualitatibus elementarijs, pituitæ agaricum simile esse, nihil profectò tale inuenies. Est nanque agaricus temperamento calidus & siccus, uel Dioscoridis, Galeni, Mesuei, & omnium Medicinæ autorum sententia. Pituita quam attrahit frigida & humida. Agaricus sapore amarus, pituita dulcis, acida, insipida, salsa. nec ulla unquam amara est.

Agaricus in alimoniam uerti non potest, nisi in ualde exigua dosi propinatus. Pituita nullo negotio potest, ob id illi natura nullum in quod conderetur proprium uas dicauit, propterea quòd ueluti ex dimidio coctum alimentum existens, non utique uacuari, sed alterari ac confici in corpore manens desideret. Quæ docta Galeni. libro secundo de naturalibus facultatibus sententia est. In quo ergo (quæso) agarico cum pituita conuenit? non substantia, non temperamento, nec ullis alijs qualitatibus, ut probauimus, non loco natali & origine, cum alterum, nempè agaricus, in arborum caudicibus, ceu fungus quidam & eiectamentum nascatur. alterum uero, pitui-

ita ſcilicet,ſuccus quidam ſit à natura vi caloris natiui elaboratus atque genitus. Quæ ergo conuentia inter hæc, quæ ſimilitudo dari poſſit qua hoc illud trahat planè non video niſi hæc ſit valde lata & impropria, quòd hoc, illud attrahere aptum ſit, ob idque illi quod attrahitur familiare aut ſimile dici. & hac ſympathia occulta quidem illa, & à vera ſimilitudine valde remota, medicamentum quadantenus attrahendis humoribus ſimile exiſtimari poteſt.

Obiectio.

At aduerſus hæc quæ de diſcrepantia ſubſtantiæ medicamenti & humorum diximus, obijcere quiſpiam poterit, plura dari medicamenta quæ & ſi non ſubſtantia cum attrahendis humoribus conueniant, qualitatibus ſaltem conuenient. vt ſcammonium cum bile, Polypodium, Sena, Radix barbara. quæ cum bilioſum humorem, eumque etiam exaſſatum attrahant & euacuent (vel omnium Medicorum ſententia) ſintque perinde atque bilis, temperamento calida & ſicca, certè in eo ſaltem conuenire dicenda erunt. Ei obiectioni ſic ſatisfiet, ſi verum id eſſe fatebimur, temperamento ac qualitatibus elementarijs iſthæc quæ enumerauimus medicamenta, cum ijs quos trahũt atque purgant humoribus conuenire. non tamen ea ratione qua ſic temperàmento ſibi inuicem reſpondent, humorem bilioſum trahere aut euacuacuare. alioqui enim oporteret (ſi talis attractio temperamenro adſcribenda ſit) vt quæcunque tali temperamento prædita ſunt, bilem trahendi atque euacuandi facultatem habeant. cuius tamen oppoſitum experientia docet. multa nanque medicamenta calida ſiccaque ſunt, quæ tamen bilem nec trahunt nec euacuant. vt caſtoreum, ſinapi, ruta, naſturtium, origanum, pulegium, calamyntha, & eius generis infinita.

Obiectionis dilutio

Non ergo actio huiuſmodi, temperamento adſcribi iure poteſt. Sed formæ & toti ſubſtantiæ medicamenti vt eſt à Platone, & Diuo Meſueo perdoctè proditum. Atque per hęc obiectioni propoſitæ abundè ſatisfactum arbitror.

Examen opinionis Hippocratis

An verò quæ ab Hippocrate tradita eſt in eam rem de qua tractamus ſimilitudo, de terræ naſcentibus quæ conuenientem è terra ſuccum ſibi aſciſcunt & attrahunt, attractioni humorum quæ à medicamentis ſit, ſimilis ac par haberi poſſit (vt ille libro de hominis natura voluit) expendamus. Longè nanque petita ſimilitudo hæc mihi planè uidetur. quòd diuerſus omnino multoque diſſimilimus ſit motus is quo terræ naſcentia conuenientem quæque ſibi ſuccum attrahunt, & is quo medicamenta humores trahunt. Si quidem tractus ille prior, quo in terram ſata conuenientem ſibi quæque ſuccum ad alimoniam & ſui conſeruationem attrahunt, maximè ſecundum naturam eſt, ſitque proinde blãdo quodam & ſuaui motu. nullam quidem noxam aut agitationem inferens. quinimo cõmodum & vtilitatem maximam terræ naſcentibus adfert. In id enim plantæ ſuccum ſibi conuenientem è terra hauriunt, vt attractum ſuccum contineant, eoque fruantur. indeque ceu conuenienti alimento vegetentur, foueantur, alantur, incrementum & vires ſuſcipiant: talique ſucco vegetata ac fota, fructum tandem pro ſui quæque natura proferant.

Hic eſt ille attractus qui à terræ naſcentibus ſit. cui ſimilimus ille eſt quo animantium partes quæque pro ſui ratione conueniens alimentum ſibi depoſcunt trahuntque. De quo illud peraccommodè dixiſſe Galenum ſcimus, fruitionem, attractionem ſequi. Nam (inquit) ſi appetentia quædam eſt, & attractio, fuerit profectò & fruitio aliqua. vt eo (cum nihil in rerum ſit natura quod propter ipſum, vt ſic dicam trahere, ſiue trahendi functionem, trahat. immo vt eo cuius per tractum ſit compos fruatur. Hactenus Galenus. vnde elicere facile eſt, in id animantia quod ſibi conueniens eſt attrahere, vt attracto fruantur. fruitio nanque in hoc genere tractus, tractionis finis eſt. vt ex præcedenti Galeni ſerie.

lib.3. de facul. natu. In can. vniuerſ.

Liquere poteſt, ſitque attractio huiuſmodi ſine vllo moleſtiæ ſenſu: ſine vi vlla, vt experimento conſtat. At contra, quæ ab medicamentis ſit humorum attractio, neque ſecundum naturam eſt, quòd ab externo agente, epoto medicamento fiat, nec blando & ſuaui: ſed violento & turbulento fiat motu, vt experientia docet. ad quem ſanè ſæpenumero ingens in humoribus agitatio, & non leuis in corpore noxa ſequitur. vt ſenſuum fide experimur, & Meſueus teſtatur. qui eò ſoluere & attrahere humores medicamenta affirmat, quia naturæ vim inferunt. Neque verò etiam attractis humoribus

fruuntur

fruuntur medicamenta perinde atque terræ nascentia succo attracto frui solent. aut animantium partes eo quem sibi ad alimoniam attraxerunt succo. Cur itaque cum tam malè hæc cohæreant, longeque disparia sint, nempè attractus conuenientis succi a plantis è terra, & humorum à medicamentis, cur inquàm, hac similitudine suam voluit Hippocrates roborare sententiam? Nisi dicatur, id tantum Hippocratem voluisse (neque enim aliter aut illius mens, aut ab eo adducta similitudo saluari potest) quòd quemadmodum plantæ quod sibi familiare est attrahunt, sic quoque & medicamenta familiarem sibi quæque attrahere succum. hoc bilem, illud pituitam, aliud atram bilem. is nanque humor ei medicamento familiaris dicitur, à quo attrahi natura aptus est. non quòd attractus is ad eum modum fiat, quo plantæ conuenientem sibi succum attrahere solent, vt supra à nobis abundè probatum est, nec ea mens vnquam Hippocratis fuit. Equidem cum Medicinæ omnis scientissimus Hippocrates esset, nempè melioris Medicinæ parens & instaurator, & (vt Galenus ait) omnium bonorum nobis autor & dux, non tam lippis oculis fuit, vt plenè non videret similitudinem eam a se propositam non per omnia respondere: nec id quoque necesse esse. Quæ enim succorum conuenientium à plantis fit attractio, ab interno sanè principio fit, plantæ ipsius per formam natiuo calore operante idque suaui quodam & blando motu vtpotè qui naturæ ductu fiat ad plantæ alimoniam & conseruationem. Quæ verò à medicamentis fit humorum attractio, neque secundum naturam est. quòd ab externo mouente, medicamento scilicet fiat (vt supra quoque diximus) idque violento motu vt ex se patet.

Interpretatio opinionis Hippocratis.

Laus Hippocrates. lib.3. de crisib. cap. vlt.

Perinde enim humorum à medicamentis attractio fieri dicitur, atque currus ab equis illum trahentibus. Nam & equi currui iuncti vimque illi inferentes currum trahunt: & nisi funibus æqui currui iungerentur, currum nunquam traherent. Trahunt autem, non vt attracto curru fruantur (id enim fieri nequit) sed vt aliquo currum deportent quo videlicet auriga destinarit. sic sanè purgans medicamentum quia vim naturæ infert, vt currui equi, humores trahit atque exagitat. idque non primo & per se, sed natiui caloris nostri ope. Nisi enim à calore nostro in actum medicamenta purgantia ducerentur, nunquam profectò humores traherent vel purgarent. Perinde atque nisi loris equi currui iungerentur, nunquam certè currum traherent. Tum verò, vt equi non vt fruantur attracto curru (quod fieri non potest) sed vt aliquo deuehant, illum trahunt, sic sanè & purgans medicamentum non in id humores trahit vt illis fruatur, sed vt in communes exitus vias ventriculum atque intestina, attractos humores deportet. vt eo delati facilius & expeditius excernantur.

Simile pulchrum.

Tum verò etiam, vt auriga pro oneris gestandi grauitate aut leuitate, modo fortes & pernices equos: modo imbecilliores currui admouet, sic & medicus, in dandis medicamẽtis, modo fortiora modo imbecilliora, pro affectus magnitudine, virium ægrotantis robore aut infirmitate, cœli status & aeris reliquorumque omnium quæ in his attendi debent ratione perpensa, medicamenta dare nouit. Vides igitur, optimè lector quinam conueniant & quo dissideant duo ij attractionum modi? is inquam qui à plantis fit conuenientis succi: & qui à medicamentis singulorum humorum?

Non ergo id voluit Hippocrates, parem esse per omnia attractum humorum à medicamentis, & succi conuenientis a plantis e terra. sed id tantum, vt terræ nascentia conuenientem sibi attrahunt familiaremque succum: sic purgantia medicamenta suum quæque proprium attrahere humorem. quod & verum est, & experientia confirmatum. Neque ita temere reijcere tantorum virorum placita debemus, vt illos potius morose redarguere (nisi pro veritate standum sit nullius iurantes in verba magistri) quàm candide interpretari velimus.

Antiquorum nanque placita, amicè magis definienda, quàm morosè redarguenda esse nos belle monuit Galenus. Itaque ad pensum redeuntes, dicimus duo esse attractionum genera naturale alterum, de quo Hippocrates libr. de hominis natura de plantarum succi conuenientis attractione loquens. alterum uiolentum, de quo Mesueus in canonibus uniuersalibus implicitè loquutus uidetur. ut cum sursum grauia, quæ sunt attrahuntur: aut currus ab equis. atque in hoc tractus genere uiolenti motus

li. 5. de simp. cau. c. 5.

fiunt: neque à familiari, sed ab eo quod vim infert attractio huiusmodi iure fieri dicitur. cui planè persimilis est, quæ a medicamentis purgantibus, humorum fit attractio, quòd violento motu fiat, nempè qua vim infert vt scitè Mesueus dixit. atque ea ratione docti indicent, quonam pacto id quod alicui vim infert illi familiare aut simile dici queat: an non potius aduersarium. Nihil enim simile aut familiare qua tale est, vim vnquam adferre ei cui familiare est solet.

Quod enim vim infert, aduersarium non familiare iure dicimus. In familiaritate enim consensus summus & amicitia perpetuò insunt, in eo quod vim infert, dissensus & inimicitia. Cum ergo purgantia delectu medicamenta vim inferendo naturæ, tum attrahant, tū deducendos humores euacuent, vt experientia docet, & Mesueus affirmat, quinam familiaria attrahendis humoribus medicamenta quę illos attrahere & euacuare nata sunt, dici possint, planè non video. & intellectu certè difficillimum est. Quòd si dicas, eo medicamenta attrahendis humoribus familiaria dici, quòd hoc illud trahat, eadē certè ratione & equos currui, & funes grauia sursum trahentes ijs quæ trahūtur familiaria & similia esse dicemus quo nihil absurdius dici potest. Rursus verò attractum hunc humorum non ob similitudinem medicamenti cum humoribus fieri (quod & antea pro parte probauimus) plenius exageremus. Galenus attractiones, substantiarum similitudine fieri pluribus in locis docuit. putatque in grano gnidio, & cnico, aliquid pituitosum inesse. inductus fortasse, quòd in cnico seu carthamo mollis quædam & lenta substantia albedini coniuncta appareat qua cum pituita congeneitatem quādam habeat quæ & ipsa lenta, mollis, & alba itidem est. obque hanc inter vtraque congruentiam carthamum pituitam attrahere. Quæ si vera sunt eaque ratione cnicum pituitosum esse vult ac proinde pituitam attrahere quòd quæ diximus illi insint, cur nō pari ratione & nuclei pinei, & amigdalæ delibratæ, & oui albumen (quæ omnia lentore albedineque vti pituita participant) cur inquàm hæc neque pituitosa habentur, nec vnquam etiam ingesta pituitam trahent? Inquiet Galenus, quòd imbecilliora sint quàm vt trahere possint. At si ingentem illorum copiam deuores, qua in virtute ob auctam copiam fortiora fieri possint: nunquam profecto ab ijs trahi pituitam cernere erit. & si quadantenus pituitæ similia videri queant. Adde, quòd ex medicamentis purgantibus pleraque, si substantiam spectes, dissimilima humoribus quos trahunt, videri possunt vt supra de agarico ostendimus. qui & ipse cum bilem nedum pituitam trahat & euacuet, Mesueo autore, quænam similitudo agarici cum bile quam trahit? Agaricus colore albus, substantia rarus, sed solidus tamen: bilis colore flaua, substantia verò fluida ac liquida est. Radix barbara eodem autore pituitam elicit. Sed quid rhabarbaro cum pituita. Hoc nanque substantia compactum: illa liquida & fluxa. Hoc colore flauum rubore intermisto, sapore amarum, pituita colore alba: sapore vel dulcis, vel acida, vel salsa, amara nulla vnquā visa est. Sed scio quid ad hæc obijci possit. Dicent aduersarij, malè me substantiæ nomen hac in parte vsurpare nec eo congruenter ad rei tractationem qua de agimus vti. Siquidem substantiæ nomine non intelligi in præsens substantiam, eam quæ in medicamēto per qualitates apparet. cum scilicet dico substantia agaricum leue esse, rarum, fungosum non inquam hæc ea substantia est, qua medicamenta trahere delectu humores dicuntur. cum hæc ea videatur substantia quæ ad materiam qualitatibus varijs pro conuenientia rei præditā spectare videtur sed non ea est substantia qua attractus humorum fieri à medicamentis dicitur. Totam enim substantiam esse volunt, non substantiam absolutè, à qua attractus humorum a medicamentis fiat quæ & ipsa longè alia res est a medicamenti nominata per se substantia, nempè æthereaquædam forma, cœlitus in materiam præparatam supra temperamentum impressa, a qua huiusmodi actio occultiore quadam via perficiatur quod & tu ipse in præcedentibus confessus es, & in eo asserendo multus fuisti. Hæc mihi scio obijci posse.

Li 3. de sim pl. fac. c. 4. & lib. 1. de facul. natu. & libr. de purg. med. facul.

Obiectio.

Obiectionis dilutio

Quibus vt satisfaciam, muniam ipse me, qui non nisi summorum in arte virorum autoritate tueri me possum. Itaque cum communi Medicorum, & Græcorum, & Arabum, & Latinorum schola dicam, non habere me aliud nomen quo agarici naturam exprimam, quàm si vna cum illis dixero, Agaricum substantia sua esse rarum, lene, spongiosum: hæc enim ipsius substantia esse intelligitur, sicuti

rhabarba-

rhabarbarum ſubſtantia denſum, compactum, quòd hæc illius ſubſtantia ſit, & eo nomine hæc quæ modo diximus nuncupanda, autores cenſuere. nec me ea in re falſum haberi, ſi quo nomine celebres autores in explicanda medicamentorum ſoluentium natura vſi ſunt eo ipſe quoque ſim vſus. Quis me iure repræhendat? aut in quo me deliquiſſe dicere queat? Neque enim aliud habemus nomen quo id exprimamus, quàm ſi hanc vel illam eſſe dixerimus medicamenti ſubſtantiam, quum de eo diſſerere exactè volumus.

Fatenr itidem, hanc quam protuli in agarico ſubſtantiam non eam eſſe à qua attractus humorum fieri dicitur: Sed totam ipſam ſubſtantiam cui actio hæc humores attrahendi atque deducendi a cœlo tributa ſit. quæ quidem tota ſubſtantia nihil certè aliud quàm forma rei ſpecifica eſſe poteſt. vt antea quoque diximus. Sed attendamus quæſo, id omne fatentibus nobis (vt & ipſe ingenue fateor: & vera eſſe affirmare non vereor) quid inde ſequatur. Si nanque à tota ſubſtantia medicamenti, humorum attractio fieri dicitur (quod vltro aſſerendum nobis, atque cum omni medicorum ſchola communiter ſentiendum eſt) cum per totam illam ſubſtantiam, forma illa ætherea intelligatur cœlitus medicamento indita, maior inde inſurget de ſimilitudine & familiaritate medicamentorum delectu trahentium cum humoribus attrahendis difficultas. Siquidem cum ea tota ſobſtantia atque forma cœleſtis medicamenti, nihil quicquam terrenæ materiæ aut elementaris naturæ obtineat (vtpotè quæ neque materia vllius generis vlla: nec elementarijs qualitatibus vllis conſtet (ſed puriore ſubſtantia ornata (cœleſti inquam) ſpiritalis tota ſit, qui fieri poteſt, vt ſimilitudine quadam ac familiaritate hæc tota medicamenti ſubſtantia humores attrahere poſsit? Hæc nanque aliena ab omni materia eſt. & ſi in materiam immerſa, prout & forma rationalis: quæ & ipſa in corpus infuſa nihil tamen commune cum corpore habet, vtique extrinſecus adueniens, vt rectè Ariſtoteles dixit. Humor verò qui ab hac tota vocata ſubſtantia attrahitur, & materia conſtat, & ex elementis eſſentiam ſumit.

Forma hæc, atque tota ſubſtantia quæ dicitur, inuiſibilis, nec vllis ſenſibus expoſita, occultaque proprietate quadam formam inſequente operatur. Humores qui attrahuntur & viſui & tactui expoſiti ſunt, & manifeſtis qualitatibus, non proprietate occulta vlla operantur.

Siquidem humores omnes in corpore, aut calfacere, aut refrigerare, humectare, aut exiccare ijs quibus præditi ſunt elementaribus qualitatibus nati ſunt. nec quicquam quod non in has qualitates, aut eorum ſubſtantias referri poſsit, operari occultum poſſunt. ſi quidem interdum humores nimia ſua copia, lentore, aut craſsitie, tenuitateve nimia nocere poſſunt. quæ ſe omnia ex parte ſubſtantiæ tenent. aut quantitatis.

Quæ igitur ſimilitudo inter hanc totam ſubſtantiam medicamenti vocatam, & humores ab illa attractos conſtare poterit? quum nihil idem in ambobus in ſit cuius meritò ſimilitudo conſtare poſsit? Diximus enim ſupra ex Platonis ſententia, ſimilitudinem eſſe eiuſdem in alio expreſsionem: & ſimile id eſſe cui cum altero aliquid idem ineſt. Sed quid idem (quæſo) huic toti ſubſtantiæ cum humore attrahendo ineſt? nihil quicquam certè. vt mox probauimus. In Parmenide.

Hæc nanque ſubſtantia, aliena omnino eſt ab omni concretione materiæ, puriſsima ſubſtantia totaque formali dote & euergiæ plenæ conſtans. Humores ab hac dote magno interſtitio elongati ſunt. Cum ergo inter attrahentem hanc totam medicamentorum ſubſtantiam, & humores attractos nihil idem quo ſimilia dici poſsint. inueniam (præter id vnum quòd hoc illud trahit, quæ uaſta nimium nec proprio ſignificatu ſimilitudo dicẽda eſt) quo pacto ſimilitudine & familiaritate fieri hæc à medicamentis, humorum attractio poſsit, cogitandum peritioribus relinquo. Mea nanque ingenij uis tanta non eſt, (quam habetem & parum acutè cernentem eſſe ſcio) ut hæc pro rei dignitate ac meritò rimari altius queam. faciant id quibus tantum ſapere à Deo datum eſt, id ut inueſtigare poſſint. Ego quidem cum Theophraſto ingenuè profitebor: eius rei nullam quærendam rationem, cuius ratio nulla inueniri queat: & cum Montano doctiſsimo, nec unquam ſatis laudato uiro, nobis fortaſſe de huius attractus uera cauſa quid dicendum ſit, occultum eſſe. ſed ſoli Deo, qui habet omnem ſcientiam, cognitum haberi. Atque per hæc obiectioni propopoſitæ, plenè ſatisfactum arbitror. lib. Metha phy. cap. 5.

Quartæ positionis approbatio.

Eductionem porrò humorum, non ab ipso tantum pharmaco, sed etiam á natura, medicamenti viritata fieri (quod quarto loco affirmauimus) perspectius est quam vt multis in eo insistendum sit. Si quidem euidentissimum cuique est. naturam à medicamento irritari: fierique à vi medicamenti confluxum humorum in ventriculum & intestina, tumque eo influxu aggrauata natura, & eo quo premitur exonerari natiuo quodam instinctu cupiens, expultricis facultatis ope, ad ea detrudenda quo veluti sarcina opprimitur vti solet vt Galenus lib. de feb. diff. priore scitissimè dixit, inquiens, tentat natura suis semper vtēs viribus quod alienum est excernere. Quamobrem insurgens tum corporis rectrix facultas, ea quæ à medicamento vi propria attracta, & in ventriculum deducta sunt, valido conatu emittit. vtporè superuacanea & inutilia: id quod manifesta sensum fide experimur, dum educto vomitu medicamento purgante, nihilo secius tamen quandiu spirituosa illa medicamenti vis operari non desierit, agitationem humorum in corpore perstare. videmus enim sæpenumero epoto medicamento, & aliquandiu in ventriculo consistente postea vomitu reijci, ob eas quas Mesueus recensuit causas, reiectoque medicamento, agitationem tandiu persistere quoad vis medicamenti se tota remiserit, & natura non amplius lacessita, motus suos compescuerit. Adde, quòd in perturbationibus ventris & vomitibus spontinis, natura ipsa, humorum vel copia, vel acrimonia irritata, expulsionem validam sæpenumero facit vt experimento quotidiano in spontinis hisce vacuationibus cernimus. quid ni igitur magis id molietur natura, à medicamenti attrahentis, agitantis & soluentis vi irritata & lacessita? Constans igitur maneat, pharmaci purgantis vim non solam humores educere: sed ab expultrice corporis facultate irritata adiuuari euacuationis opus. Atque hęc pro quartæ positionis assertione dicta sufficiant.

Cap. 5

Vltimæ positionis assertio.

Ad vltimam autem asserendam antequam accedam, quænam Galeni mens fuerit, quũ medicamentum purgans, si eum quem educere humorem debet non educat, quid inde à medicamento fiat, videndum est. vult porrò Galenus, medicamentum in eum conuerti humorem quem educere paratum erat. immo talem ab ipso medicamento produci qualem euacuare suaptè virtute debuerat. Quod ne fide carere sua possit, ipsissima Galeni adferam verba quæ libro tertio de simplicium facultatibus ab eo exarata sunt. Prorsum (inquit) medicamentum purgans vel cum vno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro, similitudinem obtinet, non autem perpetuò permista est eis vis venenosa:

Cap. 23

Quamobrem nec perpetuo licet non purget, iniuria afficiet, verum concoctionem accipiet, talemque producet humorem, qualem trahere natum erat. Hactenus Galenus qui hac serie planum fecit, quid illi de re proposita senserit. nempè si non purget medicamentum: neque permista sit ei venenosa vis, qua corpus iniuria & graui noxa afficere possit, concoctionem ipsum accipere, concoctumque talem producere humorem, qualem trahere natum erat. Hanc verò Galeni mentem paulo altius contemplari, dignum sanè videtur. Igitur medicamentum purgans interdum fine suo frustratur, neque euacuat. interdum plus æquo, effrenemque & noxiam efficit euacuationem. Prioris euentus, quòd suo fine frustretur medicamentum, causa est, vel medicamenti in soluēdo imbecilla vis, vel humorum paucitas, vel retentricis potentiæ vis quæ humores cōtinet, nec effluere sinit, vel viarum ductuum stipatio, aut obstructio, aut humorum ad exitum ineptitudo, crassitie nimia, lentore ac viscitidate, vel tandem purgantis medicamenti minor iusto exhibita quantitas, tum & aeris immodicus in frigiditate excessus, & facultatis expultricis sopita in corpore vis. Hæc enim in vniuersum deficientis euacuationis causæ esse putantur. de quibus exactè Mesueus. Illud etiam sciendum, varia esse medicamentorum soluentium genera. vt sint quædam clemētia, mitia, lenia, quæ verius medicinales cibi quàm medicamenta dici mereantur. quæ & ipsa, præterquam quòd ritè exhibita parum & sine molestia soluunt, si accidat tamen suo ipsa vacuandi fine frustrari, tantum abest vt noxam aliquam corpori inferant, vt planè à natura instar alimentorum superata alendo sint. Quo in genere pleraque eorum aut potius omnia, quæ à barbaris medicis benedicta dici consueuerunt reponi iure debent. in quorum albo Pruna, Mixa (quæ Sebesten Arabes vocant) Mel aereum, manna dictum, Tamarindi, Mel rosaceum, Siliqua Aegyptia, fistularis cassia nuncupata, sirupus ex rosarū diluto confectus, constitui meritò

animaduersio in Galenum.

In Can. vniuersi.

debent

debent. Iſthæc enim ob eam quam cum corpore noſtro familiaritatem habent, in alimoniam à natura integrè ſuperata ac victa verti nullo negotio poſſunt. ita vt & alendo ſint. Sunt verò præterea ex medicamentis quædam grauia, noxia, peneq; deleteria, quæ ſi ſuo fine fruſtrentur, grauem & exitialem inferri corpori noxam ſolent. vt vitioſa colocynthis, quæ ſola in ſua planta naſcitur, Turpetum vitioſum, Agaricus niger & grauis, veratrum, ſcammonium & eius generis infinita. Hæc enim intra corpus aſſumpta, ſi non euacuent, tantum abeſt vt vinci à natura coctionem adepta poſſint. Vt deleteria ſua vi eam ipſam ſuperent & mortem non raro adferant. Itaque iſtius generis medicamenta, ſi ſuo fine fruſtrentur neque euacuent, & in corpore moram trahant, iniuria ſanè, vt Galenus ait, corpus afficient, & grandem adferent noxam.

li. 3. de ſimpl. facul. c. 23.

Vnde ob eam quam in corpore turbationem excitant, raro nec niſi ſumma vrgente neceſſitate ſumenda eſſe candidè Galenus monuit. Ea (inquit) quæ fit per purgantia pharmaca ſuperfluitatum euacuatio, idonea nõ eſt. Nam valde indigentibus (ſubdit) & ex longis interuallis vtilis eſt.

lib. 3. aph. Com. 15.

Atque ob id etiã idem autor lib. 4. methodi, naturę familiaria ſemper eſſe à medico exhibenda quoad eius, fieri poteſt, præcepit. Conſtat igitur ex iis quæ modo diximus, quædam medicamentorũ aliquatenus à natura vinci poſſe: tumque concoctionem accipientia, in alimoniam verti poſſe quòd initia ſint & naturæ familiaria. Quæ mens Galeni fuit libro tertio de ſimplicium facultatibus. cap. 23. in hæc verba. Purgantium medicamentorum (ait) vbi fortè purgatione fruſtrantur, quædam extra quàm quòd noxam corpori nullam afferunt, etiã alimentum homini præbent: Alia verò in corruptionem ac tanquam in venenum vertuntur. Prorſum enim medicamentum expurgans vel cum vno ſaltem humorum, qui in corpore ſunt noſtro ſimilitudinem obtinet, non autem perpetuò permiſta eſt vis venenoſa. Quamobrem nec perpetuò, licet non purget, iniuria afficiet, verum concoctionem accipiet, talemque producet humorem qualem trahere natum erat. Vult itaque hoc loco Galenus, ſi à natura vincatur medicamentum concoctionem accipiens, talem producere humorem qualem trahere natum erat. At idem libro primo facultatum naturalium aduerſus Aſclepiadem ſtylum acuens, eò ipſum redarguit, vehementerque increpat, quòd is vellet à pharmacis ipſis purgantibus vacuatorum quodque tale fieri. Eius eo loco hæc ſunt verba Iam (inquit) in quo omnes homines conſentiunt, nedum Hippocrates, alia medicamentorum purgare flauam bilim, alia nigram, alia pituitam, alia tenue & aquoſum excrementum, ne id quidem concedit: immo à pharmacis ipſis vacuatorum quodque, tale fieri dicit, veluti ab exceptoribus bilis meatibus, bilem. Et aliquanto poſt, Itaque cnicum, coccum cnidium, & hippophaes, haudquaquam ex corpore trahere, ſed facere pituitam ait. Quam poſtea Aſclepiadis ſententiam longa verborum ſerie conuellit. oſtendẽs, ſi medicamentum quod aquas vacuat ſuo fine fruſtretur, neceſſariò ſequi, vt morbum auget ſi talem gignit humorem qualem educere natura aptum erat. Itaque ex his duobus aduerſarijs locis abunde conſtare puto varium in hoc dogmate fuiſſe Galenum cum aliud alio loco de eadem re protulerit vt non ſatis ſui memor pugnantia duobus illis à me ex Galeno citatis locis dixiſſe ſit viſus. Libro inquàm tertio de ſimplicium facultatibus afferens medicamẽtum ſi ſuo fine fruſtretur, talem producere humorem qualem educere aptum erat. Libro vero priore de naturalibus facultatibus oppoſitum aduerſus Aſclepiadem ſuſtinuerit.

Cap. 23. Varius Galenus de eadem re.

Atque hanc ipſam Galeni ſententiam conceptis verbis confutat Auicennas, fen quarta primi, doctrinæ quintæ, capite quarto. de regulis communibus vomitui & ſolutioni vẽtris dum inquit. Illius præterea verbum qui dicit quòd medicina ventris ſolutiua generat illud quod attrahit, aut quòd in primis attrahit id quod eſt ſubtile non eſt aliquid. Et Galenus quidem (ſubdit) licet hoc ſentiat: penitus tamen dicit, quòd medicina ventris ſolutiua, in qua non eſt venenoſitas, cum ventrem non ſoluerit, & digeretur, generabit humorem quem attrahere ſolebat. Sed huiuſmodi dicta non ſunt conuenientia. Rurſus verò eodem ipſo loco in Galenum idem autor inſurgit, quòd medicamẽta ſoluentia humores attrahere ſubſtantiarum conuenientia dixerit idque in hæc verba. & videtur quidem, quòd Galenus ex eo quod certificat, ſentiat quòd inter attrahentem medicinam & humorem attractum ſit conuenientia in ſubſtantia: & propter hoc attrahit ipſum, ſed hoc non eſt verum, quoniam ſi attractio fieret cum conuenientia, ferrum attraheret ferrum, quum ipſum

ipſum ſuperaret: & aurum attraheret aurum, quum ipſum ſuperaret quantitate ſua: Hoc tamen certificare non eſt medici. Ex his duobus Auicennæ locis cuiq; perſpicuũ eſſe poteſt, ipſum Galeno ex diametro aduerſarium eſſe. vt qui minime exiſtimet, medicamentũ etiam ſi concoquatur, in eum humorem degenerare quem attrahere natum erat. Atq; id etiam Galeno non permittit, vt conuenientia quadam cum humoribus medicamentum quos trahere humores debet, attrahat. quòd alioqui (ſi ita res haberet) ferrum attrahere ferrum, & aurum aurum ſi potentius alterum altero ſit, eſſet omnino neceſſe. cum in nullis aliis ſimilitudo & congruentia maior, quàm in iis quæ ſpecie eadem ſunt, qua talia ſunt, inueniri queat. Reſpondebit ad hęc Galenus, ſimilitudine ſubſtantiarum attractiones fieri, non identitate. eſſeque ferrum ferro idem: atq; ob id, vnum, alterum non attrahere. vt neque caro carnem ſimile pituitæ cnicus ab eo creditur, non tamen idem at ſi ſimilitudine ſubſtantiarum, vt ipſe vult, attractiones fiunt, in quo maior ſimilitudo reperiri queat, quàm in iis quæ ſpecie eadem ſunt? an non ferrum ferro ſimilius quàm lapis ſideritis ferro? quis hoc negauerit? itaque quonam pacto ſolui hæc Auicennæ ratio queat planè nõ video. niſi quis rationibus non ſatis firmis, vt ego quidem exiſtimo, tueri oppoſitam ſententiam velit. Sed nos ad id quod ſupereſt abſoluendum. nempè ad id inquirendum, Nũ medicamentum ſi ſuo fine fruſtretur, in eum ipſum vertatur humorem quem attrahere natum erat, nos accingentes, quæſtioni huic colophonem addamus. Difficultatem profectò maximam quæſitum hoc in ſe habere videtur. Si quidem cum autore Hippocrate, medicamenta ea cenſenda ſunt, idq́ue iure merito, quæ præſentem corporis ſtatum transmouent, id eſt demutant alteratione quam pariunt, non videtur commodè fieri poſſe vt à natura vincantur. cum ſuperari exactè à natura medicamentũ delectu humores trahens vix queat. alioqui profectò alimentum, non medicamentum eſſet. non enim loquor de medicamentis lenientibus, lubricantibus, & emollientibus, quæ cum omnino mala qualitate careât: ſintq; cibi potius medicinales quàm medicamenta, vt antea dictum, exactè vinci à natura & in alimoniam verti poſſunt. Non ſic verò ſi quis Scammonium, veratrum, colocynthidem, & huiuſmodi talia deuorarit. quòd longiſſimè ab alimentorum natura degenerantia, negotium naturæ faciant. nec ex his alimoniam ſumere corpus iure exiſtimo. quòd & ingrato ſapore (quẽ natura maxime auerſatur) & mala qualitate, & exceſſu caloris, & ſubſtantiæ cum corpore diſſimilitudine prædita ſint, atque ob id incoctilia. eò enim alimentum à medicamento differre vult Galenus, quòd alimentum integre à natura vinci, medicamentum haud ita poſſit. quòd alterare magis ſubſtantiam noſtram quàm augere, vt alimentum, paratum ſit. Hæc enim medicamenti ratio eſt. vt lib. 1. de ſimplicium facult. capite eodem voluit Galenus. Cum medicamentum mediam quandam naturam inter alimentum & venenum ſortitum ſit: non enim integrè ſuperari vt alimentum, neque etiam in totum perdere atque euertere naturam noſtram ceu venenum poteſt. ſed tantum alterare & à ſuo ſtatu transmouere vt ſcitiſſime Hippocrates dixit. Quæ cum ita ſe habeant, efficitur, vt cum integrè vinci à natura medicamentum delectu trahens non queat (alioqui non iam medicamentum ſed alimentum eſſet) nec profectò in humorem ſe vertet eũ quem educere natum erat. Ea nempè actio generandorum humorum, naturæ ex cibis humores creanti tota tribuenda eſt. vt rectè Auicennas humorem definiens dixiſſe eſt viſus. cum ait, Humorem eſſe corpus humidum, liquidum, in quod in primis nutriens, id eſt cibus, conuertitur. At qui medicamenta cibi non ſunt, vt ex ſe patet: ſit autem cibus materia generationis humorum, vt & ipſemet Galenus libro de humoribus dixit, conſequitur, ex medicamentis veram non fieri humorum generationem cum à medicamentis potius pellantur ac diſſipentur, humores, vt experientia docet, quam ab iis ipſis gignantur. Quo modo enim (quæſo) natura ex iis medicamentis humores procreabit, quos eadẽ ipſa medicamenta perdere, diſſipare, euellere, ac è naturæ ſinu deturbare peculiari ſua ac propria vi ſolent? Contraria nanq; ſunt generatio & euerſio vnius eiuſdemq; rei ab eodem facta. atqui euertuntur ab medicamentis humores vt occulata ſenſuum fide videmus, quomodo igitur ab his iiſdem creabuntur (quod tamen vult Galenus) a quibus corrumpuntur? cum nihil quicquam per ſe contrariorum ſit effectiuum. Præterea generationis humorum finis is eſt, vt a natura genitis humoribus (nempè à ſanguinis maſſa in qua humores omres

Li. 3. de ſimpl. facul. ca. 24.

An medicamentum eũ producat humorem quẽ attrahere natum erat.

lib. de locis in homine.

lib. 1. de ſimpli. facult. cap. 5.

lib. de locis in homine.

Fen. 1. primi doc. de hum.

lib. 3. de ſimpli. cap. 23.

nes continentur) alimoniam sumamus. vt quibus geniti sumus, ab iisdem quoq; fomenta vitæ & alimoniæ capiamus (ab iisdem nanq; à quibus gignimur & ab iisdem quoq; nutrimur. Vel Aristotelis testimonio. Itaque cum substantiam nostram humoribus à natura procreatis seruari certum sit: quæ Hippocrates contenta vocat. à medicamentis autem solutiuis, eos humores à quibus fouemur vacuari ac deiici experiamur, subindeque naturã nostram labefactari (quod extenuatio & imbecillitas viriũ quæ ad huiusmodi euacuationẽ sequuntur abundè demonstrant) quomodo credi possit, vt medicamenta purgantia, etiam à natura quaduntenus superata, eos humores vi naturæ procreare queant, Vt quos ipsa genuit perdant virtute innata, efficiantq;, vt à quibus fouebantur, illis destituamur? Non ergo profecto ex medicamentis, vt ex materia congrua. gigni vsquam poterunt qui vsui sint futuri humores. Tribus enim (vt Galenus ait) substantia nostra seruatur, solidis, humidis, spirituosa substantia. Quæ Hippocrates continentia, contenta, impetum facientia. aptis vocibus explicauit. Quin & vanum videtur talem à medicamẽto gigni humorem dicere, qualem euacuare ipsum aptum erat. quòd si id fiat, aptitudine quadam & conueniẽtia medicamenti ad humorem in quem verti debet, fieri congruum est. iuxta illud Aristotelis, in habentibus symbolum facilem esse transitum. At cum ex præcedentibus, aut nullã aut certè perexiguam & nimis latam inter medicamẽta & humores similitudinẽ esse probatum sit, quin potius dissensus & antipathia (vt ex agitatu, violentoque motu quem in humoribus purgantia medicamenta efficiũt est videre, sequitur profectò medicamẽtum etiam si non euacuet, in humorem quem educturus erat minime degenerare: neq; talem ab eo produci humorem qualem euacuare natum erat. Insuper & hac ratione probari id firmius potest. Nam cum vnum idemque medicamentum varios humores purgare dicatur, vt ab Mesueo proditum est, qui Agaricum bilem & pituitam purgare assueuerat: atq; itidem rhabarbarum vocatum, varios vtiq; ac dissimiles oportebit ab eodem medicamento produci humores ipso inquam a natura superato. Sed cum bilis ex immodico & vehemẽti nascatur calore, vt libro secundo de facult. natur. prodidit Galenus: Pituita verò ab imbecillo & diminuto calore, fiet omnino vt idem calor in vnius eiusdemq; operis effectione immodicus simul & deficiẽs dicatur. si ab eodem medicamento pituita simul & bilis vi natiui caloris gignantur. quod vt dictu absurdum est, sic à sanæ mentis hominibus proferri non debet. Facit præterea Galeni aduersus Asclepiadem adducta ratio, vt magnum inde incommodum corpori sequatur si medicamentum eundem humorem quem euacuare debet, si suo fine frustretur, eundem ipsum generet. Accedet autem id incommodi, quod genito tali humore magis increscet & augebitur affectus. Quippè (inquit Galenus) si aquosum qui in corpore est humorem non vacuat) squama æris scilicet, & ipsum æs vstũ, & chamedrys, & chameleonta (de quibus eo loco exempli gratia agit) sed primum ipsum gignit, morbum fouet. Et paulò post, videtur (ait) vnumquodque medicamentum eam (pituitam scilicet) trahere, non autem eam quæ non est creare. Quamobrem si medicamẽtum phlegmagogum attrahere quidem pituitam potest: generare, non existentem nõ potest, vt ingenuè confitetur hoc loco Galenus: qui fit, vt in simplicium tractatione libro tertio, capite vicesimo tertio, medicamentum purgans si concoctionem accipiat, talẽ producere humorem qualem trahere natum erat protulerit? Hæc enim ipsissima Galeni verba sunt. Quamobrem quum duobus his locis pugnantia de eadem re dixisse Galenum cõstet, non video quonam pacto affirmare certè possimus, medicamentum soluens in eum ipsum conuerti humorem quem attrahere natum erat. Docti iudicent.

li. 11. meth. med.
lib 6. de popul. morb.
lib. 2. de generat. cap. 4 textu n. 13.
lib. 1. de facul. natur.

Hæc nostra de medicamentorum purgantium natura, viribus, effectionibus, & purgandi ratione dissertatio, hæc mens, atque sententia fuit. quam & ipsam prolixa & ampla narratione explicare de industria voluimus, vt summates in arte viros, vel ad nostra autoritate sua firmanda: vel ad meliora proferenda excitaremus. Hanc verò totam dissertationẽ, quantum quidem mente assequi datum fuit, ad veritatis normam (vt ipse arbitror) explicuimus. Neque quicquam in hac tota tractatione attulimus. quod non vel procerum Medicinę testimoniis, vel tandem firmissimis rationibus, vt materia patitur, & per ingenij mediocritatem nostri licuit: demonstrarium. Et si in his firmæ demonstrationes afferri nõ possint: abundè enim fuerit (vt cum Platone dicam) si de sublimibus uerisimilia & quæ

In Timæo.

rationi magis conueniant dixero. Nam in his rebus veritatem exactam attingere posse, hominis est nimium de se confidentis. ac proinde omnia quæ in cumulum veluti congesta de re proposita in medium contulimus, ea quidem Prudentissimi ac in arte scietissimi cuiusque iudicio examinanda, censenda, atque discutienda quasi in Areopagitarum Senatu propono. tantò illis maiorem gratiam habiturus, quanto seueriore cum iudicio, posito liuore ac contradicendi studio, nostra hæc qualiacunq; fuerint ad Aristophanis lucernam expendere in animum induxerint. Nec mea profectò hæc sunt, sed principum in arte virorum, á quorum partibus stare ob id certo consilio volui, vt veritati, quam ipsi tutari magnis certe rationibus visi sunt, suppetias ferrem. A me enim si requiratur, vtranam opinionum, inter tot à me prolatas veritimilior & firmior etiam videatur, respondere haud verebor, Mesuei & Auicennæ (qui fermè in vniuersum quoad præsentem materiam pertinet consentiunt) potiores mihi videri. Sentiat quisq; vt volet, mihi ita sentire visum est, rectè ne an perperam, aliorum esto iudicium. Sed de hac re iam plus satis. Ad reliqua quæ supersunt Galeni explananda denuò reuertamur.

Textus. At quibus auxiliis hęc facias ipsi affectus docebunt. Si nanque omnes ex ęquo succi adaucti fuerint, per venę sectionem vacuatio primaria & maxima adhibetur: deinde frictionibus, exercitiis, & balneis & inedia hoc pacto vacuandum est quoque corpus, si sanguis duntaxat abundauerit.

Com. VAcuandum esse, medicamentis attrahendi facultatem habentibus, in iis quę toto genere præter naturam in corpore constiterunt, nec possunt in naturalem statum reduci, antea dixit Galenus. Quoniam verò multis ac variis auxiliis præstari id potest, nempè sanguinis missione, inedia, frictionibus, balneis, exercitiis, vnde sumenda sit agendorum indicatio, docet hoc loco Galenus. inquiens, affectus ipsos quid nobis agendum sit demonstrare, id etiam nos docere, quando alterutro horum auxiliorum vtendum nobis sit. Porrò morbi genus in euacuationibus præcipuè spectandum esse, Galenus libro inscripto, quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore abundè docuit. Ab affectu nanque præcipuas de medendo sumi indicationes debere, millies in mille locis dixit Galenus. ob idque affectuum cognitionem, principium esse methodi medēdi, idem lib. 2. eiusdē tractationis tradidit. Quod multis ante seculis melioris medicinæ parens Hippocrates docuerat inquiens. libr. de ratione victus acutorum. In singulis perpende vim & speciem morbi idque certè ratione optima. Nam cognito morbo facilis est remediorum inuentio. Rectè igitur nunc à Galeno dictum videri potest, affectus ipsos vacuationis modum nos docere tum etiam auxiliorum in iis curandis differentiam. Si quidem affectus nuda sit intemperies, nullo affluxu humoris constans, huic sanè sola alteratio quæ per contrarium fit, non euacuatio vlla debetur. Vt in arte medicinali, & lib. septimo methodi, passimque alibi plenè docuit Galenus. Sin verò intemperies humoris affluxu sit comitata, tunc non alteratio solum, sed & euacuatio influentis humoris ad curationē necessaria erit. vt præcitatis locis Galen. Quin & auxiliorum modum ipsi quoq; affectus demonstrant. Cum quidam eorum sola inedia, quidam exercitiis, alij balneis, nonnulli frictionibus curari queant. Plenitudinis morbi & quæ in ventriculo cruditates fiunt, sæpè sola inedia curantur: quæ & ipsa inanitione quā parit plenitudinem ac cruditatem sanare potest. Cruditatis nanque pręsentaneum remedium inedia est. vt lib. 7. meth. med. Galenus. Sunt & alia cruditatis remedia ab eodem autore prodita, vomitus, somnus, quies. ac proinde Celsus, decimo quoque die cœna abstinere, vt fastidium tollatur rectè iussit. Balneis uero interdum ex dulci aqua, nonnunquam ex salsis, nitrosis, sulphureis sponte manantibus, plerique morborum sanantur. Qui à calore immodico siccitateuè nimia morbi oriuntur, dulcis aquæ balneo ritè curantur ut libris 7. 10. ac undecimo methodi medendi Galenus. Qui uero ab humorum frigidorum infarctu fiunt, concocto prius & euacuato superuacaneo humore, calidarum aquarum usu sępe tolluntur. Exercitia item paulo uehementiora si sint, plenitudinis morbos auferunt, suc-

lib. 2. & 4. meth. med. libr. quos purgare oporteat. In arte curatiua ad Glauconem. & com. 38. libri 2. d rat. vic. acut. & pasim ubique. Cap. 86. 89.

corum vtique redundantiam exhauriendo. Vt libris primo & tertio de sanitate tuenda Galenus. Tum & frictiones quæ longiores, vehementiores, ac duriores sint, humorũ copiam exhauriunt, & corpus siccant vt libro secundo de sanit. tu. idem Galenus prodidit. Itaq; plenitudinis morbis, sanguinis missione in primis (est enim id in eiusmodi morbis, si vires valeant, præsentissimum remedium, vt lib. de sanguinis missione, & millies alibi docuit Galenus) tum verò etiam inedia, balneis, frictionibus, exercitiis occurri itidem potest. verum igitur est (quod hic dixit Galenus) quibus auxiliis succurrendum sit & quibus etiam vacuationes moliendæ, affectus ipsos nos probè docere. Nec affectus tantũ ipsi, sed & sedes quoque affectæ (quod tamen omisit hoc loco Galenus) de vacuandi modo ac ratione, deq; auxiliis idoneis apparãdis indicationem præbent: vt si pulmones affecti sint, per sputa curari eorũ affectus solent. Si vẽtriculus, vomitu & deiectione, si hepatis gibba per vrinas, si caua per ventrem, si cerebrum per sputum & muccum expurgari solet. Quæ concors est medicorum omnium sententia. His itaque partem hanc satis explicatam arbitror.

omisfionis arguitur Galenus.

Textus.

Si verò bilis flauę, vel atrę succus, vel aquosa quędam humiditas, vacuatione quidem, sed non eadem ac simili utendum est. Nam primarum venarum recremẽta, pharmaco attrahente purganda sunt, aliarum per urinas, siquidem aquosa ac tenuia fuerint: biliosa uero purgatione elicienda.

Com.



Væ esset curandi ratio vbi omnes succi ex æquo abundauerint (Plethoran id vitij Medici vocare solent) præcedenti serie nos belle docuit. Galen. Qualis verò adhibenda sit curatio, cum vnus quispiam humorum supra reliquos dominatum tenuerit, bilis inquàm, atra bilis, pituita, serosaué humiditas, docere nunc Galenus ingreditur. Inquiens, vacuatione quidem indigere hæc quæ seorsim redundant sed non simili ac pari atque vbi plethora subest. Siquidem cũ vnicuique humori redundanti sua quædam sit propria ac peculiaris purgatio, per ea quæ hunc vel illum humorem à tota substantia eliciant (de quo tam valde multa paulò ante attulimus) alia profectò erit quæ bili exuperanti, alia quæ pituitæ, aut atrę bili, serosæué humiditati purgatio debetur quàm quæ euacuatio omnibus succis æqualiter in toto redundantibus. Hanc enim Hippocrates vel Galeni testimonio euacuationis nomine dignatur, illam purgationis. Cum enim (ait Galenus) humores omnes æquatiter euacuantur, vacuationem simpliciter Hippocrates dicere consueuit: Purgationem autem, quando praua affecti qualitate. Ergo vbi vnusquispiam seorsim humor abundauerit noxam inferens, hic purgatione propria q̃ eũ humorẽ educat vacuãdus erit. Bilis quidẽ cholagogo Phlegmagogo pituita, Atra bilis Melanogogo educẽda erit. vti aquosa & serosa excremẽta, per ea aquas trahunt ac purgant quæ hydragoga Græci vocant. Recrementa porrò quæ in primis venis abundant pharmaco attrahente (inquit hoc loco Galenus) purganda sunt: aliarum per vrinas, siquidem aquosa & tenuia fuerint. Primas venas appellat, quæ in mesereo sunt hepatis cauo contiguę: in quibus si forte fortuna superflua redundent, nec inde pellantur, obstructiones creare nata sunt. quæ prohibent quo minus chylus ad hæpar deduci commode possit. Vnde chylosæ deiectiones, mali habitus, & nonnunquam (si diutius perstet affectus) tabes corporis nasci solet. ob id attrahente medicamento purganda quæ in primis venis excrementa hærent, magna ratione iussit Galenus. Sed quando & venæ ipsæ à quibus deducere excrementa huiusmodi oportet, ventriculo & intestinis proximæ sunt, vehementi pharmaco haud indigent. sufficiet enim Galeni picra, vel è palmulis confectum medicamentum, Diaphenicon Pharmacopei vocant, mediocri dosi exhibitum. tũ & radix barbara & qui ex diluto rosarum solutiuus paratur sirupus. isthæc enim & clementer euacuant, & eorum vis ad longinqua non se rapit. Illud enim in vniuersum obseruandum est, vt cum è proximo euacuare cupimus, leuioribus id agamus: cum è longinquis partibus, fortioribus id agendum medicamentis. vt Auicennas & Mesueus docuerunt.

libr. 2. aph. Com. 17.

Pen. 4. primi. cap. 3. 4. Mes. in cã uniuers.

Aliarum

Aliarum verò partium, nempè renum, vesicæ, vreterarum, tum & gibbæ hepatis partis, quæ in eis excrementa redundant, ea per vrinas educere tentandũ. ꝙ aquosa & tenuia plerunq; sint quæ in his consistere partibus recrementa solent. & cõmodè per vrinarios meatus deduci cõione viarum talia possint. ob id per vrinas pellenda iubet Gal. vti biliosa purgatione elicienda. ꝙ quum naturæ modum egressum quippiam est, nec amplius in naturalem statum reduci potest, mox certè purgatione id educendum est. ne moram in corpore trahẽs, vel putrescat, vel obstruat, vel tumores sui generis creet. quod ne fiat, purgatione quod nociturum est abigendum erit quicquid tale fuerit. prout & tenuia quoq; & aquosa, & ipsa quoq; purgatione pellenda sunt. vt hic Galenus.

Textus. Porrò quę in toto corporis habitu consistunt, si tenuia per sudores & medicamẽta cuti admota exiccari debent.

Com. EOrum quæ euacuatione indigẽt, quædam in vasis ipsis, venis inquàm & arteriis consistunt: quædam in membrorum cauitatibus aut substantia, ventriculo scilicet, pulmone, cerebro, hepate, liene cæterisque membris: alia in toto corporis habitu id est carnibus, partibusque externis cuti proximis sedem habent. Musculosum enim genus in externis partibus totius corporis habitu ĩtelligere debemus. cum ex his aut benè compactis, solidis, firmis, aut contra raris, flaccidis, infirmis, de totius corporis habitu ac constitutione iudicium facere (& si ex aliis etiam) nos docuerit in arte medicinali Galenus.

Cap. 59. Ad has externas partes non nisi probè attenuata permeare possunt. crassities nanque transitum impedit: tenuitas promouet ac iuuat. Ergo quæ sic attenuata ad proxima cuti loca peruenerunt, sudoribus elicienda sunt. ꝙ iamdiu venas egressa, in eas remeare nequeant, nec item purgatione solui. ꝙ in aeream quandã substantiã rorulentam degenerarint: quæ purgatione educi non possit. Sola igitur restat per sudores euacuatio qua foras è corpore pelli queant. Fit autem interdum vi naturæ eiusdemque beneficio, hæc sudoris per externos corporis meatus emanatio. quum natura causis fortior quicquid tenue & vaporosum fuerit ad cutem propellit, vt in crisibus fieri sæpe videmus: earum præsertim febrium quæ à tenuibus & calidis succis oriuntur, in quibus sudores decretorio elici quæ nocebant intus condita excrementa, tenuia quidem illa, cernimus. vt in causo, tertianisque febribus sæpe experimur. Interdum verò arte sudores mouemus sudorificis medicamentis quæ calida sufficienter, meatusque corporis reserantia esse oportet. in quorum albo sunt apium, calamentum, ciclaminis radix, Parthenium, canapis semen, Attractilis siue cardus benedictus, Thymi decoctum, vinũ generosum tenue, crocus, & id genus multa. Quin & medicamentis foris admotis sudorem interdum elicimus. quæ quidem calfaciendi potestatem habeant & ad cutem euocandi quæ tenuia sunt, apta quæ in sudorem vertantur. vt fotus calidi, pectori, ventri & hyppocondriis adhibiti. ex calamyntha, tymo, origano, yssopo, apio, arthemisia & similibus in vino albo decoctis. Item vas æneum vino calente plenum in quo vnum ex prædictis aut plura ebullierint. tum & si æger stragulis multis tectus somnum capiat, sudorem id elicere sæpe solet. prout panni linei calefacti, & lateres igni admoti donec incalescant vino irrorati, & hyppochondriis pedibusque calentes appliciti, sudorẽ nõ minus euocare solent. Omitto quæ ex vnguẽtis sudorificis parare medici non rarò solẽt vt sudor promoueatur. quod ij qui lue Venerea tentantur experiri vel inuiti sępe coguntur. Per hæc omnia sudor cõmodè elici arte põt, & tenuia q̃ ad extima corporis feruntur, probè euacuari. Porrò cũ sudor superfluit, vel natura vel arte euocatus, ne vires dissoluat & corpora attenuet (ꝙ sudor im-

libr. 2. aph. Com. 28. modicus autore Gal. facere sępe solet) medicamentis q̃ exiccandi vim habeãt cuti admotis occurrendũ erit. vt hoc loco monet Gal. Sudorẽ porrò cohibent, quæ frigida & sicca adstringendi facultate prædita sunt. vt oleum myrthyum, rosaceum, omphacinum, è malis coroneis paratum, a lentisci semine: & eius generis plurima de quibus apud Dioscoridem, & Auicennam. Quoniam autem de sudore eliciendo hic agimus, haud ab re fuerit,

si quid

ſi quid ſit ſudor, & vnde generetur, ex Medicorum penu huc attulerimus. Sudorem definit autor Definitionum medicinalium (Nam Galeni is liber, & ſi illi adſcribitur minime eſſe mihi videtur) vt ſit tenuis ac feroſæ humiditatis ſanguini miſtæ colatura. Galenus libro primo de ſanitate tuenda excrementa quæ ex concoctionibus in corpore factis reſident, vnum vult eſſe tenuiſſimum & ſeroſum excrementum, cui nullus certus à natura meatus præſcriptus ſit. quod & ipſum expellitur tamen partim actum per ipſa molliora corpora, quæ fluentis eius uiolentiæ cedunt: partim facile eiicitur in ſpeciem halitus ab inſito calore ſolutum: partim violento motu confertim erumpens. atq; quod ita excernitur ſudorem appellant. Hæc ipſiſſima Galeni præcitato loco verba ſunt. Eius autem humoris generationem, libro decimo de ſimplicium facultatibus pulchrè Galenus expreſſit de ſudore ex profeſſo loquens. Sudor (ait) vnus hic eſt humorum in animantis corpore prouenientium: & eandem habens materiam quam vrina. & eundem generationis modum. Siquidem vtrique ex bibito humore conſtat generatio excalfacto ſimul in corpore, & bilioſæ nonnihil ſubſtantiæ adepto. Verũ ſudor plus eſt elaboratus, vtpotè qui ad cutem vſque permeatis omnibus quæ interſunt partibus peruenit ſudores enim, vt idem autor libro quarto aphoriſmorum com. 37. dixit, ex cutæ euacuantur. Galeno ſuppetias fert Auicennas ſecũdo canone ſudorem definiens cum ait, ſudor eſt aqueitas ſanguinis cui pus cholericum eſt admiſtum. Itaque, vt ad mentem Galeni explicandam reuertamur, vult tenuia quæ in toto corporis habitu conſiſtunt ſudoribus elicitis vacuari, & medicamentis exiccantibus cutis admotis exiccari. Quæ Galeni mens fuit. nempè, vnicuique humori pro ſui ratione ſui etiam generis vacuationem deberi: humoribus nanque omnibus ex æquo redundantibus ſanguinis miſſione, purgatione verò humoribus vitioſis qualitate peccantibus: tenuibus autem in toto corporis habitu conſiſtentibus, ſudorificis medicamentis & his quæ exiccandi vim habeant. [Cap. 655.]

At ſi bilioſa extiterint, primum purgare, deinde per cutem euacuare cõueniet. [Textus.]

ET hic iterum quæ bilis purgandæ ratio ſit, docet Galenus. duobus illam modis vacuari poſſe demonſtrans, purgatione primum: hoc eſt eductione per ventrem (id enim purgationis nomine autore Galeno audire oportet) tũ poſtea per cutem elicito ſudore. Hi bilioſi excrementi vacuandi modi. [Com.] [li. 2. apho. com. 17]

Quoniam verò hoc loco Galenus primùm purganda bilioſa vult, videtur id innuere bilim eam quæ redundat, & noxam adfert, mox eſſe nulla expectata concoctione purgandam. Quamquàm hic aduerbium (primùm) ad id refertur quod ſequitur. Vt ſenſus ſit, prius quidem bilem per aluum purgandam: mox per cutem ſudore elicito vacuandam: neque enim prius licet ſudorem euocantibus medicamentis vti, quàm purgationis per ventrem redundantis bilis habita ratio ſit. vt Galenus paſſim, præſertim libro vndecimo methodi docet. & Auicennas fen prima quarti, cum ait. Et fac ſequi ſolutionem ventris, ea quæ prouocant vrinam & ſudorem. Itaque & ſi hic verus ſit huius loci Galeni ſenſus, haud tamen extra rem fuerit, ſi etiam interpretemur bilioſa primùm, hoc eſt, primo quoque tempore cum redundant, vacuanda eſſe. quod ſi ſic, nulla profectò concoctio aut maturatio vocata expectanda erit. Vnde maxima ratione talia purgatione indigere dixiſſe hoc loco Galenus eſt viſus. Nec ſolum hoc loco: ſed & aliis etiam multis idem protulit. nempè libro inſcripto, Quos purgare oporter. & libro tertio progn. Com. xxv. & lib. j. aphoriſ. Com. xxiiij. & lib. 2. aphor. Com. 9. & lib. 7. meth. medendi, quòd humores ipſi bilioſi, abundè calidi, tenues, ob idque ad excretionem paratiſſimi ſint: eoque confeſtim euacuandi. Vt libro tertio præſagiorum. Com. 25. his verbis eſt teſtatus Galenus: Sæpe definitum iam eſt (inquit) vt humores calidiores tenuioreſque paratiſſimi ſint ad excretionem. Itaque quæſtionis eſt haud parum ambiguæ. Num bilis confeſtim purgari, num expectari in ea prius concoctio debeat. In qua ſanè difficultate videre eſt pleroſque non dilutæ autoritatis [Quæſtio grauis de bilis purgatione.]

viros in hanc inclinare partem vt confestim vacuandam censeant. Alios eosque graues & summi iudicij in contrarium abire, expectandamque etiam in bili concoctionem existimant. vtrique se Hippocratis & Galeni clypeo, & rationibus haud aspernandis muniunt. ne in eorum albo adscribi meritò possint, qui nuda adferentes verba plus sibi credi postulant quàm qui demonstrationis fide loquuntur. vt libro secundo methodi prodidit Galenus. Vtrorumque ego assertiones in medium adferam, tum verò quid in proposita disceptatione tenendum pro rato sit, quidque magis expediat, si ægrotantium salutem spectemus ( qui vnus perpetuò scopus medico propositus esse debet.) explanabo. eoque fine quæstionem concludam. quod antequam facio, de qua bili intelligendum sit, cum quærimus num prius ea concoquenda quam euacuanda sit, explicabimus. inde ad quæsiti dilutionem peruenientes.

Bilis quid.

Bilis ergo omnium consensu medicorum, humor est substantia quidem tenuis, qualitate atque potentia calidus siccusque: ex eo quod in alimentis assum ac veluti vstum est genitus. qui si suam modo naturam seruauerit, ad varios naturæ vsus est necessarius. vt paulò post ex Galeni & Auicennæ sententia sumus dicturi. Bilem verò cum simpliciter pronunciamus, pallidam illam seu flauam vocatam significari ex Hippocratis sensis habemus. Galenus siquidem Com. tertio ad librum sextum de Popularibus morbis Hippocratis, id ex eodem autore conceptis verbis affirmauit inquiens, Multories supradictum est ( ait ) cum simpliciter Hippocrates bilem dicit, pallidam & flauam vocatam bilem significare. quoniam plusquàm alia bilis genera colore suo inficiat. Idemque habetur Com. quinto ad eundem sextum Epid. & libro tertio de alimentorum facultatibus, cap. de melle: & lib. de tum. præter naturam. cap. x. Bilis autem, vel Galeni & Auicennæ testimonio duplex esse deprehenditur, naturalis inquàm, & præter naturam. Quod ( inquit ) in nutrimento assum ( vt sic dicam ) vstumque nutrimenti est ( fuerit sanè id dulcissimum qualia sunt tum mel, tum adeps ) id flaua bilis est. nempè tenue quid, humidum & fluidum. non quale cum ad vltimum est excoctum, flauum, igneum, & crassum vitellis ouorum simile.

Gal. lib. 2. de facult. natur. Aui. Fen. 1. primi doc. 4. cap. 1.

Hoc nanque iam præter naturam est. Alterum verò quod prius memorauimus, pari modo & nigri succi, quòd nedum illam veluti ebullitionem fermentationemque terræ efficit, naturale est. Hanc itaque naturalem bilim à Galeno vocatam, ab immodico calore gigni, idem ipse supracitata serie, libro secundo de facultatibus naturalibus inserta testari voluit. Sicuti & ipsam quoque bilem vna cum sanguine in iocinore & venis gigni, quod quidem tum proximè citato libro, tum eo qui de atrabile inscribitur, planum Galenus fecit. Quin nec illud silentio prætereundum, bilem hanc quæ secundum naturam est, spumam sanguinis ac veluti florem esse. vt idem Galenus libro quarto de vsu partium, & libro 2. de natura. facult. & Auicennas fen prima primi Canonis dixere. Et profectò idem Galenus, bilem naturalem nihil aliud esse quàm sanguinem tenuissimum calidissimumque, libro secundo artis curatiuæ ad Glauconem, capite de Erysipelate conceptis verbis pronuntiasse est visus, inquiens. Si ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm oportet, mixta fluxio fuerit: vel ex sanguine quidem, sed efferuescente & tenuissimo secundum substantiam, Erysipelas passio vocatur. Auicennas verò bilem naturalem ad mentem Galeni spumam sanguinis esse dixit. colore rubeo, claro, substantia leni, qualitate calida & acuta. Quin ex neotericis Guido cauliacus, non dilutæ autoritatis vir, bilem quoque naturalem, subtilem esse sanguinem voluit. Eius autoris hæc sunt verba. Ex cholera laudabili (ait) quam subtilem sanguinem vocant, vnum fit apostema quod certum & exquisitum erysipelas dicitur. Citatq; eum Galeni locum ( suam vt fulciat opinionem ) qui libro 2. artis curatiuæ ad Glauconem de Erysipelate scriptus est. Constat igitur bilem naturalem, sanguinis spumam esse, sanguinemq; adeo ipsum calidissimum, tenuissimum, ac feruentissimum, vt præfati autores sensere. Atq; hæc quidem bilis naturalis vocata, plurima naturæ commoda præstat. sanguinis quidem massam, vt liberius in vasa permeet, aptiorem efficiendo, intestina etiam ad excretionem proritando. quinetiam vt pulmonibus idoneum alimentũ præstetur, efficit. Quæ docet Gale. lib. 4. de vsu partium, & Auicen. fen primi canonis priore, doctrina quarta, quæ de humoribus

Fen primi doct. 4. c. 1. oct. de apostem. ca. de Erysipelate.

ribus

ribus inſcribitur. Itaque quod in diſceptationem præſentem proponitur, num purganda bilis ſit ante coctionem, de hac minime intelligendum venit. quòd hæc cum ſecundum naturam ſit, minime purgari opus habet. quòd intra naturæ limites contineatur, nec noxam adferat. talia enim minimè purganda ſunt. Sola quæ præter naturam eſt, & qualitate acris, atque à ſanguinee maſſa ſecreta noxam inferens (quæ & ipſa tum excrementum & vitioſus humor, non iam naturalis dici meretur) ea inquàm á corpore ſecerni purgatione meritò debet. dicente Galeno, quando praua affecti qualitate humores ſunt, purgatione educendos eſſe. talium nanque humorum à corpore eductionem, purgationis nomine inſigniendam, Hippocrates atque Galenus ſenſere. Hæc ipſa profectò eſt, de qua quæſitum intelligi debet. quòd ea ſi in venis putreſcat, ardentes febres: ſi extra vaſa tertianas, ſi in partem quampiam fluens decumbat, herpethas creare ſolet. Qui affectus omnes purgatione indigent eius humoris qui tales creat morbos. vt Galenus, tum primo & ſecundo artis curatiuæ ad Glauc. tum libro quarto de rat. vict. acut. Com. vij. & Hippocrates eodem ipſo loco affirmarunt. Igitur de ea ipſa bili id quærimus, num protinus euacuanda: num ante purgationem expectanda concoctio ſit. Cuius quæſiti veritatem vt elicamus.

lib. Quos purgare oportet. & lib. 2. aph. Com. 17.

Primùm quid uera concoctio ſit, à quo fiat, quotuplex ea ſit, & qualis concoctio humoribus ijs debeatur qui ante purgationem, ſui generis concoctionem quandam deſiderant, videndum erit. Abhinc quid de bili ſentiendum, quidque de ea purganda ſenſerit Galenus indagabimus: noſtramque ad Galeni mentem conformem ſententiam apponemus. Concoctionem Galenos multis in locis, alterationem quandam eſſe, ac nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutationem, conceptis verbis affirmauit. Rectius Ariſtoteles, qui concoctionem, perfectionem eſſe à naturali & proprio calido ex oppoſitis paſſiuis dixerit. Nam cum quid concoctum eſt, id tum perfectum eſt, vt idem ait. & meritò quidem. Nam cum alimentum à calido natiuo alteratum, exactè elaboratum fuerit, ita vt in eius quod nutritur ſubſtantiam ſit demutatum, ſummam iam tum perfectionem eſt adeptum. vt cui nihil deſit ad verè alendum corpus. quòd iam præſens alimentum ſit, & in ſubſtantiam corporis transmutatum. fit autem concoctio hæc, à calido innato. Naturalis nempè calor noſter præcipuus eſt coctionis autor, dum in nutrimentum agens elixatione veluti quadam cibum conficit; & in noſtri ſubſtantiam mutat. is nanque omnium naturæ operum opifex eſt. Vt Galenus libro primo aphoriſmorum, Com. xv. dixit. Quid nam concoctio ſit, & a quo fiat dictum eſt. Nunc quotuplex eſſe dicatur, promendum. At verò, ſi verum concoctionis nomen tenere volumus, vnicam tantum eſſe concoctionem quæ in nobis caloris natiui potentia fiat, alimentum in noſtram ſubſtantiam demutantis, fateri cogemur. quæ quidem & ipſa, elixationi (quam ἕψησιν Græci dicunt.) perſimilis eſt. Quamobrem & metaphorice, elixatio iure dicitur. Vt enim virignis quæ in aquam impoſita ſunt, & meatus habent in quos feruentis aquæ vapor per totam ſubſtantiam inſinuare ſeſe poſſit, ſicque contentum ſuccum actione ea concoquere, ſic item à calido innato qui in nobis eſt, dum in cibos agit, vt eos aſſimilet, inque noſtram ipſorum ſubſtantiam vertat, elixatio veluti quædam fit eorum quæ in ventrem ingeſta ſunt. Atque hæc ipſa ad hunc modum facta ciborum alteratio, vera concoctio cenſenda eſt. de qua Galenus lib. iij. de facult. natur. ad hunc modum diſſeruit, Concoctio ciborum in ventriculo, mutatio eorum eſt in propriam eius quod nutritur qualitatem. & idem eiuſdem tractationis libro ſecundo ex Ariſtotelis ſenſis protulit. Atque hęc prima eſt ac germana concoctionis ratio. Altera verò concoctionis differentia eſt, quæ maturationi ſimilis (quam & ipſam πέπανσιν Græci nominant). à calore itidem innato noſtro perinde atq; prior, & ſi non eodem modo perficitur. de qua ex profeſſo Galenus. cum lib. ſecundo de ratione victus acutorum. Com. xlvij. tum libro primo de morbis vulgaribus, Com. aphoriſ. 44 atq; hoc quidem vniuerſalius eſt concoctionis ſignificatū. quod ét his quæ prætær naturā ſunt. & excrementa habentur, cōuenit. & ſi mutata corpus alere nō poſſint. Gal. præcitato loco de victus rōne in acutis hæc ſunt verba. quæ & nos antea cap. 18 attulimus: & hic rurſus ad quæſtionis ꝓpoſitæ enodationē, vt exarētur, ne quid interpretationi deſit,

lib. 2. de natur. fa. lib. de ſympt. diſ. ca. 4. & li. 3. de ſympt. cauſ. ca. 1.

li. 4. meteoror. cap. 2.

ni desit, necessaria visa sunt. Biliosa cruda ita appellauit (de Hippocrate loquens) quoniam & excrementorum concoctionem appellat. quamquam mutata corpus nutrire non possunt. vt bilis vtraque, & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur. Veruntamen quoniam & talia enincit natura, cocta quidem consueuit vocare Hippocrates excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta sunt, cruda verò quæ non sunt euicta. ob id & pus in phlegmonis quæ concoquuntur fieri ait, quanquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, veluti accipit ex crudis vocatis humoribus & pituita, quæ reliquum perfectionis assecuta & prorsus cocta, corpus nutrire possunt. Sic igitur biliosorum humorum concoctio existit, vt sanguinis qui in phlegmone est in pus migrantis. intelligentibus nobis coctionis nomen in suo vniuersaliore significato. Est autem vniuersalius, cum natura causis fortior fuerit, permutaueritque eas suo robore. Et paulò post, Generali præterea hoc coctionis significato vtimur, cum vel catarrhum, vel coryzam, vel fluentes ex his humiditates, vel eas quæ ex oculis manant, aut crudas aut coctas esse dicimus. Ad hunc modum & bilem vel crudam, vel coctam esse pronuntiamus. Quem locum Galenus ex Aristotele accepisse planè videtur. qui libro quarto meteororum, eadem prior scriptis mandauit esse inquam & excrementorum coctionem quandam. vti lachrymarum, puris, & reliquorum cum euicta fuerint.

Alter porrò Galeni locus de hac ipsa concoctione differentis, libro de Popularibus morbis primo scriptus est in hunc modum. Maturatio morbi, concoctio quædam est eorum quæ præter naturam. Hæc autem concoctio deductio quædam est eius quod concoquitur in concoquentis substantiam. Secundum naturam autem corpore se habente vbi ei quod concoquitur cum concoquente, naturæ intercedit familiaritas, mutatio fit & alteratio totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, minimumque superat semicocti. Cum verò præter naturam affecta sunt, quod est, vbi sint à natura immutantis & alterantis aliena, id quod assimilatur paucum est, semicoctum vero excrementum multum. Iam sicut in corporibus sanis concoctionem indicant excrementa, non secus in corporibus affectis indicabunt.

Com. 2. textu. 44.

Hæc Galeni verba fideliter è Græco versa de re proposita tractantis sunt. Quæ Hermanuus Cruserus, librorum de Popularibus morbis interpres, non sat accuratè, quo ad priorem sententiæ partem, vertisse mihi est visus. Sic enim facit Gelenum loquentem. Concoctio enim (ait) naturalis maturatio est morbi. cum nihil tale Galeni series græca habeat. Sic nanque Græcè scriptum est. πέψις γάρ τίς ἐστι τῶν παρὰ φύσιν, πεπασμὸς τοῦ νοσήματος. Quod est, Maturatio morbi, concoctio quædam est eorum quæ præter naturam. Quem etiam locum malè citat Donatus Antonius ab alto mari in methodo à se conscripta de alteratione, concoctione, & præparatione, fidem interpretis, non archetypi Græci secutus. Ex his verò à me citatis ex Galeno locis, luce meridiana clarius constat, duplicem esse concoctionem. alteram in qua quod concoquitur in alteri substantiam transit ac demutatur ferè vniuersum: Altera in qua paucum omninò est quod assimilatur: multum verò quod incoctum relinquitur. Quæ concoctionis species excrementis conuenit, quæ tum concocta dicenda sunt, cum à natura euicta superataque fuerint, ipsa quidem morbificis causis fortiore existente. Vt supra ex Galeno probatum. Nos verò in hac elucidanda quæstione, de hac secunda concoctionis specie, hoc est generali ipsius significato quæsitum intelligi volumus, non de priore atque præcipuo. vt quod his quæ præter naturam sunt, conuenire haudquaquam rectè possit. Cum enim id quæritur, num bilis purganda protinus sit: num concoctio expectanda, de ea intelligimus quæ & iam à naturæ ordine recessit, & excrementum est, noxamq; corpori infert. atque ob id merito vacuanda.

Herminio versio notatur. Donat' ab alto mari notatur.

Qua in quæstione duos uideo dissentientium inter se ordines. Asserunt quidam, bilim quæ exquisita sit mox purgandam, nec coctione vlla indigere, quòd mordax suaptè natura sit, acris, tenuis, calida, & turgere ob leuitatem citatumque motum parata. & quæ si semel ægro negotium faciat, magnam inferre noxam soleat. agitatione quam facit, ægrum quiescere non sinens. quo agitatu & motu naturam ad sui expulsionem proritat. eoque celeriter esse euacuandam, ne præcipiti motu

in partem principem aliquam decumbens, grauem inferat noxam. Iure igitur mox purgãdam censent. vt purgationis celeritate ea auertantur mala quæ inferre bilis parata est. Atque qui sic existimant, non his solum quas attulimus rationibus, sed & Hippocratis atque Galeni autoritate sese muniunt, quo suam tueantur opinionem. Primum enim Hippocratem in suas partes aduocant dicentem, vbi turgent humores confestim vacuandos esse. atqui bilis tenuitate sua, mobilitate, acrimonia, turgere plerunque solet, confestim igitur purganda. De huiusmodi nanque humoribus id Galenus scitissime dixisse est visus, Humores qui in motu vehementiore atque transfluxu ab vna parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes, protinus euacuandos esse. Eos verò qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio moueri oportere, neque medicari ante coctionem. tunc enim naturam habere nos euacuationi adminiculantem. Hactenus Galenus. Cum igitur & bilis ipsa, præsertim quæ exquisita est, moueri de loco ad locum atque transfluere soleat, protinus de Hippocratis atque Galeni sententia, vacuanda ipsa erit. Quin cum & medicari in valdè acutis eodem die Hippocrates iubeat: à bile autem exquisita valde acuti morbi nascantur, ardens febris, tertiana, Erysipelas, mox certè & ab initio, nulla expectata coctione vacuanda erit.

libr. 1. aph. Com. 22. & li. Quos purgare cõueniat.

libr. 4. aph. 10.

Præterea in acutis passionibus nos docet Hippocrates, in principijs medicinis purgantibus vti, à bile autem acuti morbi fiunt: erit igitur ipsa mox ab initio morbi deturbanda. Quem Hippocratis locum enarrans Galenus, sic de tota re censet. Nunc autem (ait) quòd circa principia acutarum ægritudinum tantum contingit purgare vtiliter, nos docet Hippocrates. Nam in longis morbis semper oportet expectare coctionem: in acutis verò cum turgent, etiam ab initio possumus vti medicamentis purgantibus. Insuper ex Hippocratis decreto cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, mouere id oportet. Itaque ante coctionem purgandum, præsertim si á bile morbus fuerit. Quòd si in iis morbis in quibus speramus ægrum conualiturum mox ab initio vacuandum iubet post Hippocratem Galenus, vt purgatione minor effecta quæ morbum facit materia, natura facilius quod reliquum est superet, ac concoquendo vincat, An non id fecisse in affectibus à bile natis præstiterit? vt qui acuti sint, celeris motus velocis decretorij in quibus si procrastinatione purgationem differas, magnam profectò laboranti adferes noxam. retento nimirum intus acri humore & mora deteriore reddito. Ob id confestim (vt in tuto æger sit) purgandus erit. Quod & eo libro cui titulus est, Quos purgare, & quibus medicamentis oportet, Galenus planum fecit. dum tenues & serosos humores inter initia morbi euacuare iubet: vbi verò tenaces & crassi fuerint, vt atra bilis & pituita, concoctionem expectandam. Cum igitur tenuis humor bilis sit, sequitur de mente Galeni inter initia morbi protinus esse purgandam. Quamobrem in tertianis exquisitis, & ardentibus febribus, quòd ab tenuibus & acribus succis ortum ducant, statim eos per morbi initia euacuare medici solent. quòd tenuitate sua vt facilè educantur aptissimi sunt, atque in iis præparationi locus non fit. Constat igitur ex Hippocratis & Galeni decretis, bilem inter initia vacuandam esse. Quod & rursus, Com. xxv. libri tertij prognosticorum affirmauit idem Galenus. calidos & tenues humores excretioni paratissimos esse asseuerans.

libr. 1. aph. 24.

lib. 2. aph. 29.

Quod si sic, cur non protinus vacuandi erunt paratissimis ad excretionem existentibus? & quòd his humoribus alio apparatu ad purgationem opus non sit quàm eo quem sibi à natura asciuerunt? Quin & commentario nono libri secundi aphorismorum, cum vt rectè procedat purgatio, attenuationem humorum necessariam esse doceat, qui talem suapte natura attenuationem adepti sunt, an non aptissimi ad purgationem erunt? Rursum libro septimo methodi, vitiosos ac tenues humores serososque in ventriculo contentos atque hærentes, mox Picræ vsu purgat Galenus. nulla illata mora: lentam verò pituitam, haud prius quàm incidentibus & attenuantibus medicamentis sit euacuationi paratior facta. Atque in hanc sententiam protinus vacuandi tenues calidosque & serosos humores, pedibus eunt Oribasius, libr. primo Compendij Medicinæ ad Enstachium filium ca. xvj. de catarcticis. ex Gal. & Aetius lib. tertio, c. xxiij. de purgatione ex

Antylo. His tantorum virorum testimonijs, firmis etiam rationibus, eorum fulcire sententiam sategimus, qui purgandam bilem exquisitam sine vlla concoctione existimant. Nunc verò, eorum qui contra sentiunt promendæ & rationes, & autorum quibus nituntur sententiæ erant. Sic enim docet eos qui aliorum confutare sententiam & suam firmare volunt. si quid Galeno libro de Purgantium medicamentorum facultatibus creditur. Qui igitur diuersum sentiant, hoc est in purganda bile concoctionem expectandam, hac quidem ratione nituntur, quòd tenues humores omnes crudi sint, quæ verò cruda, ea minimè euacuanda iusserit Hippocrates, inquiens, concocta medicari oporlib. 1. aph. 22. tere, non cruda. Esse autem crudos tenues humores omnes, Galeni autoritate probant dicentis, libro primo Epid. Com. xxv. idque de mente Hippocratis, De humoribus (inquit) qui tenues sunt, omnes esse crudos & vt concoquantur robustam desiderare naturam. In quorum albo Hippocrates & Galenus biliosa reponunt. Si Textu. 25. quidem Hippocrates libro primo Epid. Alui (inquit) turbatæ erant, & biliosa ac pauca mera, tenuia, mordicantiaque deiiciebant. Et rursus libro secundo de ratioText. 47. ne victus acutorum. Interdum (ait) & cruda tum à capite, tum à thorace attrahuntur biliosa. Quem locum enarrans Galenus, ait Hippocratem seriem suam à biliosis crudis exorsum fuisse: Biliosa autem cruda eum appellasse, quoniam & excrementorum concoctionem appellat, quamquam mutata corpus nutrire non possint, vt bilis vtraque & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur. Cruda quidem bilis, flaua admodum est, & acris & malè olens. Cocta autem, & pallidior & minimum malè olens. vt Galenus in eius partis commentario testatur. Quòd si ita res habet, ex præiudicata Hippocratis & Galeni autoritate, bilis ante concoctionem euacuanda certè minime erit. quod faciendum censent qui has partes sequuntur. vt non prius bilem purgatione educant quàm ipsa concocta sit. Hæ sunt autorum de re proposita dissentientium vtrinque adductæ rationes. vtri verò eorum rectius sentiant, mox clarum faciam, si quædam ad quæsiti enodatioQuestionis dilutio. nem necessaria præmisero antequam nodum soluam. Illud in primis, de ea bile nos intelligere, quæ & præter naturam est, & vel multitudine sua, vel acrimonia & mobilitate noxam adferat. Quæ & ipsa in corpore redundans, vel turget, ex vna in aliam partem transfluens, exagitans, & ægrum quiescere non permittens, syncera vtique & mera, vel in parte quapiam fixa, quieta manet, non se in partes varias transponens nec fluctuans. Præterea vel ipsa syncera est, nulli alteri immixta humori, mordicationem vellicatu suo inferens, vel alijs humoribus admista, vel etiam num assatione crassior effecta, instar vitellorum ouorum: vt Galenus libro secundo de naturalibus facultatibus asserit, vel itiFen. 1. primi doct. 4. c. numor. dem pituitæ si admisceatur, vitellinæ bilis speciem creare Auicennas affirmauit. Hæ nãque bilis species, seu differentias dicere malis, esse dicuntur, in id à nobis enumeratæ, vt quando euacuanda bilis ante concoctionem sit, quando in ea concoctio expectanda (in quo tota quæstionis vis consistit), sciri possit. Porrò illud item sciendum, vera concoctione, vitiosos humores iam à natura alienos factos concoqui minime posse. cum concoctionis vera ratio tantum his quæ verè alere corpus possunt: & iis quæ infra coctionis metas substiterunt, competat. nempè pituitæ dulci & acidæ, quæ ampliorem perfectionem à calore natiuo nostro consequuta, verè concoqui & transire in alimoniam possunt. vt Galeni lib. 11. de natur. facult. & pluries alibi mens fuit. Cum verò humores huiusmodi, nempè vtramque bilem, pituitam salsam & ichores concoqui dicimus, ita intelligendum venit vt ea concocta tum dicantur, cum à natura quodammodo euincuntur. vt quoniam hæc preter naturam affecta sunt, & à natura immutantis iã aliena facta, id quod assimilatur paucum est: semicoctum verò excrementum multum. vt supra ex Galeno attulimus. quod quidem fit, cum natura morbificis causis potentior fuerit. de qua concoctione vt supra monuimus, Galenus lib. 11. de rat. vict. acut. Com. xlvij. exactè disseruit. Ad quem modum & vrinas coctas vel crudas, & lachrymas, & sordes & excrementa culi. 4. meteo. Cap. 2. iusuis generis, omnia, concoqui à natura dicimus. vt ex Aristotele atque Galeno probauimus.

Questionis de bile purganda dissolutio. His prælibatis sic dissoluendam quæstionem arbitramur, bilem ipsam quæ in nulla parte firmata, ex vno in alium locum transfluat, & graues concitet casus ægrum

quiescere

quiescere non sinens (vti in ardentibus febribus, exquisitis tertianis, Phrenitide biliosa, & similibus affectibus accidere consueuit) tum certè nulla interposita mora vacuandam è corpore esse. his quas supra attulimus rationibus, autorumque sentētijs pro eorum parte qui nulla expectata concoctione purgandam confestim bilem opinabantur. in quorum sententiam pedibus eo. At si bilis ipsa, vel in parte quapiam firmata hæreat, vel assatione, pituitę ve mistione crassior sit effecta, tum prius haudquaquam mouendam, quàm à natura fuerit euicta. & eatenus tenuior vel naturæ, vel artis beneficio reddita, vt effluxui ac purgationi paratior sit effecta. vt cum id factum fuerit, adminiculantem habeamus ad purgationem naturam. quæ prius concoquere, inde secernere, postremo secreta excernere & euacuare solet. Quæ docta Galeni tum lib. 1. aph. com. 22 tum lib. 4. com. item 22. sententia est. Tales (ait Galenus) humores euacuare conuenit, hoc est qui agitantur & de loco ad locum mouentur ac transfluunt. Eos verò qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. tunc enim (subdit) naturam ipsam habemuę euacuationi adminiculantem. videtur siquidem & ipsa post coctiones, humores discernere, & superfluitates expellere. Constat igitur hic de mente Galeni, quinam ante concoctionem purgandi humores sint: & qui expectata prius coctione. Quòd si quis obijciat, tenues omnes humores crudos esse, vt supra ex Gal. de mente Hippocratis id asserentis attulimus, cruda autem non esse mouenda, vt Hippocrates iussit, bilis autem suaptè natura tenuis sit, sequitur ipsam ante coctionem nunquam mouendam. Cui obiectioni sic responsum volumus, vt dicamus, cruda quidem ex Hippocratis decreto non ante coctionem purganda: nisi tamen turgeant. At verò quoniam bilis, tum cum valde tenuis est, malè oleus, acris & mordax, tum turgere maximè solet: etiam si cruda sit, ob id profectò vacuandam confestim esse, quòd turgeat, fluctuet, à loco in locum transfluens, nec ægrū quiescere permittens, cruda nanque si turgeant (& si plurima non turgent) vacuanda protinus iubet Hippocrates. alias verò semper concoctionem expectandam. Hæc de proposita quæstione sufficere mihi ad illius elucidationem sunt visa. Nunc ad reliqua Galeni explananda proprius accingamur, si prius lectorē admonuero vt ne mihi vitio vertat si in his explicandis, & dissoluendis quæ controuersa sunt, paulò longior fuerim nihil enim in his enodandis intactum relinquere volui, vt quæ controuersa essent ritè componerem.

lib. 1. apho. com. 22.

Obiectio. lib. 1. Epid. Com. 25

Obiectionis dilutio

Quòd si pituita prępolleat, siquidem salsa fuerit purgationem: sin acida moliri alterationem oportet, naturam ad illius coctionem iuuantes. Dulcis multò facilius concoquitur.

Textus.

T purganda esset bilis in corpore redundans, docuit præcedenti serie Galen. Nunc quæ sit pituitæ purgandæ ratio, ea si in corpore præpolleat, docere Galenus ingreditur, ab ea pituitæ specie exorsus, quæ & omnium pessima est, & grauiora inferre mala parata. Hęc verò pituita salsa est. quæ (vt ait hoc loco Galenus) purgationem eamque citam desiderat. Sin verò pituita acida fuerit, quòd coctionem excipere à natura apta sit, moliri eius coctionem oportet. naturam, si minus potens fuerit, eo in munere adiuuantes. Quod si dulcis in corpore abundet, facilius minoreque negocio concoqui poterit. vtpotè naturæ cognata magis atque amica. parumque à natura sanguinis distans. Quem nos Galeni locum vt dilucidius interprætemur, de pituitę salsæ generatione, deque eius malignitate nonnulla recensenda breui compendio erunt, quantum loci huius ratio postulat. & si de ea re plenam fecisse me animaduersionem libro primo Enarrationum medicinalium mearum, enarratione septima memor sum. hic tamen nos, quæ ad huius loci intelligētiam facere videbuntur attingemus. Illud in primis inter pituitæ species, eam quæ salsa est, à natura alienissimam esse, nec cum ea redire vnquam in gratiam posse. hoc est, alterationem qua naturę familiaris fiat subire. quod è putredine videlicet generetur, vel ex serosæ salsuginosęque substantiæ cum pituita dulci mistione, vt Galenus lib. 2. de feb. diff. capite 6. affirmauit. Pituitæ nanque plures differentias

Com

idem

idem autor præcitato loco recẽſet. Quiſquis enim humor in corpore frigidus & humidus fuerit, hunc nominare pituitam ſolet Galenus. [li. 2. de fe. diff. cap. 6] cuius vna quidem ſpecies admodum frigida eſt, maximos interdum dolores creans, cum loco anguſto aliquo contenta fuerit. eſtq́ue talis humor vitro fuſo atque liquato ſimilis. Phlegma vitreum nominauit Praxagoras à quo ſanè pituitæ genere, dolore acerbo inde in imo ventre enato, tentatus quandoque fuit Galenus. vt ipſe de ſe lib. 2. de locis aff. narrata doloris percepti hiſtoria plenè teſtatur, Eſt & altera pituitæ ſpecies quam excreantes ſæpe expuunt quidam ſenſibilem obtinentem dulcedinem. Eſt & tertia alia quæ ſpuentibus acida ſapore apparet. minus quidẽ quam vitrea frigida, magis verò quàm dulcis. Sicuti & altera quæ ſalſa eſt, de qua nobis nunc tractatio. [ſen 1. primi doc. 4. cap. 1] Hæ pituitæ a Galeno traditæ differentiæ, quas præter Auicennas duas ſtatuit, nempè phlegma muſcillaginoſum vocatum, mucco narium ſimile: & Phlegma gypſeum gypſo indurato analogia quadam reſpondens. addit quoque & alteram differentiã Phlegmatis cuiuſdam, quod ſubtile & aquoſum nominat. vt autem commodè Galeni in hac parte ſenſa explicare valeamus, ad pituitæ ſalſæ explicandã naturam accingemur. ſic enim ratio conſtabit, cur illam protinus vacuandam Galenus iuſſerit: dulcem verò aut acidam concoquendam prius. Salſa igitur pituita à ſalis ſapore id nominis ſortita eſt. Quod enim guſtu perinde atque ſal linguam modicè abſtergit atque abluit id ſalſum omnino dicitur. quòd ſi vehementer id faciat ita vt deterſione nimia atque ablutione, de natura aliquid abſumant ac colliquent, qualis nitri facultas eſſe ſolet, id iam non ſalſum, ſed amarum guſtatu percipitur. [I. Timęo] Quæ docta Platonis in Timęo ſentẽtia eſt. [Sal quid.] Sal enim (vnde ſalſa quæ ſunt omnia nuncupantur) idem Plato, corpus terreum quoddam eſſe putat, à quo multus ſit vi caloris ignei exhauſtus humor, at non in totum ſublatus. Cum nanque ignis terram vi ſua calfaciens plurimum attenuauerit, ab eaque plurimum humoris exhauſerit, quod reliquũ eſt, veluti ſemiglaciatum concreſcit, aliquanto in tenuibus terræ partibus relicto humore, cuius commiſtione liquabile tale mixtum efficitur. idq́ue ſal nuncupatur. à quo quæcunq; per ſimilem naturam ſortita ſunt, vt plurimum ab ipſis humoris ſublatum ſit, relicta tamẽ [ſalſa quæ.] in tenui eorum part. (terrea inquam à caloro attenuata) humoris portione, ea omnia ſalſa meritò nuncupãtur, & ſunt. quòd videlicet ſalis naturam referant: quòd miſcellæ eius quę ſal efficit participatu conſtent. & vt magis minuſve hanc in ſe naturam corpora conceperint, ſic magis minus ve ſalſa iudicanda erunt. Ab his quæ talia ſunt, ſalſus, ſapor oritur. hoc eſt is, qui linguæ hærens lenius multò quàm quæ amara ſunt, ſine amaritudinis odioſo ſenſu linguam abſtergit abluitq́ue. & ob id ſalſus ſapor amaro nitroſoq́ue temperatior eſt, nobiſq́ue gratior. vt quo pro condimento vtamur in cibis: eaq́ue nobis & gratiora ſunt & ſuauiora quæ hoc ſapore, moderato quidem illo, condita ſunt, vt qui inſipida quæ ſunt omnia iucunda & ſapida faciat. Hæc de ſalſo ſapore ex Platone deq́ue ſalſi natura. Ariſtoteles verò, libro de ſenſu & ſenſili, amarum & ſalſum ſaporem veluti priuationem quandam eſſe dulcis in humore qui alere poſſit: prout & nigrum priuationem eſſe albi in perſpicuo corpore, ſcitiſſimè dixit. [lib. de ſenſu & ſenſili cap. 4] Quin & illud quoque etiam libro ſecundo Meteor. cap. 3. ſalſedinem ipſam halituum humidorum cum ſiccis miſtione quadam certa & determinata prouenire: idque quod ſalſum eſt, tanquàm excrementum quoddam eſſe minimè coctum, nec à natu-
» ra euictum, ob idq́ue alere minimè poſſe. Natiuus enim calor (ait idem) vt auget corpus,
» ſic & alimentum præparat. atque quod leue eſt attrahit, quod vero ſalſum amarumve fue-
» rit, ob grauitatẽ, ceu ineptũ alimoniæ, relinquit. Ea cauſa eſt, cur nec amara nec ſalſa cor-
» pus nutriant. Dulci. n. tantũ vel ſimplici, vel cõmixto omnia ali veriſſimè dixit. Salſedinis autem genuitas cauſas recenſens Ariſtoteles, eius ſaporis cauſas eſſe vult, halituum ſic- [vbi ſupra.] corum cum humidis, proportione quadam coeuntibus miſtionem. Sic enim lib. 2. Meteo.
» cap. 3. Increpans enim priſcos Philoſophos qui ſalſedinis cauſas non ſatis accuratè attigiſ-
» ſent. ſic inquit, Quæ igitur ſalſedinis cauſæ narrantur, rationem videntur effugere. Nos au-
» tem (ſubdit) eodem quo & prius ſumpto initio, dicamus. Cum enim halitum eſſe duplicẽ,
» alterum humidum, alterum ſiccum poſitum ſit, eum huiuſmodi affectuum principium eſſe
» arbitrari oportere conſtat. Ex quo ſanè Ariſtotelis loco, ſalſedinis cauſam, myſtionem quã-
dam eſſe humidorum halituum cum ſiccis mixtorum colligere rectè poſſumus. [More cur ſalſum.] Ob idq́ue mare ſalſum eſſe idem exiſtimat, quòd terra nimirum ingentem halituum ſiccorum copiã

vi

vi ſolis attractorum ſuppeditet. vaporoſis item & humidis exhalationibus multis intermiſtis. indeque neceſſario accidere, vt cum non omnis harum exhalationum copia ſurſum vi ſolis emergat: bonaque talium portio intercipiatur, & deorſum ſiſtatur, effici, vt halitibus his mari immixtis ſalſedo accidat. Quæ docta Ariſtotelis mens fuit. Hæc è diuinioris Philoſophiæ promptuario, ad rem noſtram mutuati ſumus, vt pleniorem faceremus tractationem. (li. 2. mete. cap. 3) At medici cum ſimus, de pituitæ ſalſæ natura generationeque medice quoque tractemus. Portò acutum humorem calidum, ſiccum, pituitam ſalſam eſſe, & Galeno & Auicennæ ex æquo conuenit: de eius generatione haudquaquam. (li. 1. de feb. diff. cap. 6) Auicenna ſiquidem omnis ſalſuginis cauſam eſſe ſtatuit, cum aquoſæ humiditati terreæ partes ſaporis amari, æqua portione miſcentur: pituitamque ſalſam tum fieri, cum pituitæ aquoſæ & inſipidæ, bilis amara ſicca permiſcetur. eaque exaſſata. (fen 1. primi doc. 4. cap. 1) vt legenti caput primum doctrinæ quartæ, fen primæ primi Canonis patere poteſt. qui longa ſerie ad eum quem diximus modum, ſalſam pituitam gigni conceptis verbis affirmauit. Quæ quàm ſint à veritate aliena, nos ea narratione docuimus, (Auicenna notatur) quæ libro primo enarrationũ noſtrarum medicarum enarratione ſeptima ſcripta eſt. Cuius nunc capita hic recenſere non pigebit, quòd ad huius loci interpretationem non minimum conducant. Ergo quod ait ſalſedinis cauſam eſſe æqualem terrearum partium ſaporis amari cum humido miſtionem, id apertè falſum eſſe depræhenditur. cum in corpore noſtro terreæ nullæ partes inſint amari ſaporis in humoribus ex quarum cum humidis miſtione pituita ſalſa gigni poſſit. ſiquidem bilis & ſi amara eſt, terreus tamen humor dici non poteſt. vt ſatis conſtat cum leuis ſit, ſubtilis, igneus, calidus, ſiccus, terreus vero humor, grauis, denſus, frigiduſque ſit. qui verò terreus eſt humor vt melancholicus vocatus, amarus nunquam percipitur ſed acidus potius aut acutus ſi aſſationem nactus ſit. quin & ſi talis detur in corpore humor (cum dari tamen non poſſit) nunquam profecto ex tali miſcella ſalſus naſcetur humor, ſed potius amarus vt experientia docet. Equidem ſi vel minimam fellei ſucci aut aloes portionem multæ aquæ immiſceas amarum inde gigni ſaporem deprehendas. tanto magis ſi æquam amborum quantitatem coniungas. Quin & in ſpontinis vomitibus non raro ingentem pituitæ copiam bili admiſtam reijci videmus, quæ ſaporem amarum non ſalſum ori repræſentet. Non itaque ex amari cum humido miſcella ſalſus vnquam ſapor proueniet, vt Auicennas exiſtimauit. Nunquam enim ex amaro ſalſum, ſed ex ſalſo pluſculum exaſſato amarus ſapor interdum prouenire poteſt. vt in nitro experimur: quod eſt etiam à Platone in Timeo aſſertum. Potius certè Galeno hac in parte quàm Auicennæ credendum. qui ſalſedinem in pituita, vel ab ipſius à calore extrario & putredinali, putrefactione: vel à ſeroſæ cuiuſdam ſubſtantiæ ſalſæ cum pituita miſtione fieri, certa ratione demonſtrauit. (li. 2. de feb. diff. cap. 6) Putrefactio quidem ſalſedinem efficit, ob diſſolutionem partium aerearum quæ in pituita inſunt, genitis ex putredine craſſioribus & terreis magis ex quarum miſcella ſapor ſalſus gignitur. vt de Ariſtotelis ſententia ſupra diximus. Sed & alia ratione aſſero ex putredine ſalſum gigni ſaporem quòd cum ex feruore in pituitam à putredinali calore inducto, halitus multi humidi vna cum ſiccis ab eodẽ calore ſublatis ſimul miſceantur, ex halituum horum certa proportione commixtorum ſublatione ſalſam pituitam reddi. vt & Ariſtoteles ipſe docuit ſalſedinis maris cauſas recenſens. (li. 2. mete. cap. 3) Porro pituitam hanc ſalſam Galenus hoc loco mox euacuandam præcipit, ideſt, nulla interpoſita mora nec expectata concoctione quod ea à calore natiuo noſtro concoqui nullatenus poſſit. malignitate enim ſua & acrimonia, naturæ actioni reluctatur, quominus vinci ac domari queat. Præterea cum ob malignitatem ſuam grauia inferre mala parata ſit, præſertim ſi in molles & laxas inciderit partes, vti pulmones aut adenoſas vocatas, ne eas exulceret, ne erodat, tutiſſimum fuerit eam protinus è corpore deturbare, quàm tardiore mora permittere vt noxam adferat. atque eo magis faciundum id eſt, ſi ipſa ex putredine genita fuerit. ſæuior enim efficitur, atque ob id confeſtim educenda. (li. 10. meth.) Quæ enim putrent Galenus celeriter vacuanda præcipit. quòd iam à natura ſint alieniſſima facta, nec cum ea redire vnquam in gratiam poſſunt. Quæ cum talia ſint, nullo promptiore auxilio quàm purgatione curari queunt. quam & ipſam hoc loco in pituita ſalſa exercendam merito iubet Galenus.

Cæterum

Text

Cæterum coctionem tum quies, tum calfactio moderata, ac boni ſucci ciborum mediocrium eſus, & vini modicè calidi potio: At calorem moderatum frictio temperata, & moderatus aquarum calidarum vſus, cibi ac medicaméta mediocriter calfacientia poſſint efficere.

Com

Ixerat proximè Galenus, in his ſuccis qui coctionem excipere parati eſſent moliendam concoctionem, naturam in eo munere adiuuantes, vti in pituita acida & dulci faciendum docuit. Nunc verò quænam ea ſint quæ naturam in concoquendo iuuare poſſint, ſi minus ipſa ſufficiat, docere Galenus ingreditur. præſidiorum omnium enumeratione ordinata, quorum ope in eo munere obeundo iuuari natura poſſit. Etſi enim præcipuus coctionis opifex natura ipſa ſit, deficere tamen interdum eam ob infirmitatem ſuam, quominus id præſtare queat planè videmus. Aberrat nanque ab ſcopo in concoquendo natura, cum vel potentia ipſa affecta eſt, vel error quiſpiam ab externo committitur. multitudine inquàm, aut malignitate ciborum, intempeſtiuo, vſu ordine, tempore, apparatu, & cæteris ad rectum cibandi modum neceſſarijs.

Potentia autem ſeu facultas bifariam lædi ſolet, aut perſuam ipſius eſſentiam, aut per aliquem inſtrumentorum morbum. In ſua porrò ipſius eſſentia facultas noxam patitur, per intemperies à iuſto modo recedentes. Per morbos inſtrumentarios, ſi Eryſipelata, Phlegmones, Schyrri, obſtructiones & cætera id genus facultatem à ſuo munere obeundo impediant. Accedunt etiam ad hæc excrementorum redundantia, & ſomni carentia, à quibus interturbari concoctionis munus ſæpe ſolet. Quæ docta Galeni lib. vltimo de ſympt. cauſ. capite primo ſententia eſt. Quoniam verò & in altero quoque concoctionis vniuerſaliore ſignificato, dum vitioſos ſuccos euincere natura nititur, & aberrare ipſam non rarò contingit, quibus modis arte iuuare illam valeamus nos hic docet Galenus. quanquam vt ingenuè fatear, potius de iuuanda natura in dulci & acida pituita concoquendis quàm de vitioſis ſuccis hic Galenus loquatur quod ipſa huius loci ſeries indicat. Porrò quibus concoctio iuuetur ita explicat Galenus, vt velit quiete, moderata viſcerum calfactione, totiuſq; corporis: boni ſucci ciborum temperata aſſumptione, vini generoſi moderata potione iuuari. quòd hæc (moderata ſi ſint omnia) calorem natiuum noſtrum foueant atq; adaugeãt. Quomodo autem horum vnumquodque concoctionem adiuuet, paulò plenius explicare conuenit. vt ſciamus quatenus horum vnoquoque ad concoctionem iuuandam vtendum nobis ſit. à quiete exordium, vti Galenus fecit, ſumentes. Quietem porrò omnes, feriationem ab omni tam corporeo quàm animi motu eſſe quandam arbitrantur. & ſi magis atque propius, quies pro vacatione ab omni corporeo motu ſumi ſoleat. Galenus, quietem eſſe definiuit ocium & ab exercitatione vacationem. quæ humectare corpora apta eſt, vti exercitia exſiccare. Præhumectantur (inquit) corpora plurimo alimento atque quiete. Et de quiete (ſubdit) clarum eſt. ſicuti enim exercitia ſunt apta natura exſiccare ſic & quies ſeruat humiditatem. Contrariorum enim contrariæ ſunt rationes. Quamobrem cum quies motui oppoſita ſit, vt idem Galenus Com. 3. in librum ſextum Epidemiorum Hippocratis cõceptis verbis affirmauit: motus autem corpora ſiccet, conſequens quidem eſt, vt quies humectet. quòd diſſlari corpora non ſinat, ſpiritum & natiuum calorem contineat, prout motus & diſflationem facit & ſpiritum ac natiuum calorem promouet. vnde rubere illos in facie cernere eſt, qui ſeſe pluſculum exercent. calore vtique natiuo & ſpiritu cumuli in ambitum corporis diffuſis. Cum verò Galenus hic quiete iuuari concoctionem dixit, de ea intelligendum venit, quæ acceptum cibum ſequitur. ſi quidem vt labor cibum præcedere ad ſanitatis tutellam meritò debet (vt Hippocrates cenſuit) ſic quies à cibo imperanda. vt ne motu recens acceptus agitetur cibus & crudus in vaſa feratur.

li. 4. apho. com. 13

Textu 33.

li. 6. Epid. par. 4. aph. vlt.

Quod Galenus libro ſecundo de ſanit. tuenda belliſſime his verbis expreſſit. Quoniam (inquit) exercitatio & exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, vtilius eſt ante cibos exercitationem adhiberi. Idem verò oſtendere volens, quantum incom modi motio

post

post cibum adferat, hanc libro de boni & mali succis cibis de ea re sententiam tulit. Quem » admodum (ait) maximum bonum ad sanitatis tutelam est ante cibum exerceri: ita pernitio » sissima res est, omnis post cibum motio. Distribuitur enim tum cibus ex ventre antequam » concoquatur. Itaque de mente Galeni post cibum quiescere magis conuenit. Quod ani- » maduertens lib. 7. Methodi medendi idem autor, valentiora & plura cibaria vesperi in cœ » na sumenda ob id iussit, quòd somnus, & quies, & longitudo noctis accederent ad calorē natiuum fouendum, vt vegetior à somno, a quiete, & noctis longiore spatio factus, conficere melius cibū posset. Idq; ēt attendendū, de moderata quiete Gal. dictū intelligi debere. Immodica nanq; quies tm̄ abest vt concoctionē adiuuet, vt corpus frigidius reddat, excrementa moretur, genuinū calorē penè præfocet atq; extinguat: & vt infelicius concoctio, nutritio, & distributio procedant, efficit, corpusque vniuersum torpidum, & ad labores obeundos ineptum reddit, quod experientia docet. De quiete, vt concoctionem iuuare possit, abundè diximus. vt autem calfactio moderata, & boni succi ciborum mediocris assumptio, & vini generosi moderata potio, idipsum præstare queant, iam dicendum. Profecto in quibus natiuus calor deficit quominus concoctionem perficere queat, calfactione moderata, tum totius corporis, tum præcipuè ventriculi plurimum certè iuuatur. Quam varijs modis inducere possumus exercitatione videlicet moderata totius corporis, quæ, vel Galeni testimonio calorem nostrum exuscitans, deducendorum in corpus validum attractum, immutationem magis expeditam, id est faciliorem concoctionem, tum nutritionem meliorem: & vt singulæ corporis partes, adaucto per exercitationem calore sint perfusæ, efficiat. Calfactione igitur mediocri quæ ab exercitatione prouenit, id consequemur vt concoctio perfectior celebretur.

li. 4. de san. tuen.

Nedum verò exercitatione: sed & appositu calidorum idipsum efficiemus. fotuum, sacculorum, ex aromaticis constantium. nempè ex herbis & floribus alijsque id genus stomacho accommodatis. absynthio, menta, sampsycho, melissophyllo, origano, galanga, myristica nuce, chariofillis & similibus quæ admota, ventriculi calorem vi sua fouere queant. Conferunt item vnctiones ex oleis aromaticis, inter quæ primas obtinent, oleum de nuce moschata & de charyofillis, lentiscinum, de mastice, cotoneorum & nardinum vocatum. Ex assumptis prosunt Citrij cortex conditus Gingiber item conditum, Mirabolani Emblici conditi. Theriaca, Mitridatia antedotus, Aromaticum rosatum & id genus multa: iuuatur etiam ad concoctionem natiuus noster calor, haud paulo plurimū, si quis per somnum dormiens, stragulis multis operiatur: id enim calorem ad intima reflectit. sed nihil ęquè quàm vel infantuli benè habiti complexus, vel puluini ex tenui volatilique pluma infarcti supra ventriculum appositus. & retentus nocte tota. mirificè nanque imbecillum viscerum calorem reflexu suo roborat & firmat, adeò, vt nihil conferentius, nihil aptius fouendo uentriculo, ex ijs quæ extrinsecus admouentur inueniri usquam possit. quod in plerisque sum bonafide expertus. sed quantum mihi in eo præsidio fiduciæ repositum sit, curatio apepsiæ qua uehementi laborabam, testimonio esse potest.

Nam cum ob immodica & intempestiua studia atque uigilias, adeo essem imbecillo uentriculo, ut uix paucula quæ ingesissem: & si boni succi essent, concoquere minime possem, multaque ad id præsidia tentassem, nullo profecto magis quàm puluini ad stomachum appositu dum me in somnum darem, sum adiutus. ut iam ab hinc annes totos propè quindecim eo assidue utor, tam felici successu ut etiam incoctiles cibos facile concoquam. Iuuat etiam plurimum leporinam pellem uentriculo superinducere quod & mihi quoque per hyberna frigora familiare esse solet. Pelles nanque leporum induere iuxta Auenzoaris sapientissimi sententiam confortat corpora senum & iuuenum. Pedes item a frigore arcere, unicè ad caloris natiui robur facit.

li. 1. theysir i Prœmio

Nihil enim profectò magis concoctioni officit, & natiui caloris infirmitati, quam pedum nuditas. Hæc de calfactione corporis moderata ad concoctionem iuuandam satis. Boni autem succi ciborum moderatus usus, ob id cōcoctionem adiuuat, quòd facilè euchymi cibi a natura superentur nec excrementosi sint. Præterea quòd omnis cibus qui bonus est, suauis, & concoctu facilis, dum in nostram ipsorum substantiam conuersus est, calorem natiuum auget ac roborat. quod Hippocrates his uerbis significasse est uisus. Anima hominis

li. 6. Epid. se. 5. aph. 5.

minis (inquit) semper producitur vſque ad mortem. ſumpto quidem animæ vocabulo (vt Hippocrati mos eſt) pro natiuo calore. qui ſanè in nobis ciborum, potuum, ac reſpirationis ope ſemper ad mortem vſque producitur. vt enim lumen & calor in lichno, aſſiduo olei iniectu moderato ſeruantur, atque fouentur, ſic etiam natiuus calor noſter cibo potu ac reſpiratu ſeruatur. vt Galenus libro de tabe. & de ſanit. tuenda priore dixit. nempè ob id comedere ac bibere nobis neceſſarium eſſe, vt diſſolubilem noſtri ſubſtantiam cibo potuque reficiamus ac inſtauremus. vti ſpirituoſam ſubſtantiam reſpiratu. Alioqui enim breui fieret, vt inanitione nimia, vita periret. Ad hunc igitur modum boni ſucci ciborum eſus calorem natiuum auget: ſubindeque concoctionem adiuuat. de quibus exactè Galenus, libro de boni & mali ſucci cibis: & libris de alimentorum facultatibus locutus eſt. vini autem modicè calidi, id eſt, vt ego quidem interpretor, non valde potentis, vſus moderatus coctionem promouet. Nimis enim potens vinum caput tentat, calorem accendit, fluxiones excitat, & plurima corpori incommoda parit. At vinum ſuaue, mediocriter vinoſum,
Vini virtutis.
optimi ſaporis, atque caloris, moderatè ſumptum, & alimenti optimi rationem ſubit, & miris modis corpori prodeſt. probè nanque celeriterque nutrit, vel Galeni teſtimonio, corpus, humectat, ſolidas corporis partes calefacit, vires omnes roborat atque confirmat. eo
li. 2. apho. com. 18
quòd concoctionem plurimum adiuuat, ſuccorum colorisque bonitatem facit, vrinam ſudoresque mouet, & aduerſus ſenectutis duritiam & frigiditatem ſummum remedium eſt. vt Diuinus Plato cenſuit. Sicut enim igne ferrum, ſic vino ſenum corpora molliuntur ac temperantur. Ad hæc ſomnum conciliat, ſpiritus & ſanguinem fouet, bilis amaræ acrimoniā mitigat ac frangit, mentem exhilarat, placidos & quietos ſpiritus generat, temperat humores, mœſtitiam mœroremque pellit, fortes & audaces facit, natiuum calorem fouet atque conſeruat ob idque membris omnibus firmitatem roburque addit. Hæc in vniuerſum vini commoda quæ ſic accipienda ſunt, ſi in bibendo parcitas modusque adſint, non intēperantia, non crapula, non ebrietas. alioqui quid vino pernitioſius? quid peſtilentius? cū id immodicè ſumptum tantum abeſt vt concoctionem adiuuet, vt illam potius omnino euertat, valedtudinem & vitam ſæpenumero perdat. Paralyſin, ſtuporem, Apoplexam, neruorum incontinentiā, tremorem membrorum, furorem, rabiem, conuulſionem, vertiginē Arthritidem, cæcitatem, fluxiones, malum habitum, atque adeò omnem frigidiorum mor
li. 4. meteo. cap. 2
borum colluuiem excitet ac pariat, vt ex Platonis, Ariſtotelis, & Medicorum omnium penu elici poteſt, confirmatque experientia dux rerum. Poſt hæc Galenus, cum concoctionē a calido perfici iure arbitretur, quod ſit calor natiuus noſter omnium naturæ functionum opifex. vt com. 15. lib. primi apho. idem autor prodidit, & ſenſit etiam Ariſtoteles, dum cōcoctionem perfectionem eſſe à calido natiuo ex oppoſitis paſſiuis dixit, quænam ſint ea, quæ calorem noſtrum ad concoquendum adiuuent, enumerat. à frictione incipiens, quæ ſi moderata ſit, calorem natiuum augere ac exſuſcitare poteſt. Frictionis nanque omnis cōmune opus eſt calfacere, vt lib. 1. de ſa. tu. Gal. Frictio porrò temperata vitale robur excitat, calfacit, ſpiritum ac ſanguinem in partes trahit, tum efficit, vt & diſtributio nutrimenti in corpus facilior & nutritio promptior ſit. eodem Gal. lib. 5. de ſa. tu. autore. Nimirū igitur ſi moderata frictio calorem ad concoquendum idoneū (quod hic ait Gal.) efficere poſſit, prout etiam calidarum aquarum moderatus vſus. At verò cum calidarum aquarum ſpōte naſcentium multiplex ſit differentia) de ſponte enim naſcentibus aquis calore igneo efferueſcentibus locutum hic fuiſſe Gal. ſatis conſtat) de quibuſnam intelligi Gal. dictū debeat accuratiore ſtudio indagandum eſt. Sunt enim ex calidis aquis ſulphureæ quædam, nitroſæ aliæ, ſalſæ, aluminoſæ, bituminis aut naphtæ ſaporem odoremq; referentes, ferrugineæ nonnullæ, æreæ, aliæ & metallariæ quædam. cenſendum porrò prima fronte Gal. hic non tam de ſpontè naſcentibus aquis, quæ ſemper ob igneam vim calidæ emanauit, quàm et de dulcibus calfefactis intellexiſſe. Si quidem balneum aquæ dulcis modicè calfactę calorē natiuum noſtrum ſympathia quadam fouere videtur, tum quæ inæqualia ſunt, æquat, cutē laxat, & multa quæ ſub ea detinentur euacuet: & æqualem per totum corpus calorem diffundit, ſiccitatemque corporis temperat. vt Gal. lib. x. meth. med. teſtatur. Sed tamē ſi proprius Gal. ſenſa expendamus, inueniemus profectò, de ſpontè naſcentibus aquis calidis eū intellexiſſe. dum aquarum calidarum vſu foueri calorem noſtrum dixit. Hæc enim cum vi

ignis ſubterranei calidæ emergant, quem canales per quos aquæ decurrunt in alueo continent (cum nihil quicquam niſi ab igne aut eo quod ignis facultatem obtinet incaleſcere poſſit) efficitur, vt ab his ſpontè fluentibus aquis manatione calidis exiſtentibus: magis quam à dulcibus calefactis calor noſter foueatur, quòd ſecum aquæ huiuſmodi, calorem quendam ferant qui vi ignis ſubterranei in eas influat, & propè natiuus talibus aquis dici poſſit ac proinde ab eo foueri calor noſter ſi imbecillus ſit iure queat. præſertim ſi vna cum calore ſtypſin uocatam, & adſtringendi vim obtineant. vt ferrugineæ & aluminoſæ, quæ præter id ꝙ calefaciunt, partes etiam commode ſtipticitate ſua roborant & firmant, cuius rei experientia ipſa fidem facit. Perfrigerata nanque membra, tremula, reſoluta, his aquis (præſertim ſulfureis, ſalſis & bituminoſis in ſuum vigorem reſtitui videmus. ſic & calor natiuus noſter ſi imbecillior factus ſit, quàm vt concoctionem exactè perficere queat, harum aquarum moderato vſu vegetior fiet. quod Lucenſes aquæ apertè demonſtrant. quæ, ꝙ ferrugineæ ſint & aluminoſæ, ſtomaticos & eos qui ob ventriculi infirmitatem cibos conficere nequeunt, mirificè iuuant. non ſolum ſi quis forinſecus ijs balnei vice vtatur, ſed magis etiam potæ conferunt. ſed modus in huius præſidij vſu vt in cæteris omnibus adhibendus eſt, vt ne nimis calidæ aquæ hæ ſint, ne diutius ægri in his moram trahant, alioqui profectò diſſolutione natiui caloris infirmior redderetur cõcoquẽdi actio. Sed hic firmãdi caloris imbecilli modus per balnea calidarum aquarum, iam diu vna cum balneorum priſcorũ vſu exoleuit. Nec mihi ſanè admodum certè probatur hoc præſidio (quod hic tamen vult Galenus) vti. quòd balnea calore ſuo reſerare meatus (de calidis loquor) humores fundere & attenuare, calorem natiuum foras euocare & attrahere, ſpiritus diſſoluere ſoleant. ita vt plus noxæ quàm commodi adferre parata ſint. quod experientia ipſa docet, cum imbecilliores à balneo plerunque quàm confirmatiores factos ob eas quas modo receſuimus cauſas videamus. Cibi porrò ac medicamenta poteſtate calida (quod ſubdit Gal.) concoctionem quoque iuuare valent, ob eam quam vi ſua augent in nobis caliditatem. Quę qualianam ſint tum cibi tum medicamenta id efficere valentia, nos libri de alimentorum & ſimplicium facultatibus abundè docebunt. vt eorum aut enarratione aut numeratione in præſens opus non ſit, illicque requirantur. Nos verò rurſum ad Galenum interprætandum accingamur.

Vide georgium Agricolam de ortu & cauſis ſubterraneorũ li. 1.

Galeni ſententia expenditur.

Obſtructos meatus detergent cibi, Potus & Pharmaca quæ attenuare nata ſunt. Quorum materias inuenire ac iudicare commentario quodam quẽ de ſimplicium facultate inſcripſimus, ſeorſum docuimus. Quinetiam in libro de victu extenuante traditum eſt. Textus.



VT detergẽdi obſtructi meatus ſint, hac parte docet Galenus poſteaquàm quę vacuanda ſunt, vt vacuari oporteat: & quæ concoctionem à natura accipere poſſunt, quonam pacto in his moliri concoctionem valeamus abundè monſtrauit. Quem locum explicatione digniſſimum, vt pleniore narratione tractemus, quid meatuũ nomine intelligendum ſit: tum quid meatus ipſos obſtrui, & quid obſtructio, explanabimus. abhinc verò, vt obſtructio omnis ſananda, & quænam ſit. attenuantium & detergentium natura, quę poteſtas. Quibus abſolutis planum fiet quod hic à Galeno dicitur, & ad ſequentia aperietur via. Primũ ergo vt diſcutiamus, ſciendum meatus à meando dictos eſſe, vt ſextus Pompeius refert. quòd per eos vltrò citroque meent ſpiritus: & quæ in meatibus continentur. Meare enim eſt vltro citroque ire, item exire, manare, hoc eſt fluere à quo ſanè meatus dicuntur. quos Græci πόρους vocant ἀπὸ τοῦ πορεύομαι, quod eſt eo. Qui porrò meatus nihil prorſus aliud ſunt, quàm tenuiores ac propemodum imperceptibiles noſtri corporis partes per vniuerſum corpus diffuſæ, ac foraminulẽtæ, totius difflationi ac perſpiratui ſeruientes. quibus in interiora liberior admittitur ſpiritus: & eorundem vſu foras etiam inutilis & calfactus pellitur.

Com

Quæ actio Galeno tranſpiratio ſeu perſpiratio dicitur cum per vniuerſam cutem libera ſpiritus miſſio, tum intrò tum foras fit. Nec ſolum meatus nomine intelligendi tan

li. 11. meth. & in Com. ad librum Polybi de ſalubri vic

tum pori sunt,de quibus nunc egimus,sed & cauitates instrumentorum & quarundam sim
li.1.de mor b.s.diff.c.7 plicium partium hoc nomine censendæ sunt.Etenim intestinorum,ve narum, arteriarum,
& huiusmodi omnium instrumentorũ(ait Gal.)meatus,& lati sunt & manifesti,quos nemo
non videt.Quòd si aliqui adeo sint exigui vt sensum subterfugiant,non tamen protinus hu
iuscemodi meatus eiusdem sunt generis cum ijs quos prioris sectæ autores instituerunt.ex
quo sanè loco apertissimè videre est,meatus nomine duo intelligi,imperceptibiles inquã
poros quos Græci vocant,& cauitates instrumẽtorum.vt ex præcitata Gal.serie patet.Por-
rò de vtrisq; Galenum esse locutum eo quem nunc interprætamur textu, certissimum ha-
ri debet.cum & angusti illi meatus & membrorum cauitates(quas meatuum nomine insi-
gnit Galenus,)cum stipari,tum obstrui à varijs stipantibus & obstruentibus causis possint
aeris frigiditate immodica,adstringentibus & stipantibus medicamentis,vt aluminosis a-
quis,& densantibus cutem medicamentis,obstrui verò,vel a multis, aut crassis & viscidis
humoribus,aut tumoribus præter naturam.Quid verò meatus obstrui sit, (quod proximè
dicendum nobis erat)iam promendum.Neque.n.idem est coalescere meatus & obstrui,co
alescunt siquidem cum in seinuicem partes natura distantes & cauitate præditæ collign
tur ac conniuent.quod fieri sæpe solet,aut siccitate nimia,frigoreve coarctante,aut tabescẽ
te parte proprioq; succo destituta.vel tandem compressu à graui aliquo incumbente: vel
etiamnum induratis partibus coalescere meatus contingit.Obstrui vero, cum à crassis.vi
scidis aut multis humoribus obturãtur. aut Phlegmone,Schyrrhove aut alio quopiam tu
morum genere partes cauitatem habentes aut solidæ quæ sunt etiam tentantur. vt Gal.li.
Obstructionem quę faciant de morb.diff.c.7.& 9.meth.& in arte medicinali cap.84.sensisse est visus. Obstructionem
porrò creant,humorum copia,lentor,crassities,tumores pręter naturam vt supra ex Gale.
obstructio quid. proditum est.Id autem obstructio efficit,vt neq; sanguis,nec reliqui quoque humores libe
re in membra vna cum spiritibus permeare queant.Obstructio porrò instrumentarius est,
affectus,quo partium meatus seu cauitates vno aliquo extraneo cemplentur,ac obturãtur.
Clausio.n.viarum,propriè obstructio dici meretur. Clauduntur autem viæ,Phlegmone,
schyrrho,œdemate, & alijs tumorum generibus.tum vero calculo,arenulis,grumo,pure,
humoribus aut multis aut crassis lẽtisve,aut omnibus simul,aut seorsim aliquibus.Hęc.n.
obstructionis est ratio,hæc essentia,vt obstipet claudatque quæ prius reserata & libera erãt
lib. 10. metho. med. ac proinde obstructio dicta merito est.Sunt autem obstructionum Gal.differentię duę.alia
quæ ex abundantia,alia quæ ex qualitate succorum qui aut lenti aut crassi sunt incidit.Prę
fertur autem inter remedia in ea quam copia gignit,sanguinis missio : In ea vero quæ ex
humorum qualitate gignitur,attenuantium vsus.

Itaque cum obstructio ad partes ipsa instrumentarias pertineat,vt hoc ipso testatur lib.
Gal.& in arte medicinali,& alibi passim,eaque à varijs causis ortum ducat,varias quoque
Curandi obstructiones ratio. habebit & curandi rationes. Duplex porro est in omnibus curandis obstructionibus ratio
vacuatio,aut apertio.vacuatio humoribus ex æquo redundantibus & copia obstruẽtibus
debetur. Apertio obstructis partibus ab humoribus viscidis,lentis,crassisve attenuantiũ,
& detergentium atque incidentium vsu exhiberi solet.tum & alijs modis de quibus mox
dicturi sumus.Si quidem obstructio a crassis,viscidisve succis oriatur,detergentibus & in-
cidentibus molienda curatio erit.vt hoc loco Gal.sin ab humorum copia,sanguine misso,
vt lib.x.meth.Gal.Si ab stercore duro quod intestina interepsit,mollientibus primum hu
midisque ac pinguibus clysterijs,mox acribus obstructionem auferemus. Quæ vero à cal-
culo obstructio fit,vel transpirationem (si vrinæ meatuum impediat) vel sectionem, si in
vesicæ fundo induratus hæreat,exposcit atque extractionem.

A tumoribus ortæ obstructiones,eorundẽ tumorũ ablatione curantur,methodo,lib. 13.
& 14.à Galeno de meth.med.tradita.Sinautem ab extranea quapiã humiditate, vt sanie,
grumo,putrefactione humore,sanatio,in omnimoda eius quod impactum est euacuatio-
ne consistit.Hæc curandarum obstructionum omnis generis omnium communis ratio est.
si Galeno tum hic,tum in arte modicinali,tum libris methodi medendi octauo,nono,de-
cimo fides habenda.

Nunc vero quænam sit , attenuantium ac detergentium natura , quæ facultas
( quod vltimo loco explicaturos , nos promisimus ) doceamus . sic enim huius

loci interprætationi colophonem addemus. Attenuantia igitur ea medicamenta iure dicũtur, quæ craſſum quod eſt, exile ac permeabile raritate quam inducunt & partium ſeparatione reddere poſſunt. Attenuare ſiquidem nihil prorſus aliud eſt, quàm ſubſtantiam aliquam quæ craſſitie ſua permeare in meatus anguſtos minime poteſt, peruiam ſubtilemq; ac ita reddere, vt permeabilis fiat.

Attenuantia medicamenta quę dicantur.

Propriè enim attenuare eſt, de ſubſtantia minuere, detrahere, & exiliorem reddere. vel etiam ſubtiliorẽ quàm prius eſſet ſubſtantiam aliquam efficere. Priorem attenuationis ſpeciem, in tabidis & extenuatis, vel labore, vel morbo corporibus eſt videre, quæ exiliora, & mole minora, longeque infirmiora attenuata apparent. vnde eſt illud Ouidij libro primo de arte amandi.

Attenuare quid.

*Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes*
*Curaque, & immenſo qui fit amore dolor*

Attenuant porrò quæcunque humores liquare, incidere, & abinuicem partes ſeparare quo facilior per vaſa tranſitus fiat, poſſunt. Equidem cum craſſa vocet Galenus quæ in tenuia ſolui minime queunt, conſequens eſt, vt ſi quid craſſitie ſua noxam intulerit corpori medendi ſcopum eum eſſe, vt attenuetur, idque ratione optima. Quod enim craſſum eſt, partes habet ita compactas ſecumque hærentes, vt diuelli niſi attenuentur, minime certè poſſint. ac proinde quæ craſſa ſunt aut lenta, permeare in anguſtos meatus minimè queũt. quòd in eo quod craſſum eſt, pars parti minimè cedat, ſed omnes ſimul confertim iunctæ (quæ craſſi ac lenti etiam natura eſt) ſe inuicem in tranſitu impediunt. perinde atque cum hominum ſimul confertim iunctorum turba in aliquem anguſtũm locum ingredi nititur, quod quidem fieri neutiquam poteſt, ni prius abinuicem ſeiungantur, & alter alteri cedat. Eodem igitur modo quod craſſum ſubſtantia eſt, vel lentum, ſeparari, incidi, diuelli, & exilius fieri omnino oportet, vt in tranſitu & motu per anguſtos meatus pars parti cedat & & permeabile fiat quod antea prę craſſitie imperuium erat. ſubtile nanque ac tenue id Galeno dicitur, quod celeriter in tenuia & minima ſolui poteſt. ſubtile nanque id vocamus, cuius ſubſtantia raritate ſua per locos etiam anguſtos, ob eam quam à natura nactus eſt tenuitatem penetrare poteſt. Craſſum igitur attenuari deſiderat. Quæ verò attenuant & incidunt, ſufficienter calida, nempè tertij ordinis calefacientium eſſe omnino oportet. Quæ vero talia ſunt, ſapore acria eſſe depræhenduntur. Ea igitur fuerint quæ quod craſſum eſt attenuare poſſunt. incidendo, diuellendo, partem à parte ſeparando, vel ſaltem raras ita & tenues efficiendo, vt permeare facile queant. Hoc enim eſt à ſubſtantia craſſa craſſitudinem auferre. ignis enim ferrum quantumuis durum & craſſum, partes ipſius molliendo, rarefaciendoque attenuat. De attenuantibus abundè iam ſatis. De Detergentibus modo, per quæ obſtructione impediti meatus reſerari ſolent, agendum. Deterſione porro tum opus eſt, cum replens humor in meatibus ſeu internis ſeu externis conſiſtens, impactus vehementer fuerit. ſi modo prius lentorem craſſitiemque attenuantibus & incidentibus ſuſtulerimus. Quæ enim tenaciter hærent, abſterſione vt leuentur indigent. Fieri enim omnino non poteſt, vt quod fortiter impactum eſt, & lentore ſuo affixum, non obſtruat meatum cui inſidet. tranſitum impediens eorum quæ ſecundum naturam permeare in partem debent. vbi uero tale quid in corpore inciderit, abſtergentibus tum maximè indigemus.

li. 4. de ſim pl. fa. cap. 2

li. 4. de ſim pl. fa. cap. 2

Detergere porro nihil prorſus aliud eſſe putandum eſt, quàm vel eluendo & lubricando, tandemque exiccando, id amouere & excutere quod in parte quapiam vehementer impactum pertinaciterque affixum eſt,

Itaque detergentia medicamenta hæc in ſe habere omnino oportet, vt in altum, hoc eſt in profundum penetrent, vt exſiccent, vt excutiant vno aliquo prædictorum modorum. vt ex Gal. ſenſis varijs in locis deſumi poteſt. Porro penetratio in profundum vbi interni meatus infarctu liberandi ſunt, ad ſubſtantię tenuitatem ſubtilitatemq; pertinet. Nihil. n. niſi quod ſubtile eſt & tenue in profundum agi poteſt ob id Gal. poros purgantia medicamẽta (quę ρυπτικα Gręci vocant) & calida eſſe oportere & ſubtilium partiũ, lib. 5. de ſimp. fac. c. 11. affirmauit. Quod igitur deterget, ſubtilitatẽ in ſe ſubſtãtię cũ amaritudine quadã, aut nitroſitate, & acrimonia habere eſt omnino neceſſe. vt vult pręfato loco Gal. Quod uero exſiccat,

li. 5. de ſim pl. fac. c. 2. & lib 8. atque 11. me th.

siccat, materiam à loco adimit sicque infarctu liberat. E detergentium itaque albo, quædā id præstant propterea quòd & subtilem substantiam nacta sunt, & calorem resoluentem cū siccitate coniunctum: quædam quòd acria amara, aut nitrosa sint. atque in hoc genere (vt Gal. censet) amara & salsa, maximeque nitrosa reponi meritò debent. quatenus enim salsa, & amara, eatenus & siccum quoque terreum, extenuatum, rarefactum, & à calore igneo veluti exassatum habent. atque ea ratione penetrandi etiam in profunda potestatem nacta sunt. quòd calorem igneum cum siccitate terrea coniunctum habeant. à quorum altero resolutio humoris & excussio fit. nempè ab igneo calore: ab altero verò, hoc est sicco terreo exassato, exsiccatio. ad quem modum salsa vel amara, quæ sunt detergunt. vt sal, nitrum, absynthium, Emperron, Calamyntha, hyssopus & id genus multa quæ tum lib. 8. meth. med. tum libris de simplicium facultatibus Gal. enumerauit. Mel autem, & si neque amarum est, nec salsum, sed maximè dulce cum acrimoniæ sensu quodam, internos tamen meatus repurgat atque vitiosa detergit. quòd in eò & substantiæ tenuitas, quæ à calore sufficienti genita est, insit, & acrimoniam quandam habeat, quorum merito & in ima penetrandi vim habet, & obstructos meatus infarctu liberādi. Pituitam nanque lentam, à pulmonibus, pectore, renibus, ac vesica detergendi mirificam obtinet facultatem. quòd & calorem satis validum discutientemque habeat: & partes præterea aereas & aqueas optimè commixtas, & à calido probè attemperatas, quod eius lētor atque viscidìtas indicat. propter quam lubricandi vi præditum est. lubricant nanque & leniunt quæ lentore participant. vt oleum, pinguedo omnis recens, butyrum, terebynthi & abietis resinæ, reliquarumque coniferarū arborum. Detersorium itaque mel erit. penetrando, exiccando, resoluendo. & lubricando quod fermè idem resinæ omnes faciunt, tenuitate substantiæ calore, & lētore. qua in actione repurgandi meatus, hoc resinæ à melle distant, quòd in ijs terreæ partes exassatæ, quàm in melle plus reperiuntur. vnde dulcedinis loco amaritudinem quandam nactæ sunt. perinde atque mel si nimium excoquatur. concipit. n. partium arearum & tenuium exhalatione, terrearumque assatione, amaritudinem. vt experientia docet. Saccharum quoque in abstergentium albo ponitur. nisi quòd imbecillius quàm cætera id præstare solet, mordicationis qua destituitur carentia. Cremor verò hordei ob id detergit, quoniam in eo siccitas cum tenuitate substantiæ viget. atque ideo penetrat & exiccat. tum verò ob aquæ vim quæ illi admiscetur, cum cremorem ex eo paramus, abluit & abluendo excutit ac trudit quod impactum in meatibus fuerat. Quædam tamen ex accidenti & impropriè abstergere dicuntur ob partium asperitatem inæqualitatemque cuiusmodi quæ sunt, perinde extergere solent, atque scopæ solum conuertentes, quæ asperitate sua vi abstrahunt quod solo hæret. Quo in genere sunt, margaritarum, corallorum, punicis, ac spongiæ vstæ cinis. & ex plantis heixine (quam parietariam nuncupamus, hyppuris, fabarum lomentum, Erui, lupinorumque farina. Hæc nanque sua & siccitate & asperitate detergunt, & ea etiam ratione, quòd ob substantiæ eorum subtilitatem & raritatem, succum imbibunt & exhauriunt. quamobrem purgandis & extergendis vlceribus sordidis, ichore aut pure multo manantibus optimè faciunt. Exugunt enim quicquid sordium est & Ichorum, tum verò sine mordicatione vlla exiccant. Atque hic interpretationis capitis huius finis esto.

## CAPVT VLTIMVM.

Textus. **Proinde tempus iam est vt ad eos qui ex morbis reficiuntur digrediamur, in qurbus nec causa est præter naturam, nec affectus. Sola verò gracilitas cum virtutis imbecillitate.**

Com. Vm de præsagiendi ratione, deque medendi methodo, ea quæ pro compendij ratione in hūc librum transferenda essent exactè superioribus capitibus explicasset Gal. atque ei tractationi finem imposuisse capite vigesimo esset testatus, tres

adhæc

adhuc superesse Medicinæ partes dixit, de quarum constitutione disserere se velle ad operis integritatem affirmauit. Nã cum tres posuisset corporum differentias, præcitato capite Galenus, quibus omnibus ars medica prospiceret, nempè eorum qui à morbis conualescunt, eorum rursus qui latentem in corpore causam habent, qua facile modica accepta occasione in morbos labantur, Postremò eorum qui inculpata sanitate fruuntur, quid horum vnicuique debeatur. eodem illo capite dixit. inquiens, eos qui à morbis resurgunt, recreare & reficere oportere. Prospicere verò his qui in morbum casuri sunt, ne in eum incurrãt in quem labi dispositi sunt ob eam quæ intus latet causam. Eos qui inculpata sanitate fruuntur eodem in statu seruari debere. Tres itaque medicinæ partes sunt, quæ hæc omnia præstare valent. Renutritoria, Præseruatiua, conseruatrix. Prima conualescentibus, altera neutris decidẽtiæ, tertia optimè sanis debetur. Has partes Græci, ἀναληπτικην προφυλακτικην σωτηρικην vocant. De priore quæ à morbo resurgentibus debetur, tractare hoc loco ingreditur Galenus, inquiens, eos verè conualescẽtes dici in quibus nec causa est præter naturam vlla nec affectus, sed sola gracilitas virtutis imbecillitati coniuncta. Qui locus paulò plenius nobis explicãdus est, vt eo probè intellecto, q̃ rõ cõualescẽtes tractãdi sit exploratũ habeamus. Ergo cõualescẽtes iure hi nũcupandi qui superato morbo pristinã valetudinẽ recuperare incipiunt. Id nanque conualescere est, superato deuictoque morbo sanitatem consequi. q̃ fit cum natura morbificis causis superior eas vicerit suo robore, concoctione scilicet, secretione, & excretione quæ omnia stato tempore facere natura consueuit. vt innumeris locis à Galeno proditum est. Siquidem primo humores concoquere, deinde vitiosum quod est ab vtili secernere: secretum quod est postremo euacuare natura consueuit. vt libr. 1. aphor. Com. 22. & lib. 4. Com. 22. Galenus verè dixit. Cum itaque hæc omnia, natura non impedita ordinatis suis motibus perfecerit, tum vicisse morbum dicitur. quia & affectus sublatus est, & morbifica causa adempta. si modo crisis vera, perfecta, integra, fidaque fuerit. in qua nihil reliqui à morbo supersit, de quo dictum ab Hippocrate est.

Conualescentes qui.
Conualescere quid.
Gale. 2. de na. vict. ac. com. 47.
li 3. de cris.
libr. 1. aph. com 22 & li. 6. Epid.

Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Qui igitur eo in statu sunt vt vi naturæ deuicto morbo nihil reliqui habeant quo se ægrotare dicendi sint, verè conualescentes censendi sunt. Nam qui abditum aliquid à morbo adhuc habent, quod præter naturam sit, & si exiguum id habetur, tamen & negotium naturæ facit, & recidiuæ periculum adfert, tumque verè conualescentes nec sunt, nec dici debent. quã diu aliquid à morbo reliquum est. quod integré leuatus affectus non sit, quòd etiam aliquid morbificæ causæ subsit, & ex symptomatis à morbo relictis, morbi vestigia adhuc appareant.

li. 2. aph. 12.

Quæ causa est, vt dum hæc impressa in corpore manẽt, resurgere à morbis ægri nequeãt nec conualescere possint. Ob id verè id hoc loco Galenus dixisse visus est, de ijs se velle loqui à morbis resurgentibus, in quibus nec affectus vllus, nec causa relicta est præter naturã vlla. Hi nanque verè conualescentes hic à Galeno nuncupantur in quibus sola a morbo gracilitas cum uirtutis imbecillitate relicta est. Qui enim in morbos ( graues præsertim & acutos inciderunt) à ui morbi exhausto humido natiuo & beneficio nostro, quo fouemur & alimur, gracilescere & extenuari ęgrorũ corpora est omnino necesse. dissoluto utique natiuo hoc humido bona ex parte, dissipatis item spiritibus & calore innato, unde & attenuari & imbecilliora reddi ab his morbis resurgentium corpora prorsus necessarium uidetur. Signum enim imbecillitatis uirium, est ea quę fit à morbis extenuatio. contabescere nanque in morbis, malum duxit Hippocrates. pręsertim si & plusquam ratio postulat, & in febribus id fiat.

li. 2. aph. 28

Extenuantur porrò corpora in morbis, uel ex largo sanguinis profluuio, uel sudoribus multis, uomitu, nimio, urina superfluente, alui fluxu, aut alia quapiam excretione modum superante. tum uerò & a morbi malignitate aut longitudine extenuari corpora contingit. Quę omnia attigit Galenus libro secundo, aphoris. Comment. 28. qui etiam extenuationis in febribus causas eodem loco recensens, ait humorum tenuitatem, & corporum raritatem, extenuationis eius quę in febribus, fit causas præcipuas esse. Quin & uigiliæ, & inedia, quæ sæpe perpeti ægros ui morbi contingit, extenuationis quidem causa sunt. Hæc quidem omnia ægros, reddunt macilen-

tos, ut Galenus citato loco. Nihil itaque mirum, si qui à morbis conualescunt, extenuati, graciles, imbecillique sint. cum id vitij à morbi sæuitia cótraxerint nec adhuc vires resumpserint vnde pellere gracilitatem à morbo partam queant. Rectè igitur Galenus dixit, solam gracilitatem & virium infirmitatem in conualescentibus relinqui. Hæc enim præcedentis morbi quo malò affecti fuere, vestigia & insignes notæ relictæ sunt. extenuatio corporis, & virium infirmitas. Explicatum igitur iam satis puto hunc à me Galeni dolum. Quem tamen antequam deseram, ampliore paulò sermone prosequendum sum meritò arbitratus. vt meminis nubilum, quòd ex lectione commentarij cuiusdam, viri inter nostræ ætatis homines eruditissimi concepi, de renutritoria artis parte, discuterem. Ait igitur vir ille, cū

Cap. 6. Galeni locum in arte medicinali interpretans, Quæ autem reficit atque restaurat, in conualescentibus ac senibus locum habet. Appellat (inquit) hanc Medicinæ partem Analepticen, quam noster interpres generaliore nimis vocabulo interpretatur refectricem ac restauratricem: Nam non solum hæc Medicinæ pars, sed tota ipsa medicina reficit ac restaurat Hactenus ille, in quo versionem interpretis Galeni arguit, quòd vocem ἀναληπτικὴν refectricem & restauratricem verterit, perperam certè id facere videtur. Rectè quidem profectò, & appositè, ita vertit interpres, vt erat Græci sermonis callétissimus. Siquidem ἀνάληψις Græ-

Notatur vir quidā doctus. cis resumptionem significat & instaurationem. vnde ἀναληπτικὰ φάρμακα, quæ recreandis reficiendisque defectis corporibus idonea sunt, nomen sumpserunt. Et διαιτᾶν ἀναληπτικῶς τοὺς ἀ διτῶντα apud Galenum legitur. quod est victum præscribere reficiendis extenuatis. & ἀγωγὴ ἀναληπτική, nutritio resocillatrix virium, ab ἀναλαμβάνειν dicta, quod est reparare ac reficere. Non ergo licentiore vocabulo interpres vsus est, sed maximè proprio, dum ἀναληπτικὴν artis partem refectricem & restauratricem vertit. Neque enim aliter benè Græca. benè latina facere, nisi ita vertisset, poterat interpres.

Quamobrem coniectura ducor non satis Græcam Galeni seriem virum hunc spectasse, quod si fecisset, optimæ versionis interpretem optimum non culpasset. Quod uerò subijcit, non solum partem eam Medicinæ quæ conualescantibus ac senibus consuluit, sed uniuersam quoque artem refectricem ac restauratricem esse, id prorsus tolerari non potest. Miror que sic tantum uirum hallucinatum fuisse. Nam tantum abest, ut uniuersa ars refectrix sit & restauratrix, ut ille putat, ut plurimæ illius partes defectionem & detractionem imperent. Ea enim quæ de attenuante uictu scripta à Galeno est, quæso, an reficere ac recreare: an potius attenuare & de solido demere (quod & ipsa libri inscriptio & series tota demonstrant) doceat? Certè inanire corpora & attenuare, non reficere ac restaurare ea Medicinæ pars docet.

Tum & ea quæ uacuandi modum præscribit, de qua Galenus lib cui titulus, Quos oportet purgare, an non & ea quoque pars tota ad inanitionem non ad refectionem pertinet? Quin & ea quæ de missione sanguinis, de de reuulsione, ac cucurbitulis, tractat, nonne inanire non reficere corpora? cum omnis euacuatio in id artis præscripto instituta sit, ut super-

li. 2. de nat. vi. acu. tex. 39. 40 fluis corpus inaniat, inutilis & superuacanei humoris eductione: sed & Hippocrates illud uerissimè protulit, adiectioni perquam modicè studere oportere: ablationi uerò in totum intendere sæpè prodesse modo sufficere possit infirmus. Ea ergo Medicinæ pars quæ ablationi in totum studet. ex Hippocratis præcepto, nunquam certè refectrix aut resumptiua: sed imminutrix potius & detractrix meritò erit censenda. quòd per eam superflua quæ sunt absumantur, nec superflua tantum, sed & propria quoque corporis substantia minuatur & exhauriatur ita ut uires inde conuellantur. & propter ea rectè illud adiecisse Hippocrates est uisus, modò sufficere possit infirmus. quòd tenuissimo illo uictu & omnimoda inedia, uires plurimum deijciantur, deficiatque corporis robur.

Idem uerò Hippocrates, aut quisquis libri de flatibus autor fuerit, nonne Medicinam adiectionem & detractionem esse definiuit? Quod si altera Medicinæ pars adiectio est, eorum inquam quæ deficiunt (quo in genere resumptiua Medicinæ pars locari merito debet) altera certè quæ detractio esse dicitur, quod superflua detrahat, nunquam refectrix resumptiuave fuerit. cum ei ex diametro opponatur quæ adiectionem facere docet. contraria nanque uere sunt adiectio & detractio. Quamobrem cum resumptiua apponat atque adijciat detractiua demat ac subtrahat, nunquam certè, quæ de substan-

tia demit resumptiua erit vocanda. Non ergo omnis Medicina (vt hic vir summus putat) reficit atque restaurat. cum aliquot illius partes detractionem & attenuationem doceant. Quòd si eò sic dici vniuersam artem refectricem velit, quòd refectionem intendat, sanitatis custodia, ne sic quidem dictum stare poterit. cum interdum & sanitatis tutela, & morbi ademptio, per ea quæ inaniant fieri habeat. vt cum obesum extenuamus, aut à plenitudine factos morbos tenui victu, sanguinis missione, Purgatione, vigilijs, & validis interdum motionibus, frictionibusque curamus. Quæ sanè omnia, corpora exhauriunt & attenuant, non implent ac reficiunt. vt & ipsa ratio & experientiæ fides docent. At de hac re hactenus. quam vnius tantum veritatis studio non calumniandi certè, aut detrectãdi attigisse me testari plena fide possum. Ad Galenum reuertor.

Tales igitur in naturalem habitum reducuntur, ex motibus ac alimentis refecti, corroboratique. Materias sanè quibus hæc confici possint, in libris de sanitate tuenda indicauimus? Textus.



Va ratione qui à morbis resurgunt (de quibus se in præsens tractaturum prædixerat) reficiendi sint, docet hoc loco Galenus. ostendens, eos alimentis, motionibus congruis (addit etiam in arte medicinali Galenus) & somnis, refici oportere. Hæc inquàm generalis est methodus conualescentes recreandi. Nam quum per ægrotationem magna facta sit & natiui caloris, & substantiæ nostræ utque spirituum, indeque virium dissolutio, reparari omnino ac refici hæc oportet, si in naturalem habitum reducendi conualescentes sunt. Si quidem cum reficere nihil prorsus aliud sit, quàm deperditam substantiam instaurare, & in integrum restituere: ex quibus substantia nostra constet, & quid iis ex quibus vires cõstant ad refectionem debeatur, scire medicum conuenit. Constat porrò omnis nostra substantia Galeno autore, partibus his tribus, ex spiritus, & earum quæ verè dicuntur solidæ, substantia: & tertia ab his carnosa quæ cuiq; particulæ sua est. Igitur ex his quæ similia sunt, moliri cuique suam διαμονῆς custodiam, id est permansionis subsistẽtiam, conuenit. Spirituosæ quidem substantiæ ex respiratione ac transpiratione, & qui ex sanguine attollitur vapore. Solidorum verò generi, ex solido nutrimento quod vires reficiat, nec tamen facultati concoctrici aut copia aut qualitate obsit. Carnoso generi per ea quæ in medio humidorum ac solidorum sunt. Hanc si seruemus in vniuersum rationem, commode ac tuto conualescentium corpora restituemus. At verò quibus motibus refici huiusmodi corpora oporteat, dicere prætermisit Galenus. neque id expressit, motibus ne remissis, an fortibus, citis vel tardis, breuibus an longioribus, sub dio an sub tecto, ante vel post cibum essent talia dimouenda corpora (Neque enim omnis motus reficit ac restaurat, sed pleriq; & vires deiiciunt, & substantiam nostram labefactant, corporaque inaniunt.) Quamobrem cum omissum id á Galeno sit, explicandum nobis paulò fusius totum id negocium erit. ne manca reddatur huius loci fida interpretatio. Ergo validi motus atque laboriosi, & exercitationes pares, conualescentibus minime ex vsu sunt, vt quorum sit corpora delassare, vires frangere, corporis humidam substantiam exhaurire, spiritus & robur dissoluere. vt apud Auicennam parte prima canticorum, tractatu primo, aphorismo. 143. & lib. de remouendis nocumentis quæ accidunt in regimine sanitatis, tractatu. 6. cap. 1. de motu plurimo. & fen. 2. Primi, doctrina. 2. cap. 12. de his quæ proueniunt ex motu & quiete. Et item apud Galenum libro 2. de sanitate tuenda. Itaque hi motus conualescentibus noxij sunt. quòd cum infirmis sint ipsi viribus, macilenti, & à morbo attenuati, his motibus non indigent, quòd illos perferre nequeant, quòd ab his maximè lædantur. tantum abest vt commodum sentiant. Igitur blandis & leuibus motionibus recreare eos omninò oportebit. vel æquitatione tardigrada potiusquàm incitata, idque vel equo tollutim incedente gradarioque, uel gestatione in lectica, aut sella curuli, vel curru iugato suauiter incedente (uulgò coche nocant) Naui autem quæ fit dimotio, non sic conuenit. quòd turbet nauigatio corpus autore Hipppcrate. fiat incessus per amena & herbescenti virida-

te

Marginal notes: Com. — Reficere qu.d. — lib. 12 metho. med. — Omissionis arguitur Galen. — lib. 4. aph. 14.

te nitentia loca, ſilente cœlo, neque ventis, neque imbribus turbato: ſed ſereno & tranquillo, idque exoneratis prius alui & veſicę excrementis. Sic enim, libro ſecundo de ſanit. tuenda iubet Galenus, ſitque blanda hæc dimotio. An verò ante cibum, vel à cibo obeunda ſit, reſpondet Celſus, his qui impleri deſiderant, extenuatique ſunt, á cibo magis quám ante cibum conuenire. de iis enim inquit labores ieiuni ne ſubeunto. exſiccat enim ante cibum labor. verum cum á cibo exercendum. conualeſcentibus & extenuatis conſulit, haud ita intelligendum eſt, vt protinus à cibo exerceatur. raperetur enim crudus tum in viſcera cibus. Sed concocto eo, hoc eſt quinq; poſt horis, vt citior fiat diſtributio & melior. ad id enim leuis deambulatio, aut blanda æquitatio plurimum iuuat. Quòd ſi ob virium infirmitatem exerceri conualeſcentes nequeant, frictionibus ſupplendum quod motionibus ſarciendum erat. ſed ſit frictio non aſpera, non fortis, nec multa, ſed lenis, blanda, mediocris. ea enim craſſeſcit corpus. vt eo in libro prodidit Hippocrates, quem κατ᾽ ἰητρεῖον inſcripſit. Frictio (inquit) vim habet ſoluendi, ligandi, carnem augendi, minuendi, nempè dura ligandi, mollis ſoluendi, multa minuendi, mediocris carnem augendi. Eademque ferè Galenus libro tertio de ſanit. tuenda. Hæc itaque frictio conualeſcentibus conueniet, carnium nanque incremento, extenuati cum ſint, maximè opus habent. Dum verò ſic conualeſcentes ad placidas dimotiones ducuntur, ſolem puluerē, ventum, plenum cœlum & minax, imbremque vitare neceſſe erit. Et ſi æſtas fuerit, apricari in vmbra. Si hyems, in ſole magis conueniet vt Celſus doctiſſimè prodidit. Sed iam de dimotionibus quæ conualæſcentibus conueniunt ſatis. Quibus verò alimentis reficiendi huiuſmodi ſint, promendum. Equidem cum diſſolutam à morbo conualeſcentes ſubſtantiam habeant, reparari ea ac refici omnino indiget, ne videlicet nimio effluxu cōtabeſcat, pereatque is, cui mederi paramus. Cui ſanè defectioni, ſagax prouidaq; natura alimenta ceu præſens quoddam inanitioni & effluxui remedium adinuenit. vt quod diſſolutum á nobis eſſet, id alimentorū præſidio (ne citò deficeret animans) reſarciri quod effluxu perierat commodè poſſet. Si nanque per morbos nihil ſubſtantiæ noſtræ efflueret, neque euacuaretur, nulla prorſus egeremus ſubſtantiæ reparatione. Sed quando nulla fit ſubſtantiæ melioris noſtræ amiſſio, reſtituenda ſanè alimentorum auxilio venit. Nutri-
li.1.de ſimpl.ſac.ca.1. & lib. 1.de facul. nat. cap. 3.
ri nanque indigent inanita à morbis reſurgentium corpora. Cum verò alimenta ea Galeno dicantur, quæ augere noſtri corporis ſubſtantiam poſſunt atque reficere, his planè ad conualeſcentium reſtaurationem vtendum erat. At cum ſtatuat Galenus alimentorū genera, ſeu maius differentias, plenum ſcilicet, conſeruans, tenue, vtro horum in reficiēdis conualeſcentibus vtendum ſit, indagandum nobis eſt.

Plenū alimentū cōſeruans Tenue.

Plenum quidem alimentum id Galenó dicitur, quod vires augere poteſt. Conſeruans, quod etſi non augere, ne decidant tamen vires & collabantur, prohibere poteſt. Tenue autem, quod minuendi vires facultatem habet. Plenum vocabimus euchymas carnes, oua, frumentacea, & cerealia fercula, ſi tota ingerantur. tum vinum ſuaue & generoſum, & vt in ſumma dicatur, quæ valenter alunt & ſanis conueniunt, pleni alimenti nomen merentur. Conſeruans pleno tenuius eſt, neque ita vires fouere atque augere potens, vt ſi ex cibis probè alentibus quis modice ſumat, conſeruans alimentum dici id poterit. Tenue porrò alimentum id erit, quod alimoniæ quam præſtat exiguitate vires ſuapte natura minuere poterit. vt melicratum, Ptiſanæ decoctum ſeu cremor, tum & leue ex pane intrito & aqua ferculum, & pulli cortalis iuſculum quod ego paulò plurimum cæteris tenuibus alimentis corpus alere iure exiſtimo. Iſthæc quidem omnia cum modice alant, vires quidem minuere earum comparatione quæ in tempore ſanitatis aderant, poſſunt. Ergo cum à morbo conualeſcentium vires inanitæ ſint, exhauſta eorum humida ſubſtantia, his egebunt alimentis quæ in ordine plenè nutrientium ſint. Conuenient igitur caponū, perdicum, Phaſianorum, pullorum cohortalium, & columborum iuuenum carnes, eorumq; iuſcula. Ex quadrupedibus hœdina & vitulina optimè faciunt. Quæ verò ex auitij generis, lacus, ſtagna, Paludesque ſequuntur, vitanda mali nanque ſucci ſunt, excrementoſa, & ad concoquendum difficilia. Amigdalinum lac e ſaccharo & roſacea aqua confectum, item Panis Lotus, Amylum, cremor hordei & oryzæ ex probe alentibus ſunt. Sed cuncta in reſtaurandis conualeſcentium viribus ſuperat, ex quis confectio, quam Italorum vulgus.


gus.

gus ſambaion vocant. Conſtat autem ex ouorum vitellis tribus quatuorué, vino generoſo parum diluto, ſaccharo & cinnamomo, omnibus vna confuſis, & lento igni admotis donec efferuere incipiant. tumq; ab igne remoto ferculo liquido, propinetur priore menſa. eſt enim gratiſsimi & ſuauiſſimi guſtus, mirificè imbecillas vires reficit, citiſſime alit, ventriculum roborat, & facilè diſtribuitur. Hoc ego remedio, imbecillitatem ægrorum atq; conualeſcentium leuare ſoleo magno profectò ſucceſſu. vbi febris non adeſt. Illud porrò conualeſcentibus præcipuæ curæ eſſe debet, ne cruditate laborent. quo malo nullo pernitioſius illis accidere poteſt. vt quo in morbum relabi prompti ſint. Eſt enim cruditas fons & origo morborum ferè omnium, vt Auicenna ait, & relapſus conualeſcentium cauſa. Cruditatem porrò vitabunt, ſi in cibo ſumendo temperantes ſint & parci, vt minus ingerant cibi quàm vt grauare nimietate ſua ventriculum queat & concoctrici facultati onere ſuo negotium non faciat. Nec ſolum motionibus congruis, & alimentis reficiendi facultatem habentibus, conualeſcentes reſtituuntur, ſed & ſomno moderato, quiete, & animi tranquillitate. Per ſomnum enim quieſcente animali facultate, & ſenſoriis à ſuis muniis quietem agẽtibus, vegetior tum fit facultas naturalis. aſſumptorum concoctioni intenta, & natiui caloris intrò collecti beneficio roborata. qui toto eo tempore quo dormit animans, in intima corporis concluſus. omnia naturæ munia fouet. Vnde tum temporis coctiones & ſanguificationes melius fiunt. Vt Com. 4. lib. 6. de Popularibus morbis, & libro primo de ſympt. cauſ. cap. vltimo, & libris de ſanit. tuen. pronunciauit Galenus. Somno itaque moderato exhauſti per morbum ſpiritus in conualeſcẽtibus reparantur, vegetatur natiuus in illis calor, alioqui imbecillus, humectatur totius corporis habitus atque vegetior caloris natiui incremento efficitur. Viſcera in ſuis quæq; muniis obeundis firmiora euadunt: & robur inde deiectis viribus conciliatur. Vt nihil quicquam vtilius à morbo reſurgentibus ſomno congruo ac moderato exiſtimãdum ſit. Quin & animi lætitia, gaudium, atque tranquillitas, amœna & placida cum gratis amicis familiaritas iocoſa & hylaritatis plena cum facetis hominibus confabulatio. Muſicis & cantibus & ſonoris concentibus demulceri, ad reficiendos conualeſcentes plurimũ certè momenti habent. Quæ & ſi non omnia attigit hoc loco Galenus, non ob id omiſſionis culpandus. Neque enim compendio de rebus tractãs de illis plena tractatione loqui poterat. Hoc ergo illi meritò condonandum. Porrò quòd materia quibus reficit conualeſcentes queant, in libris de ſanit. tuenda ſe tradidiſſe teſtatur, id inueniret eſt libro eius tractationis quinto in quo ex profeſſo Galenus de victu conualeſcentium, & ſernum accuratè tractauit & ea omnia deſcripſit quę ad horum tutelam facere probe poſſunt.

Fen. 13. tertij Can.

Gal. libr. 1. de ſympt. cauſ. ca. 8.

## At ne quid ſermoni deſit, dicetur etiam non totius valetudinis tuendę, non ſolum eius quę corpora reficit (Analecticem vocant) compendioſa methodus.

Textus.

Com.

POllicetur ſe Galenus ad operis perfectionem, totius tuendæ valetudinis rationem compendioſa methodo traditurum. Id tamen non præſtitiſſe eum ex manca & decurtata capitis huius ſerie eſt videre. Vnde coniiciendum, vel in alterum huius tractationis librum quo caremus, eam totam tractationem reieciſſe Galenum, (ſiquidem duos de conſtitutione artis Medicæ libros edidiſſe Galenum ipſemet in prohemio teſtatur) vel mancum eſſe priorem hunc librum. deeſſeque illa omnia de quibus ſe tractaturum Galenus erat pollicitus. Equidem ſub huius capitis finem, ſummatim vniuerſam totius Medicinæ rationem repetere ſe velle affirmauit, & ſimilitudinem quam cum cæteris factiuis artibus Medicina haberet ſe oſtenſurum: & totius tuendæ valetudinis methodum compendioſam traditurum præfatus fuerat. quorum omnium cum nihil hoc capite expleuerit, nec ſuæ fidei qua ſe obſtrinxerat oblitum fuiſſe exiſtimare par ſit, conſequens profectò eſt arbitrari huic libro plurima deeſſe, atque iniuria temporum magna profeſſorum Medicinæ iactura hæc nobis intercidiſſe quæ olim (vt credere par eſt) integra erant relicta. Nos tamen & ſi longè diſpari filo atque eruditione (qui ad Galenum collati quiſquiliæ & vmbra ſumus) quæ deſunt

pro ingenij nostri captu attexere & explanare (ne quid operi desit) annitemur. Quid sanitatem tueri sit, demonstrantes, & qui præcipui ad sanitatis tutelã scopi habendi: quidque eum qui sanitatem tueri velit facere oporteat. Ergo sanitatem tueri, est eum corporis habitũ in quo salubriter degimus conseruare. quod est probam partium simplicium temperiem, & instrumentariarum commoderationem, & vtrarumque simul vnitatem illęsam custodire. Is profectò qui hæc probè obseruare nouerit, fidus sanitatis custos censendus meritò erit. Id verò quomodo fiat, propositis valetudinis tuendæ scopis præcipuis (de quibus mox dicturi sumus) planum fiet. De quibus antequàm dicere incipiam, quid sanitas sit, & quanto studio atque cura seruanda explicandum videtur. Porrò sanitatem affectum esse corporis secundum naturam, a quo actiones incolumes proficiscantur, notius est quam vt dici oporteat. & est à Galeno infinitis propè locis assertum: quæ sanè in nobis dispositio cum tanti sit vt sine ea inutilis homo dici queat, & qua amissa vel neglecta nulla sit reliquarum rerum omnium (vt Hippocrates dixit) aut voluptas aut fructus, magna cura atque studio cuique esse seruandam monet ratio. Magnus nanque thesaurus sanitas firma est, vt Plutarchus doctissimè censuit eo ipso libro quam de seruanda sanitate scripsit. Seruatur autem sanitas præcipuè notitia sui corporis & obseruatione earum rerũ quæ res aut prodesse soleant aut obesse, & obseruantia in omni victu atque cultu, corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus. Postremò arte eorum quorum ad scientiam hæc pertinent. Hæc seruandæ valitudinis summa doctissimè à Cicerone in officiorũ libris expressa. Iam verò qui scopi præcipui in seruanda valetudine sint habendi, promendum. Hos verò, duabus breuibus, sed argutis & suo autore dignis sententiis Hippocrates expressit, inquiens, ἄσκησις ὑγείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Quod est, sanitatis studium, in satietas alimentorum est, & impigrities ad labores. Parcum nanque in cibis esse, & ad labores impigrum, sanitatem, si quid aliud, conseruat atque tuetur. quòd nec excrementis corpus redundet, & proba assumptorum concoctio fiat. Altera porrò Hippocratis sententia hæc est, Πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. quod est, labores, cibi, potiones, somnus, venus, omnia mediocria sunto. Hi profectò duo maximi atque præcipui seruandæ valetudinis scopi sunt. vt & ne cibis ad ingluuiem & satietatem vescamur, & ad labores prõpti expeditique simus: vtque sint labor, cibus, potus, somnus, venus, mediocria, & moderata. Equidem cum natura omnis nostra in symmetria quadam polita sit, fiatque per similia conseruatio, moderata profectò esse oportet quæ symmetriam hanc nostram in qua sanitas tota sita est ac collocata seruare debent. Sanitatis tutela (ait Galenus) à labore auspicanda iuxta illud Hippocratis lib. 6. Epid. particula. 4. aph. vlt. πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. Labores, cibos præcedant. Hos duos scopos Aristoteles ab Hippocrate mutuatus videtur in Problematis. Sectione prima Problemate. 47. dum illud inquirit, cur cibum minuere, laborem autem augere salubre sit? An (inquit, quia causam ægrotandi excrementorum habet nimietas: quæ tum certè exultat, cum aut cibus superest, aut labor deest. Interpretatio & explanatio Hippocraticæ sententiæ hæc est. Nam cum dixerit Hippocrates, sanitatis in eo versari studium, vt cibis non satiemur, & laboribus, hoc est exercitationibus cõmodis incumbamus, eius præcepti rationem reddens Aristoteles, causam sententiæ Hippocratis eam esse voluit, quòd à nimietate ciborum, excrementorum proueniat copia: tũ item si quiete torpeat corpus. Vnde ægrotationis maxima inde occasio nascitur: quam vtique excrementorum abundantia, vel à ciborum nimietate, vel à laboris defectu genita parit. Rectè igitur Galenus sanitatis custodiam à labore auspicandam meritò dixit. quòd ab exercitatione & labore, natiui caloris incrementum, & spirituum citatior in omnia membra motus, & membrorum duritia atque robur: tum verò, & meatuum apertio, & eorum quæ obstruunt expurgatio, & excrementorum commoda depulsio fiat. Quæ cũ omnia ad vitam salubriter degendam, firmandamque valetudinem, magni omnino momenti habenda sint, quanti sit in vita commodi probè corpus exercuisse, perspicere quisque potest. Tanti ergo in seruanda valetudine momenti commodam exercitationem esse indico, vt primas omnino illi partes tribuenda, censeam. vt ex iis quæ modo recensuimus illius vtilitatibus, euidentissimum esse arbitror. At verò cum non omnibus aut ætatibus, aut temperaturis, eadem conueniat exercitatio, quæ cuique temperamento, ætati, & an-

ni

lib. 1. de sanit. tu. lib. de morb. diff. & de sympt. dif. li. 2. meth. med.

li. 6. Epid. par. 4. aph. 10.

li. 6. Epid. par. 6. aph. 5.

lib. 2. de sanit. tu.

lib. 2. de sanit. tuen.

ni conſtitutioni congruat, compendio explicabimus. Calidis & ſiccis naturis, mitiora & leuiora exercitia conueniunt. à validis aut multis incenditur in eis bilis, acriorque efficitur. Siccesſit & attenuatur corporis habitus, & in deteriorem lapſum decidunt qui tali ſunt temperamento. Frigidi & humidi, & longiore & validiore motu indigent: præſertim (vt familiare illis eſſe ſolet) ſi pituita multa abundent. extenuari enim tales & incaleſcere opus habent, vt validiore, & citatiore, longioreque etiam motu; natiuum calorem, quem propè ſepultum habent, accedant & exuſcitent. Frigido & ſicco temperamẽto qui ſunt, vt gracilitate plerunque & virium infirmitate laborant, ſic exiguos debent ſubire labores a magnis enim, aut validis, longioribusué, eorum deiicitur virtus, extenuatio-tesque euadunt. In quibus calor tum humido dominatur, cum plerunque valida virtute ſint, & excrementis abundent, quæ abſumi ex vſu eſt, multa ægent exercitatione. modo tamen ne nimium ſanguis labore in eis exagitetur & incaleſcat. graues enim exagitatus & calfactus in corpore ſanguis, gignere morbos ſolet. Porrò bene temperati, & in quibus nullus eſt inſignis qualitatem exceſſus, temperatis item exercitiis vti debent. à validis multiſque offenduntur. Omne enim immoderatum, moderato labor & offenſio. quòd per hæc à proprio ſtatu dimoueatur & alteretur corpus. Sit ergo exercitatio moderata quæ temperatę naturæ conueniat, illi non obſit. Quod verò ad ætates attinet, infantes, ſola in cunis agitatione blanda ſat habent: vel in vlnis geſtatione. neque enim alios motus vllos ferre poſſunt. Grandiores facti leuibus item motionibus indigent. Difflabilem nanque pueri & diſſolutu facilem ſubſtantiam habent. Quamobrem ne exhauriatur tenera eorum & mollis ſubſtantia à grauioribus laboribus ſunt arcendi. Iuuenes & florenti ætate, & qui item conſtantem ſeu virilem ætatem nacti ſunt, validiora poſſunt perferre exercitia & hæc illis conueniunt, lucta, pugna, ſaltus, æquitatio, & eiuſmodi plurima. Senibus minuendi corporis labores ſunt ob ætatem iam defectam & inclinantem. Frictionibus lenibus, blando & ſedato inceſſu, aut vectatione magis quàm motionibus validis (quas ferre ipſi non poſſunt) indigent. Nec ſolum in exercitiis obeundis ætatis ſolũ habenda ratio, ſed & temporũ anni pro quorũ varietate aliter atque aliter exerceri conuenier. Aeſtate modicè, Hyeme validius, vere & autumno temperatè: & ad analogiã quandã. Siquidẽ vere minus quàm hyeme, magis q̃ in æſtate exercẽdũ. Autumno validius paulò quàm in æſtate, remiſſius q̃ in hyeme. Hæc exercitationis in tuẽda valetudine pcepta.

Exercitationes pro tempore anni

Sequitur cibi ſumendi ratio, in quo detractioni ſæpenumero adiectioni immodice nunq̃ intendendũ. Difficulter.n. quod immodicum eſt in ventre & venis conficitur. q natura nimio cibo grauata, calore natiuo cibi copiã vincere non potẽte, fatiſcat. Vnde cruditates, obſtructiones, mali habitus, et omnis morborũ colluuies oriri ſolent. ac proinde ex vſu fuerit tutelæ ſanitatis intentũ, parcè & modice boni ſucci cibũ & qui facile concoqui poſſit ingerere. Vt inde proba concoctio probuſq; ſanguis in venis gignatur. Nec vnquam in plenitate ventriculi ſumendus cibus, ſed grauitate in ventriculo percepta, ſaporeq; cibi præaſſumpti, inedia imperanda, vel vomitu, aut alui eductione exonerandum quod plenitate nocet, aut ſomno prolixiori indulgendum. Hæc enim cruditatis remedia ſunt Galeno.

Cibi ſumẽdi ratio. Gal. lib 4. de ſanit. tu.

Optimè temperata corpora cum tantum appetant quantum conficere valent, ipſi ſibi menſura ſunt. & ſimilibus, hoc eſt temperatis, tum cibis tum potibus regenda ſunt. Intemperata verò quæ à iuſto temperamento plurimum diſtant, cũ à ſimilibus ſuo temperamento lædantur, iuuentur autem contrariorum moderato vſu, vt vult Galenus contrariis regenda erunt vt lib. 5. de ſanit. tuenda, & in arte Medicinali præcipitur. Itaq; calida & ſicca corpora frigidis & humidis indigent, quiete ac ſomno. vnde eſt illud Hippoc. calidis naturis aquæ potio, quies, refrigeratio. Frigida & humida, calfacientibus & ſiccãtibus. Frigida & ſicca, calfacientia ſimul & humectantia deſiderant, vti calida & humida, refrigerantia atq; exſiccantia. Tales enim naturæ, qm ab optimo temperamento plurimum diſtant, eo in ſtatu ſeruandæ non ſunt, ſed in meliorem contrariis deducendæ. vt præcitatis locis à Galeno proditũ eſt. Materias porrò, quibus hæc perfici poſſint, libri de alimentorũ facultatibus, de boni & mali ſucci cibis, & de ſimplicibus abunde ſuppeditabunt. In cibis aũt ſumendis ſalubritas tantum, nõ voluptas ſpectetur, aut varius apparatus. Sit ſimplex

li. 8 meth. med. Gal. in arte med. In arte med. li. 6. Epid. par. 4 aph. 13.

& ſine

& sine arte mensa, non cupediis, non obsoniis, sed puris & boni alimẽti cibis referta, quę firmare corpus, non alterare valeant. Ordo seruetur is, vt qui molles & aluum mouentes cibi sunt, facilèque transmittuntur, omnium primi sumantur. sequantur qui solidius præstant alimentum. Tempus verò sumendo cibo idoneum est, post exercitationem tempestiuè factam inanito tamen prius & latrante ventriculo, tum sanè cibus sumendus. sed ita vt ad refectionem & inaniti restaurationem, non ad saginam sumatur. A cibo quies tum animi tum corporis imperanda, ne vel præcipiti motu crudus & fluctuans in ventriculo cibus in viscera rapiatur, obstructiones & cruditates in vasis facturus, vel reuocato curis, studiis, mentis intentione, natiuo calore ab ventriculo, coctionis munus minus feliciter procedat. Potus autem æstate copiosior & vinum si bibatur tenue, & olygophoron esse debet probeque dilutum. Hyeme parcius & meracius bibendum. Verno autem tempore dilutius quàm hyeme, meracius paulò quàm in æstate bibatur. Sic & per autumnum. Frigida & humida æstate, hyeme calidiora sumi & sicciora cibaria debent. vere & autumno medio

lib. 1a Epigram.

quodam inter hæc modo. Cibum & potum somnus nocturnus excipiat. sitq; nox, vt martialis ait, non ebria, sed soluta curis. somnus qui faciat breues tenebras, hoc est ne nimius sit. Diurnus, & mox à cibo noxius. nisi tamen insomnis nox præcesserit, Dum dormitur stragulis probè tectum esse corpus præsertimque extrema oportet. Porrò somnus longior aut breuior, pro ratione ætatum, temperamentorũ, & temporum anni, & ventriculi robore aut infirmitate esse debet. In Pueris somni longissimi fiunt, quòd ea ætas ob humorem

li. 3. de loc. aff. cap. 4.

redundantem, (vt ait Galenus) somnolenta sit. Iuuenes, & qui ciuilibus negociis intenti, variis distinguntur curis, ob caloris acrimoniam minus somno dediti sunt, calore natiuo foras ad sensoria prodeunte. Senibus, si quid aliud somnus maximè cõfert. iuxta illud Homeri á Galeno citatum, vt lauit, sumpsitque cibum, det membra sopori. quòd nimirũ som-

lib. 5. de sanit. tu.

no, cruda quæ in senibus abundant concoquantur, roboretur imbecillus eorum calor, distributio & sanguificatio melior fiat. Quòd ad temperamenta pertinet, qui calido & humido temperamento sunt, breuiore somno vti debent: & si longiores in ijs fieri soleant, ne a diuturno nimium humectentur. Somnus nanque & quies longior corpus humiditate complent. Siccant vigilia & labor. Calidi & sicci temperamenti homines & quibus

Gal 7. metho. med.

plurima in vasis redundat bilis, longiore somno sunt demulcendi vt eorum bilis acrimonia retundatur. Frigido ac humido temperamento præditi, & qui pituita multa abundãt vigilię magis quàm somno dediti sint. exsiccatione nanq; opus habent quam breues somni pariunt. Frigido & sicco temperamento, longiore somno sunt humectandi. Sic & tẽporum quoque anni in somno habenda ratio. Vere & hyeme plusculum somno indulgen-

lib. 1. aph. 15.

dum. tum enim & ventres calidissimi sunt, vt dixit Hippocrates, & somni longissimi eo tempore ob noctium longitudinem fiunt. Aestate quoque prolixiore somno ad virium robur firmandum, quod tum temporis maximè dissolutum est, opus esset. impedit tamen & externa aeris caliditas, natiuum ad se calorem euocans, & vigilias inferens, tum verò etiã noctium breuitas. Ob id Celsus rectissime illud dixisse est visus, Meridiari longis diebus ante cibum, sin minus post cibum conuenit. Anxiæ enim præ æstu id temporis noctes esse solent. Autumno moderatè somno indulgendum, vt neque in æstate breuis, neq; vt hyeme prolixus sit. Somnum venus sequi debet. quæ in omni ætate parca magis quàm profusa esse debet. ac vt iuuenibus florenti in ætate constitutis haud sic perinde inutilis, sic senibus, attenuatis, siccisque corporibus inimica. Exhaurit enim ea vitale robur, senium accelerat, cruditates gignit, decolores & infirmos reddit, visus hebetudinem, neruorũ incontinentiam facit, & mortem non raro accersit. Hęc de venere. Porrò qui sanitati studẽt, id maxime curare debent, vt vitata plenitudine instrumenta per quæ excrementis exitus

lib. 1. de sanit. tuen. lib. 1. Theysit. cap. 1.

patet, libera sint, mollia, nullo infarctu obstructioneue obducta vt voluit Galenus, & Zoar his verbis expressit. Conuenerunt antiqui (ait) quòd in habendo ventrem laxum seruatur sanitas. Quòd si adstricta aluus fuerit, vel balano subdita, vel clisteri, catapotijsve aloeticis, vel mercurialis decocto, aut foliorum senæ, stipticam aluum emolliant. Ab omnibus porrò animi perturbationibus ira, mœrore, tristitia, metu, exultãte & repentino gaudio, cauẽdum esse sanitatis custodi, á Gal. in arte medicinali & ab oĩ Medicorũ schola proditũ est.

est. Euertunt enim hæc & animi & corporis robur, habitum corporis ac temperiem immutant, & mortem nonnunquã adferunt repentinã. vt Gal. Plinij, & Valerij Maximi testimonio constat. Hæc breui compendio collecta, & à me enarrata tuẽdę valetudinis meth. de qua se compendio tractaturum hoc libro (quod tamẽ non perfecit, aut si id præstitit, ea parte caremus) Gal. promiserat. Quod à me in id factũ est, ne manca appareret tractatio hæc q̃ alioqui ampla atq; perfecta, suisq; muneris omnibus absoluta à Gal. tradita est. Supplendumq; mihi Galenum interpretanti omnino id omne fuit, quod deesse operi, ex ipsiusm et Galeni pol licitatione perspeximus. Reliqua quæ ad hunc locum referri non ineptè possent, ex libris salub rium erunt petenda.

Gal. lib. 5. de sympt. caus. cap. 5. Plin. lib. 7. natur. hist. cap. 53. Valer. li. 9. cap. 12.

Tex.

Ac Primum quodnam ipsorum genus existat, idne quod pręsentem statum tueatur, an hoc solo à medicatorio genere differat, q̧ paulatim vitiata corrigit: Quippè corpus si priorem statum conseruaret, artem quæ illi præesset, nequaquam desideraret. Verum quia corrumpitur, nec idem perpetuò manet, factum est vt arte, quæ eius incommoda perspiceret, indigeret.

Com.



QVod Græci ὑγιεινόν, nos salubre dicimus. atque id est quod præsentem statum tuetur ac seruat. Nihil enim quicquam nisi quod salubre est, præsentẽ sanitatem tueri potest. Quęrit aũt in pręsens Galenus, in quonam genere Medicinæ partiũ ea quę cõualescentes reficit reponi suo iure debeat. an in eo quod præsentẽ statum tuetur, quod sanè genus, vt antea diximus, salubre dicitur: & pręsentẽ sanitatem conseruat. cuius rei merito scholæ conseruatiuum totũ id genus appellare consueuerunt: an verò in medicatorio genere (quod totum ad curationẽ pertinet & morborum propriũ est) reponi eam partem quæ conualescentibus prospicit, oporteat Quem scrupũ, & si tantum hoc loco proponit Galenus, nec tamen dissoluit (quod tamen fecisse debuerat) nos ex illius sensis dubium propositum dissoluemus. hinc sumpto initio, inter Medicinę partes, salubriũ scientiam, curatricẽ, & resumptiuam vocatam præcipuas haberi. Vt lib. de partib. artis Medicinalis, à Galeno edito, satis constat. q̧ hæ præcipuæ ac principes meritò partes statui debeant, quæ à fine artis petuntur: & per quas finem artis consequimur. Nam vel præsentẽ statum in quo salubriter degimus, seruare studemus, vel morbum depellere, vel cũ qui à morbo resurgit reficere conamur. quæ præcipua Medicorum munia esse omnibus in confesso est. Si primum, id ea artis parte perficimus quæ sanitatem tueri docet. Si alterum, nempè morbũ depellere, curatrice artis parte, quam θεραπευτικὴν appellant, id obimus. Si postremum, renutritoria parte, quam ἀναληπτικὴν nuncupãt, vtimur. Euidens autem est, partem postremã hanc quæ conualescentes reficit, non ad cõseruatricem Medicinæ partẽ pertinere. q̧ conualescentes nõ in eo statu seruare, sed ad meliorem, hoc est sanorum, reducere annitamur. Equidem cum sint conualescentes malè habito corpore, imbecilli, attenuati, exangues, refectrice artis parte in meliorem habitum eos transferre conamur optimis cibis, potionibus, somno, quiete, tranquillitate animi. vt quod de substantia per morbi vim ex haustum dissolutũq; fuerat, his præsidiis resarciatur. Quę sanè ratio ad medicatoriũ genus quodãmodo pertinere videtur. Reficere nanq; eos qui à morbis resurgunt, eorumq; & imbecillitati & extenuationi consulere, mederi est atque curare. q̧ qui conualescunt integrè sani non sunt. quod eorũ ostendit & gracilitas & virium deiectio. atq; ob id ea quæ per resumptionem fit procuratione indigent. quod sanè officium medicationis genus quoddam est. dicente vtiq; Auicẽ. medicationem omnem tribus rebus compleri, victu, Medicamentis, manus opera. Itaq; victu prospicere conualescẽtibus medicari est. In eo certè munus hoc à verè medicatorio differre videtur, q̧ hoc totum genus, non ægris, sed neutris conualescẽtiæ vocatis prospicit, illud ęgris tantum. Siquidem curatio cũ morbi depulsio fit, vt multis in locis est à Galeno proditũ, ad ægros tm̃ pertinet medicatoriũ & curatiuũ genus. propriè quidem sumpto curationis aut medicationis nomine, quò si paulo licentius vti volemus, inueniemus profectò & ad conualescẽtiũ procuratione medicationis nomen extendi. quodcunq;. n. deteriorẽ habitũ in melio-

Omissionis notatur Galenus, Fen. 4. primi cap. 1. li. 4. meth. & libr. 11. & in arte med. c. 89.

rem commutare poteſt, id medicatorium quatenus eũ habitum curare ſolet, dicitur. Conſtat itaq; eam partem quæ conualeſcentibus conſulit, ad curatricẽ quodammodo eſſe referendam. ꝙ conſulere à morbo reſurgentibus curare ſit, noxam vtiq; in illis á morbo relictã corrigendo & emendando. vt & in melius proficiant, & in ſanorũ ſtatum deduci tali procuratione queant. Sed iam reliqua attingamus. Quonam ea Medicinæ pars quæ renutritoria dicitur & peculiariter conualeſcentibus ac ſenibus conuenit, à curatrice parte differat, inquirere pergit Galenus. inquirens, num hoc ſolo à medicatorio genere diſtet, ꝙ reſumptiua Medicinæ pars ſenſim vitiata corrigat? In quo perpendendum, non eò certè alterum ab altero differre, ꝙ vnum vitia corporis paulatim emendet, alterum minimè. vtrũque enim ſenſim, non de repentè quæ vitiata in corpora ſunt corrigit. Dum enim conualeſcentes reficimus, modicè & paulatim, nõ affatim & immodicè id facimus. quod enim vel nimium eſt, vel de repente & affatim oblatum, naturę inimicum eſt, vt Hippocrates dixit.

lib. 2. apho. 51.

In arte me. cap. 86.

Sic etiam dũ medicamentis, aut ſanguinis miſſione, cucurbitulis & id genus præſidiis morbum curamus, ſenſim & modicè id facere aggredimur. ꝙ (vt ait Galenus) natura non ferat eas quę ſubitò fiunt alterationes. Non igitur reſumptiuum genus à mediocatorio eò differt, ꝙ aliud ſenſim, aliud affatim munia ſua compleat. Sed ꝙ curatiuum genus circa ægros actu (quos vt nunc Scholæ vocant) vniuerſum verſatur, reſumptiuum verò non circa hos, ſed circa illos qui à morbis reſurgunt & conualeſcunt ſuperatis iam morbificis cauſis. tum quòd qui curat medicamentis morbo aptis vti opus habet, Qui reficit illis non amplius vtitur, nec illis ſanato iam morbo opus habet, Sed probis tantum alimentis ad virium refectionem & gracilitatem reparandã, quiete, ſomno, animi tranquillitate. quibus à morbis reſurgentes vti ſolent, & hæc vt recreentur poſtulant. de quibus ſuprà abundè diximus. vbi enim ſola ex morbo gracilitas cum virium infirmitate relicta eſt (quod in verè conualeſcentibus euenit) renutritione collapſarum partium, & virium inſtauratione per cibos, potus, aeris puri reſpiratum, non medicamentis, aut euacuationibus opus habemus. Atque hęc ſunt analeptices partis à curatrice diſcrimina, hæ differentiæ. Cur verò harum partium vtraq; corpus indigeat, rationem ſubiicit Galenus. ꝙ alterabilem & nunquam eodem in ſtatu perſiſtentem habeamus ſubſtantiam, mutationibus, morbis, ac denique morti obnoxiam. Si enim ſtabilem atque vnius modi quam nacti ſumus ſubſtantiam

Cur arte medica nobis opꝰ ſit.

perpetuò ſeruaremus, nulla prorſus eſſet artę opus quæ ſaluti noſtræ proſpiceret. ipſa ſibi natura per ſe ad id complendum munus ſufficiente. Sed quãdo infirmam & fragilem, mutationi, alterationi atq; corruptioni expoſitam: & ex contrariis ſeſe mutua pugna perimẽtibus coalitam nacti ſumus, arte ea nobis opus eſt quæ fragilitati naturæ noſtræ inſeruiat:

Quę ars medica pſtet.

& quoad maxime fieri põt, ab immatura morte, & impendentibus malis tueatur, & ne citò deficiat animans curet, & id præſtet, vt exceſſus omnis ſuo contrario corrigatur & emẽdetur. Idq; etiam nos doceat, quo aere, cibis, potionibus, nobis per ætates, temperamenta, & tempora anni vtendum ſit. ut ſomno indulgendum, quando & quamdiu uigilandũ, qui ſubeundi labores, quo tempore exercenda uenus, ut excrementa ſoluantur. Quibus locis ad ſalubritatem idoneis degendũ. Quę cuiq; naturæ, ætati, ſexui conueniant, ut ſeruanda ualetudo, ut profligandus morbus, ut prædicendum. Quæ cuiq; affectui ad curationem remedia opportuna, ut illis utẽdum per tempora morbi docet. eoq́; efficit, ut per hæc uel ſalubris ſeruari corporis ſtatus, uel labefactatus curari quàm tutiſſime poſſit. Atq; hęc eſt artis circa humanum corpus prouidentia quam hoc loco expreſſiſſe Gal, breui ſerie eſt uiſus. Nos paulò ampliore narratione eam explicare uoluimus. Huic porrò ſimilem lib. 1. de ſanit. tuenda, & in arte Medicinali protulit ſententiam Galenus.

Cap 86.

Textus.

Si ergo corporis ſubſtantiam vacuari inanirią; ſolum contingeret, eam nimirũ cibo potuq; reſtitueremus. Si verò aut humorum copia, aut excrementorum prauitas coaceruetur, opus erit exercitiis huc ſpectãtibus, vt humorem cum vacuent, tum expurgent. Superflua concoquant, cauſaſque omnes quæ ſanitatem ipſam vitiare poſſunt euitent. nempè refrigerationem, exuſtionem,

lassitudi-

laſsitudinem, cruditatem, temulentiam, vigilias, triſtitiam, iram, furorem, & id genus alia.

Com

QVonam pacto ars medica hominũ ſaluti proſpiciat, & quibus in affectibus opẽ ferat: quibuſque remedijs in his leuãdis affectibus ars vtatur, nunc docet Galenus, ex quo diſſolubilem noſtri corporis ſubſtãtiam eſſe, alterationi corruptionique obnoxiam prædixerat, vt id caueri poſſit (quãtum quidem ars præſtare poteſt & materia circa quam verſatur, patitur nunc docere pergit Galenus, ab inanitione vacuationeque ſubſtantiæ noſtræ exorſus. quam vbi diſolui contigerit cibo, potuque reſarciri debere dixit. In quo animaduertẽdum haud abſq; ratione duo hæc verba inaniri, & vacuari, in cõtextu poſita eſſe. id videlicet vt oſtendat Galenus, hæc ſeſe mutuò conſequi ad vacuationam enim inanitio ſequitur. Vacuatio enim omnis, quæ præſertim immodica ſit, inanitionem vt cauſa effectum parit. eſtque inanitio, ſubſtantiæ noſtræ ab euacuatione aliqua affluxus & diſolutio ſiue vacuatio ea ſenſibus manifeſta ſeu ſenſum fugiens (vt quæ per inſenſilem trenſpiratum ſit) fuerit. Interdum nanque inſenſili effluxu diſsipari ac diſolui ſubſtantiam noſtram contingit. à minimis vtique ſtudijs, laboribus, curis, mœroribus, ſiti, fame, & cęteris huiuſmodi, quæ ſubſtãtiam noſtram perdere vi ſua poſſunt. Vbi vehemẽtia & valida fuerint: inaniri nanque propriè, eſt abſumi eam qua fouemur ſubſtãtiam, cuius robore ac ſubſiſtentia viuimus & obeũdis naturæ actionibus ſatis ſumus. & ſi quidam inanitionis nomen ad eam quæ inſenſili trãſpiratu ſit ſubſtantiæ noſtræ diſolutionem tantũ accommodari velint. quorum ſententia explodenda eſt, cum non minus inaniatur noſtri corporis ſubſtantia, immo magis ab euacuationibus manifeſtis, quam ab inſenſili tranſpiratu & effluxu. Siquidem ab huiuſmodi vacuationibus magnam fieri cernimus ſubſtantię noſtræ diſolutionem & inanitionem maximè verò ex immodica ſanguinis manatione, quę plus cæteris vacuationibus ob eã quæ in ea ſit caloris natiui & ſpirituum diſſolutionem, inanire ſubſtantam noſtram valet. Inter ea verò quæ maximè exauriunt vires, & inanitione ſubſtantiam euertunt nihil longa inedia potentius, vt que deffectu alimenti in quod agat natiuus calor noſter, abſumit ipſe humida corporis, ſicque tandẽ contabeſcere corpus, & deficere inanitione nimia erit neceſſe. Vbi ergo ſic inaniri ſubſtantiam noſtram contigerit, ſiue id per euacuationes ſenſui patentes, ſiue per eas quæ ſenſum effugiunt, fiat reparari ac refici quod exhauſtum eſt, cibo potuque oportebit; quod hic ait Galenus. ſed cibo quidem, optimo, Euchymo, concoctu facili, congruo tempore, menſura, ordine, modo exhibito. ſic & de potu ſtatuendum, qui moderatus & ſuo tempore oblatus conueniet. ſit autem potus, vinum ſuaue, odoriferum, generoſum probè dilutum. Nec cibo ſolũ & potu reficitur deperdita ſubſtantia noſtra, ſed & ſomno, quiete moderata, lenibus deambulationibus, animi hylaritate & ijs omnibus quæ conuenire à morbo reſurgentibus antea diximus Si verò aut humorum copia (ſubdit Gal.) aut excrementorum prauitas coaceruetur, tum exercitijs opus eſſe ait, quæ humorem tum vacuent, tũ expurgent, & ſuperflua concoquãt. Locus hic Galeni, animaduerſione paulò pleniore indigere mihi planè videtur. Equidem ſi quod alio loco idem dixit, curatio vnam habet præcipuam & communisſimam intentionem, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium. Et contrariorum contraria perpetuò eſſe debere remedia ſcitè ab Hippocrate dictum eſt, qui ſit, vt cum plenitudini contraria ſit euacuatio: & excrementorum prauitati purgatio, non exercitium, ad hæc tamen curanda Galenus pro remedio non euacuationem, aut purgationem, ſed exercitia adhibẽda eſſe conſulat?

Inanitio quid

in art. med. cap. 89.

li. de flatib.

Quaſi verò exercitijs humorum copia vacuari, aut eorundem prauitas ab his purgari & amoueri poſſit? Cum ab Hippocrate dictum ſit, Quicunque morbi ex plenitudine ſiunt, euacuacuatio ſanat & aliorum contrarietas. Rurſuſque euacuationem id Hippocrati ſignificare cum ſimpliciter profertur, quando humores omnes æqualiter euacuantur, purgationem autem, quando praua affecti qualitate educuntur (vt idem Galenus de Hippocratis ſententia. lib. 11. apho. Comm. 17. dixit) Qui ſit inquàm, vt cum exercitium, humorum copiæ, aut excrementorum prauitati contrariũ non ſit, neque itẽ ab eo aut humores æquali-

li. 2. aph. 22

ter omnes, aut praua affecti qualitate euacuentur, vt pro horum affectuum curatione exercitiis, non autem sanguinis missione aut purgatione (quæ propria talium dispositionum remedia sunt) vtendum Galenus iusserit? Tum, quòd tantum abest, vt exercitia, humorũ prauitatem seu cacochymiam tollere possint, vt potius eam excitent ac promoueant, dicentibus Hippocrate & Galeno. Si impurgatus laborauetis vlcera accident, vt lib. 3. aph. Com. 20. ex Hippocratis sententia protulit Galen. Quomodo igitur, si labor vlcera creat, in his qui cacochymia affecti sunt, eam curabit? Atque profectò si in hac parte, summo, vt dicitur iure, cum Galeno agendum sit, mœtus est ne contra eum ius dicatur, ipseq; causa cadat: qui propria vnicuique affectui præscribenda remedia, non quæ e accidenti curãt, vbiq; inculcarit. Atqui exercitium non per se, sed ex accidenti inanitione quam facit plenitatem auferre dicitur. Non igitur proprium erit aut redundantiæ humorum, aut prauitatis excrementorum remedium. Itaq; improprietatis, & non seruatæ methodi culpãdus Galenus erit, qui relictis propriis ac maximè præcipuis auxiliis (sanguinis inquàm missione aut purgatione) ad exercitia confugerit. At verò quoniam indicta causa leges quempiam damnari & pro reo haberi vetant, & vt ipsemet protulit Galenus, Antiquorum placita qui enarranda suscipit, ea amicè magis definire quàm morosè redarguere debet. idq; officij fuerit ne tanto autori calumniæ crimen notamq; inuramus, præstat rationem aliquã inire, qua ipse se tueri Galenus possit. Ipse igitur pro se causam dicet: seque apud seueros etiam iudices tuebitur. quem pro se dicere ordientem audire dignum fuerit. Ergo sic causam aget Galenus. Confiteor vltrò (iudices) curationem omnem (quod obiicit aduersarius) contrario perfici. Neque enim alia curandi ratio quàm quæ per contraria fit, inueniri vspiam potest. Tum & illud quoq;, humorum redundantiæ vacuationem opponi: & excrementorum prauitati purgationem. hisceque remediis hæc curari, vt libr. secundo aph. Com. 17. & libro de sanguinis missione, & pluries alibi à me dictum est. Verum & si hæc quæ commemoraui, vera sunt vtriusque affectus remedia, non tamen inde colligẽdum sola ea esse quæ vel humorum redundantiam, vel excrementorum prauitatem curare queant. cum sint pleraque alia quæ horum vicem suppleant, atque non minus ac priora illa) & si non ita celeriter & euidenter) vtrunque affectum curare valcant. vt sunt exercitium, Balneum, Frictio, Inedia, & digerentia medicamenta. Hac enim de re eam ego libro. 13. methodi sententiam tuli. Ergo Plethora (inquit) tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione. prçterea digerentibus medicamentis: & præter hæc omnia, inedia. Quæ eadem à me libro de sanguinis missione prodita sunt. Ex quibus meis decretis colligere illud promptum est, non omnem succorum redundantiam sola sanguinis missione curari: nec itẽ protinus ut quis in sanguinis redundantis concursu positus, sed etiam dum sanus, nec adhuc quicquam læsus, non statim huic mitti sanguinem esse necessarium. Sed alij satisfaciet inedia, alij cibi parcitas, alij soluta aluus, vel purgatio, vel frequentius balneum, alij sola exercitatio, vel multa frictio, abundè fuit. Hæc enim à me libro quarto methodi medendi non inscite scripta sunt.

Neque existimandum (dicet idem) vnicum tantum nobis vel à natura vel ab arte in curandis affectibus oblatum remedium esse. sed multa, eaque succedanea, & quæ sibi inuicem mutuas præbeant in medendo soluta res operas. vt vbi vnum defuerit auxilium, præsto sit aliud, illius vices gerens: vel etiam si præsenti auxilio non destituamur, occasione tamen una aliqua expleri nequeat, vel virium infirmitate, vel ætatis, consuetudinis, victus rationis, temporis, anni constitutionis, vel repugnantiæ ægri, assidentiumué reluctatione, Prouidentissima Medicina aliud præsidium in eius quod deficit uicem substituit. ut eius ope uel sanari qui iam morbo correptus est, uel prohiberi casurus, ne cadat, possit. Hinc factum ust, plenitudinem non sola sanguinis missio curet, uel corruptelam purgatio: sed ea sæpenumero quæ ante memoraui præsidia. cibi parcitas, soluta aluus, exercitatio, balneum, & cætera huiusmodi. quòd hæc congruè exhibita, humorum copiam aut in totum exhauriant, aut certè plurimum de illa detrahant. Quòd uerò mihi obiicitur, exercitationem plenitudini humorum minimè contrariam esse: eoque curare minime posse, cum omnis curatio suo contrario, uel

Omnibus fere libris meth. med. & li. 5. aph. Com. 21.

libr. 2. de sympt. cau. cap. 5.

Gal. pro se ipso loquitur.

ex Hippocratis ſententia magiſtri omniū optimi perfici habeat. Reſpondeo, contrariorū legem in Medicina latius quàm pro Philoſophorū more eſſe accipiendam. vt contraria ea in arte cenſenda habendaq; ſint, quæ morbū tollere poſſunt atq; curare. cuius modi cūque ea fuerint. Niſi enim quod curat, poteſtate morbo aduerſarium ſit, morbum nunquā profectò curabit. Nam & ſi interdum quod ſimile apparet, ſimilem morbum curare videatur, vt in aquam frigidam immerſio tetanum in iuuene bene carnoſo, æſtate media curare dicitur: & eſt à magiſtro Hippocrate proditum, vtroque quidem & morbo frigido & remedio item frigido exiſtente. Sic & balneum calidum fontanæ aquæ, febrientibus ſæpè præſidio eſt, non tamen hæc qua ratione ſimilia, ſed quatenus auferendi morbi poteſtatem habentia ( & ſi non per ſe, ſed per accidens) morbum curare dicuntur, vt in tetano, non aquæ frigiditas, ſed caloris natiui noſtri per eam facta intrò reuocatio ſanitatem inducit. Sic in balneo fontanæ aquæ, non ab igne inducta in aquam caliditas, ſed natura in ea frigiditas febri aduerſaria, & in intima vi caloris perlata, febrem curat. Igitur cum exercitatio, quæ modo valida ſit & intenta, & vel ſolito longior, vel citatior, & confertim facta carnes minuendi, & humores diſſoluendi atque diſſipandi poteſtatem habeat. Nam prout frictionum alia ſoluit, alia minuit, alia impinguat, quod eſt ab Hippocrate in medici officina dictum, ſic & exercitationum quoque alia minuendi, implendi alia vires. Siquidem multa & vehemens minuit, moderata implet, vt libro de ſanitate tuenda ſecundo eſt à me dictum. Cum hæc inquàm ita ſe habeant, conſequitur ſanè, exercitationem vnam aliquam, plenitatem, minuendo, abſumendo & exiccando tollere poſſe. lib. 5. apho. 21.

At non quæuis exercitatio id facit, ſed ea tantum in qua colorem deſloreſcere ( qui ex agitatione floridus factus fuerat ) venas detumeſcere & minui carnes contigerit. Id in magnis, & concitatis, atque tonicis vocatis motionibus euenire videmus. Soluit autem exercitatio huiuſmodi plenitatem, aut ſudore plurimo oborto, aut inſenſili tranſpiratu effluente molliore & ſpirituoſa noſtri corporis ſubſtantia. Vnde plenitatem aut in totum tolli, aut certè plurimum minui contingit. Quinetiam humorum portio quædam per huiuſmodi exercitationes attenuata, per halitum inſenſili effluxu digeritur. Vnde etiam minui plethoran eſt neceſſe. Interdum vero etiam ſenſibili euacuatione per ſanguinis é naribus manationem ( quæ ad fortes exercitationes conſequi non raro ſolet ) demi humorum copiam cernimus. Vel citato nonnunquam alui fluore, aut vomitu qui per huiuſmodi motus concitari ſæpe ſolent, præſertim vbi quis mox à cibo, & diſtento ventre talibus ſe motionibus exagitarit. Per hæc enim plenitatem minui eſt omnino neceſſe. Leues autem corporis demotiones, deambulationes, vectationes molles, id perficere nequeunt. Quam obrem plenitatem minime exhaurient. Sed lucta, militaris pugna, Pancration, curſus, remigatio, foſſio & id genus cętera per quæ totum corpus quatitur & vehementer agitatur, humorum redundātiam his quibus diximus modis auferre queunt. Nec id ſolum exercitationes poſſunt, ſed & ſuperflua quæ incocta in ventre remanſerunt concoquendi facultatem habent. Si enim non ſatis fuerit in ventre elaboratus cibus, aut calidi natiui infirmitate, aut prægrauantis cibi copia, ſi in poſterum diem leues exercitationes quis adhibeat per quas accendi & exſuſcitari natiuus calor poſſit, planè quæ incocta relicta erant, aucto per exercitationem natiuo calore concoquentur. Quæ verò iam corrupta ſunt & vitiata cum non amplius redire ad meliora poſſint, protinus ſunt expellenda, nec coctionem in illis moliri oportet, vt à me lib. 11. methodi medendi exactè demonſtratum eſt. Quin cum plures ſint auferendi plenitudinis modi, vt antea dictum, à leuioribus & tutioribus tentare prius medelam quam à valentioribus oportet. Sunt autem inedia, exercitatio, frictio, balneum, mitiora omnino præſidia quàm ſanguinis miſſio vel purgatio. quamobrē ab illis merito inchoandum. Si enim cobgrua victus ratione curare poterimus proſpera euenient. Itaq; verum prorſus erit quod à me dictum eſt, exercitiis & plenitatem & excrementorum etiam prauitatem emendari.

An non uobis cauſam meam pulchre egiſſe, & iudices etiam ſeueros in meas pertraxiſſe partes veridica hac defenſione, ut mea dicta á calumnia uindicarem, uiſus ſum?

Porrò quòd causæ eæ omnes quæ euertere sanitatem possunt, à sanitatis studiosc vitandæ sint, notius est quàm vt doceri oporteat. Quis enim nescit refrigerationem, æstum, lassitudinem, cruditatem, temulentiam, uigilias, tristitiam, iram, furorem, & cætera animi pathemata esse omni cura cauenda & fugienda? Refrigeratio nanq; calidi innati vim exoluendo, constipando atq; densando, transpiratumq; prohibendo: nonnunquam etiã congelando, & spiritus opprimendo immedicabilem noxam adfert, non raro etiam mortem, vt experientia docet. Aestus inflammando, exsiccando, calorem pręter naturá inferẽdo, spiritus natiuũq; calorẽ dissipando & exoluendo obest. Sic & lassitudo à motu contracta, siue tẽsiua, Phlegmonosa, aut vlcerosa sit, viribus negotiũ facescere solet. Cruditas verò, cum sit malorum omniũ seminarium atq; origo, vt Auic. scribit, quantopere vitanda ipsa sit, ne obstructiones, mali habitus, Podagræ, & articulares morbi, diuturnæq; febres sequantur, exploratum atq; expensum vnicuiq; esse puto. Ex quo item genere & temulenlentia quoq; est. quę ceu è fonte Vberrimo apoplexiæ, paralyses, conuulsiones, arthritides, Peripneumoniæ, Obthalmiæ graues, & innumera morborum farrago oriuntur. Vigiliæ verò, exsiccando, & natiuum calorem, humiditatemque natiuam dissipando nocent. siccat nanq; totum corpus vigilia vt lib. 7. methodi medendi proditum. Tristitia porrò, calidum natiuum absumendo, spiritus cogendo & absumendo. tum ẽt potenter exsiccando viresq; labefactando obest, prout & furor (qui exacerbata & extra ductũ rationis effrenis ira est) calidum natiuũ præ nimio motu & exhalatione dissoluendo. Hactenus causam suã egit Gal. quem ego pro se loquentem & causam suam nauiter agentẽ aduersum Gal. mastygen ob id de industria inducere volui, vt plausibiliorem commentationẽ hanc redderẽ: tum etiam vt boni interpretis officio functus lectori videri possem. Est. n. hoc fidi interpretis. & officij plenũ antiquorum dicta quę explananda suscepimus, ad veritatis semper legẽ meliorisq; interpretationis fidem, quàm ad calumniã pertrahere. quod sanè fiet, quũ sicubi errasse, aut conniuenter rem tractasse aliquam visi fuerint, non continuò cũ eis lege agere, nec summo etiam iure ad tribunal vocare, vt aut inscitiæ, aut erroris, aut negligentiæ eos accusemus. Sed vt æqui moderatores in cõponendis litibus facere solent: qui nõ minus pro actore, quàm pro reo stare, & ex bono & æquo magis quàm summo iure litẽ dirimunt, sic sanè agendũ fido interpreti est. vt classicos & præiudicatę autoritatis magistros tueri magis quàm redarguere velit. nisi si quando à veritate aliena loqui fuerint visi, tum enim pro veritate stare potius quàm in verba magistri iurare addecet. Nunc vero, vt sunt ad calumniã & reprehensionem proni homines, in more pleriq; habent omnia calumniari, reprehendere, detorquere, quo sapientiores cæteris, & oĩbus supereminere appareant. quod quid aliud est quàm, quod Cicero dixit, & viuis & mortuis inuidere? Siquidẽ antiquorũ scita candide magis q̃ seuere expendenda à veritatis studioso sunt. & vni tantum veritati absq; calumnia & sine errore patrocinandum. Nec puto mihi à beneuolo lectore id vitio verti, ꝙ medica tractans, voluerim quasi in iudicio res ageretur, forensi quodam modo ac patrocinio Galenum tutari. Iuuat. n. sic quandoque exhilarandi animi gratia in aliena castra transire nõ vt transfuga, sed vt explorator ad gratiã cõmentationi conciliandã.

Fen. 13. 3. tract. 3. c. 2.

lib. 4. acad. quæst.

Tex.

Non enim necesse est singulis recensendis immorari quũ argumentũ initio propositum iam absoluerimus, Institueramus. n. non de omnibus Medicinę partibus in transcursu percensere, Sed quemadmodũ alias artes, ita & hanc, à finis notione constitutam esse demonstrare. quod quum iam perfectum sit, summatim totam Medicinæ rationem repetamus: similitudinem quam cum aliis artibus factiuis habet, ostendentes.

Com

QVi compendio aliquid tradit, non necesse habet omnia adamussim tractare, nec in singulis recensendis diutius immorari quod id cõpendiosa doctrina non ferat. vt in qua sola capita rerum percensentur, ut ex illis ritè intellectis, vniuersæ artis species quasi in tabula expressa appareat. Abundè fuerat Gal. quod tractandum argumentum sibi proposuerat absoluisse. Cum non de omnibus Medicinę partibus

exacta narratione tractare in animum induxisset, sed id tantum, Medicinam instar aliarũ, quæ in efficiendo politæ sunt artium, & ipsam quoque à finis notione esse constitutam de monstrare. quod cum à se iam perfectum duobus his de constitutione Medicinæ libris (& altero caremus) sciret Galenus, totam Medicinæ rationem summatim tradere (vt epilo go hoc vniuersum librum concluderet) proponit hoc loco, indicare volens, quam cum aliis factiuis artibus similitudinem Medicina habeat. Quæ omnia cum se ostensurum hoc libri fine polliceatur Galenus: nec oppositum id videamus, affirmandum certè est, totam hanc partem libro deesse, atque temporum iniuria nobis periisse. Medicinã porrò à finis notione constitutã esse, vti & cęterę factiuæ artes, in prohemio huius libri, & pluribus alijs locis huic libro insertis docuimus. ostendẽtes quid artis constitutio; & quid artẽ cõstitue re sit. & vt à finis notione cuiuslibet artis cõstitutio proficiscatur. Quis Medicinę finis, & quẽadmodum eo cognito medicã artem constituere sit. quæuẽ artẽ medicã constituenti necessaria sint, exacta (vt puto) narratione prioribus huius libri capitibus demonstraui- mus. ut hic repetendũ minime videatur. ad quæ loca lectorẽ remittimus. Porrò ꝙ totã Me dicinę rationẽ summatim repetere in animum induxerat hoc loco Gal. cũ id explicatum non habeatur (ꝙ mancus sit hic liber, ut certò coniicere par est) supplendum nobis erit, quod à se de ea re dictum existimare possumus. Sic itaq; locupletandũ deficientẽ & man cum hunc locũ sum iure arbitratus. Omnis ars medica circa tria potissimũ uersatur, nẽpè, corpora, signa, causas, ut in arte Medicinali Gal. Hæc. n. uniuersam cõplectuntur artẽ. Corporũ porrò differentiæ oẽs medico tenẽdæ sunt, & quæ illis secundũ naturã insunt, quęuẽ accidunt, & id quoq;. Vnde quid salubre, insalubre, ægrum, neutrũ cognoscere operæpre- tiũ est. Ex quibus constet humanũ corpus, hoc est, quę corporũ elementa, tẽperamẽta, hu mores, partes, facultates, actiones, spiritus. Sine his nanq; consistere corpora nequeũt, vt quæ eorũ substantiã compleant, Quæ quidẽ omnia & nouisse medico necessariũ est, & ad partem Medicinæ naturalem pertinent. Sequitur consideratio eorum quæ corporibus ac cidunt. Sunt autem hæc, morbi, morbificæ causæ, & quæ morbos vel comitantur, uel se- quuntur symptomata. atque in hac morborũ omnium cognitione, qui tam partibus sim- plicibus quam instrumentariis accidunt species ac differentiæ omnes discendæ sunt. Cau sarum quæ morbos creant maxima medico ducenda ratio est. ꝙ tum unumquodq; noscere nos & scire existimemus, cum causas eius quod quæritur agnouerimus. ut scite Arist. in Po sterioribus dixit. Agnoscendæ itaq; morbificæ causæ omnes sunt, tum præincipientes, tũ antecedentes, & quas continentes uocamus: id. n. ad morborum tum cognitionẽ, tum cu rationem apprimè necessarium est. Cum nihil sine causa fieri posse. axioma sit medicũ. ut Hippocrates libro de arte, & Galen. libr. 1. methodi medendi dixere. Ad curationem ue- ro in primis necessaria ea cognitio habetur, dicente Galeno, fieri non posse ut curetur affe ctus ullius generis ullus manente quæ ipsum excitauit causa: & in morbis causas secum ha bentibus, ab illarum sublatione auspicandam esse curationem, tum lib. 4 methodi meden di: tum in arte medicinali proditum est. Atque tota hæc consideratio ad eam Medicinæ partem spectat, quæ affectus, causas, symptomata rimatur. quam Gręci suo more, modo παθολογικὴν, modo αἰτιολογικὴν, sicuti priorem φυσιολογικὴν appellant. Atq; hæc omnis tractatio fusè à Gal. libris de morborum differentiis, de morborũ causis & symptomatis tradita est. Quę circa corpora medico attendẽda sunt diximus. De signis agendũ. hanc partẽ uniuer sam Græci σημειωτικὴν nominant. Hac sanè parte præstatissima maximũ cum uaticinatione cõmercium Medicina habere dicitur. ut Epistola ad Philopomenen Hippo. testatur. ut ex qua sanè Medicinæ parte, futurorũ prædictionẽ, pręteritorum memoriam, & pręsentiũ in- spectionem nancisci ualeamus. Rem profectò & ad affectuũ dignotionem, eorundem cu rationem ut apprimè necessariam, sic ualde utilem. Siquidem ex his quæ pręcesserunt, nẽ pè acta uita & actionibus, in morbi cognitionem facile deuenimus. Ex his uerò quæ cum morbo sese offerunt iudiciis ac signis (quæ & ipsa παθογνωμικὰ uocant) morbi speciem atq; naturam dignoscimus. Veluti ex prognosticis uocatis, quid in morbis euenturum sit præ- sagimus. De qua sanè parte multa Hippocrates libris Præsagiorum, de Coacis prænotio nibus, de insomniis, de iudicationibus & diebus iudicatoriis, prout item Galenus, libris de locis affectis Commentariis suis ad libros prędictionum Hippocratis, tum libris de

li. 7. meth.

Cap. 89.

Crisibus & diebus decretoriis, & in Commentariis ad libros Prorhetici, & de differentiis febrium exactè scripsit. Hæc signorum consideratio tanti in Medicina momenti esse creditur, vt sine illa affectus nequicquam dignosci queant. atque subinde ne curari quidem. Cum in primis autore Hippocrate, speciem morbi cognoscere sit opus quàm mederi studeas. vti etiam Galenus. lib. 1. de ratione victus acutorum Com. 3. dixit. Sequitur de caussis tractatio, in qua causas eas quæ vel præsentem sanitatem conseruant, uel amissam restituunt cognoscere est omnino necesse. Quæ sanitatem conseruant salubres causæ, ad eam Medicinæ partem spectant, quæ salubrium dicitur. ὑγιεινὴν Græci vocant. quam sanè tractationem vniuersam Galenus libris de sanitate tuenda, & de alimentorum facultatibus, & de boni & mali succi cibis complexus est. Quæ verò amissam sanitatem causæ restituunt, ad eam medicinæ partem reiiciendę sunt quæ de medendo dicitur. & sic etiam quatenus sanitatē inducunt salubres etiam dici queunt. Partem quæ mederi docet Græci θεραπευτικὴν dicunt, atq; hac vna parte infestantes morbos sedula manu curamus. Id tribus porissimū perficitur instrumentis, victu, medicamentis, manu. victu congruo tum in tuenda sanitate, tum in profligandis morbis vtimur: vt sine cuius moderato vsu, nec in secunda, nec in aduersa valetudine viui potest. vt primo de alimentorū facultatibus Galenus. Medicamētis in omnibus morbis curandis ceu præsidiis opportunis vtimur. Quęcunque nanq; vel assumpta, vel admota curare alterando possunt, medicamenta ritè dicentur. Chyrurgia (quæ manus est operatio) in abscessibus, vulneribus, vlceribus, fracturis, ac luxationibus tota posita est. Hanc sanè partem quæ de medendo est vniuersam, doctissimè Galenus 14. therapenticis libris, & duobus ad Glauconem: tum libris de simplicium facultatibus (sine medica materia nequicquam curari vllius generis morbi possunt qui medicam opē requirant) tum libris de medicamentis secundum locos, & genera, libro de sanguinis missione, & de reuulsione & cucurbitulis absoluit. Hoc certè totius Medicinæ compendium, hæc ratio est, de qua se dicturum Galenus promiserat. vt primum scilicet corporum differentias noscamus, & quæ in his insunt elementa, temperamenta, humores, membra, facultates, actiones, spiritus, Morborum differentias, causas, symptomata teneamus. Quæ corporibus accidunt, signis propriis deprehendamus, Prognosticis de futuris præsagiamus, quæ, quo tempore, ac modo euentura sunt. Rememoratiuis vocatis, quæ antecesserunt, ex quibus mala oriti potuere, in memoriam reuocemus. Pathognomonicis præsentes affectus dignoscamus sanitatem præsentem similibus seruemus, Amissam medendi methodo pręsidiis opportunis ac vnicuique borbo propriis restituamus. Hæc ea sunt, quæ à nobis, vt Galeni quæ desunt hac parte dogmata resarciremus, docenda erant. Nūc vero quid simile cum cæteris factiuis artibus medicina habeat, promendū. Si modo prius lectorem admonuero, vt quæ de tota Medicina suis locis atq; sedibus distincta scire ea volet, quæ ad exactam illius notitiam pertinent, libros locorum Medicinę communiū meos legat. in quibus vniuersam Medicinæ rationem expensam & suis locis digestam inueniet ex qua lectione, ceu è promptuaria cella, quę in tota medendi arte continentur depromi poterunt. Sed iam quid simile cum reliquis factiuis Medicina habeat explicemus. Notū illud est, artem Aristoteli, habitum esse quendam ad aliquid vera cum ratione faciendum idoneum. Quæ sanè ratio Medicinæ maximè conuenit. Cum sit ars medica habitus quidam in artificis mente positus, ad sanitatem vel tuendam vel reparandam congruis pręsidiis. idque commune esse artibus ex æquo omnibus, vt habitus quidam sint, vnū aliquid certa cum ratione efficiendi. Vt neq; ars ulla sit, quæ non sit habitus cum ratione in efficiēdo, neque habitus ex eo genere, qui nomen artis non mereatur. Vnde efficitur, vt ars & habitus cum ratione certa in efficiendo positus eadem valeant. Versatur autem ars omnis circa ea quæ fiunt, idque vnum agit atque spectat quemadmodum efficiatur quodque eorum quæ & esse & non esse possunt. quorumque principium situm est in eo qui facit non in eo quod efficitur. ac proinde ea non tractat ars quæ stant & eueniunt necessariò. nec in iis quæ à natura ortum habent versatur: ut quæ principium in se ipsis hæc contineant omnia.

Quando autem effectio & actio inter se diuersa sunt, necesse est arti affectionē subiectā esse, nō actionē. Est. n. actio motus partiū factiuus ut eo motu opus cōsequatur artifex. Ha-

bent

li 2 de rat. vict. acut. textu 38.

lib. 6. Ethi. cap. 4.

bent autem ſingulæ artes & materiam ſui generis propriam quã tractent, & inſtrumenta idonea quibus rectè opus efficiant, & ſcopũ quẽ ſibi proponunt. & finẽ ad quẽ effectionem dirigant: & cuius gratia quæ in efficiendo poſita ſunt omnia, fiant. Cũ ars omnis in efficiendo aut agendo poſita ſit. effectio aũt nulla ſine materia conſtare queat, efficitur, vt ars omnis materiam deſideret aliquã circa quam efficiendo et operando verſetur. At quonã neq; artifex per ſe materiam idoneã ſine adminiculo aliquo ad opus parare poteſt, varia ſibi excogitauit adminicula ſapientia ſua ac diuina qua præditus eſt mente artifex, quibus quæ arti ſubiecta ſunt perficeret atque expoliret vt Plato in Timeo, & Gal. lib. 1. de vſu partium ſcitiſſimè dixerunt. Ea autem adminicula, varij generis inſtrumenta ſunt ad efficiendũ idonea, quibus artes in efficiendo vtuntur. Nec ſolum in eo ſingulæ conueniũt artes vt & materiam obtineant, & ad opus perficiendum idonea inſtrumenta, ſed ſcopũ quẽdã ſingulæ ſibi proponũt quo maximè nitãtur, & in eo totæ poſitæ ſunt, vt quẽ ſibi propoſuere ſcopũ, eũ recta cũ rõne efficiẽdo tãdẽ attingant. At verò cũ ars oĩs, oĩs item actio, omne ſtudiũ & inſtitutũ, ad bonũ aliquod referatur, vt Ariſt. initio. Ethicorũ ſcitiſſimè dixit, & artiũ quoq; vnũ eſſe finẽ aliquẽ cuius gr̃a q̃ arti ſubiecta ſunt oĩa fiãt, neceſſe eſt. Itaq; Medicina ars cũ ſit, & ea quidẽ artium præclariſſima, vt Hippo. dixit & ipſam quidẽ inſtar reliquarũ, & materiam habere propriam circa quam verſetur, & inſtrumenta ad finem conſequendũ idonea, & ſcopũ quẽ ſibi proponat, & finẽ cuius gratia ea omnia paret, quæ ad illius conſecutionẽ ſunt neceſſaria, habere omnino oportet. Atque hæc profectò ea ſimilitudo eſt, quã cũ cæteris factiuis artibus medicina habet. Materia porrò operis ſeu ſubiectũ vt vocant circa quod ipſa verſatur, & in quo munia omnia ſua exercet, corpus humanũ eſt. ſubiectũ meritò operis dixi, non conſiderationis. Nam tale quidẽ in Medicina ſubiectum, ſanitas eſt, nõ corpus humanũ. vt lib. 1. locorum meorũ cõmunium, cap. 2. ex Gal. ſententia lib. de partibus artis medicatiuę probaſſe me memor ſum. Igitur cũ reliquæ factiuæ artes propriã ſingulæ tractent materiã, aliæ lignũ, aliæ ferrum, æs, linũ, lanam, coriũ, ſic & Medicina quoq; propriam ſibi habet materiam humanũ corpus: cuius vel ſanitatẽ præſentẽ cuſtodit, vel amiſſam reſarcit. At verò cũ nobiliſſimum quiddã ac propè diuinũ homo ſit, temerè illud medendo tractare minimè licet, ſed cautione ſumma atq; prudentia, vt in quo vno illa experiri quæ non ſunt experientia cõprobata, non eſt citra periculũ. Cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Et quidem reliquæ factiuæ artes, quæ vilia ſubiecta tractant, & ſi malè tractãdo, vel vitientur, vt deſtruantur, haud perinde referre putandum eſt. neq; vllũ exinde periculũ naſcitur. In homine ſi id tentes, mors ſequitur. Ob id rectè id Hippocrates dixiſſe eſt viſus. Experimentum periculoſum eſſe & Gal. exercitatum atque prudentem oportere eſſe medicum. ne in operando aberret. & experimenta per mortes agat. vt Plinius ſcitiſſimè dixit. Hæc de materia artis. Inſtrumenta porrò illius duo præcipua ſunt. vti & inuentionis quoq; cæterarum omniũ artiũ experimẽtũ nẽpè & ratio vt Gale. lib. 1. aph. Com. 1. ſiquidẽ ars nulla conſtitui obſeruatione tantum & experientia citra rationẽ poteſt. vt lib. 2. de dignoſcendis pulſibus Gal. Artis. n. cuiuſlibet finem qui conſequi parat, duobus his veluti cruribus tanquam inſtrumentis vti debet. meth. quidem & ratione in vniuerſalibus, in particularibus verò exercitatione & experientia. vt lib. 8. meth. proditum. Sunt & alia quoque inſtrumenta per quæ ad conceptum finẽ cõmodè perueniatur. Ea ſunt, victus ratio, medicamẽtorũ dexter vſus, & chyrurgia vt Auic, fen. 4. primi cã. cap. 1. conceptis verbis affirmauit. Habet & medicina ſcopũ quẽ ſibi proponit, ſanitatẽ inquàm. Perpetuò. n. medicus ſanitatẽ meditatur: & hanc ſibi primũ in mente proponit. habet & finẽ quoq; nẽpè ſanitatis poſſeſſionem vt Gal. lib. de ſectis, & de optima ſecta dixit inquiẽs, medicę artis ſcopus ſanitas eſt, finis ipſius ſanitatis adeptio ſeu poſſeſſio. vt aliud omnino ſcopũ à fine eſſe voluerit, quod à paucis eſt animaduerſum. ſcopũ. n. pleriq; oẽs cũ fine cõfundunt, idẽ eſſe ſcopũ & finẽ putãtes: cũ contra ſe res habeat. vt Gal. lib. qui medicus ſeu introductoriũ dicitur, his verbis teſtatus eſt. Aliud ars, aliud eius finis eſt, Hunc aũt nõ affectat illa, ſed quod circa ipſum eſt. & neq; id perpetuò; Quo fit vt quouſq; hoc non aſſequitur, non finis eius, ſed ſcopus dicatur, cum aũt contigerit, finis. Hactenus ille. Ex quo videre eſt quãtũ ſcopus à fine diſtet, diſtat. n. vt propoſitũ a propoſiti fine. Siquidẽ ſanitas ipſa ſemper ſcopus propoſitus medico eſt; & ſi nõ ꝑpetuò eius propoſiti ſcopi finẽ (qui ſani

tatis

Gal. li. 1. de facul. natu.

lib. de lege

Gal. lib. 1. aph. com. 1

li. 1. aph. 1. li. 8. meth. lib. 29. nat. histo. cap. 1

tatis est possessio assequatur medicus) finis autem est ipsa sanitatis fruitio artis præsidijs cõparata. vt Gal. præcitato loco. Cumque constet ex ijs quæ modo attulimus artem medicã, & materia vti, vti cæteræ factiuæ artes, & instrumenta habere ad id efficiendum quod molitur ideonea, & scopũ, tũ & finẽ cuius gratia omnia agat, an non iure optimo hãc reliquis artibus factiuis similẽ esse dicemus? Atq; id est quod se dicturũ Gal. promiserat. quodq; à nobis in eorum quæ operi desunt supplementũ attexenda erant, ne lectorẽ eius intelligẽdi quod deerat spe frustraremur. Quæ si minus acutè & doctè quàm res postulat, à me tradita erunt, cogitet lector meliora & ampliora Gal. traditurũ fuisse. me solũ interprætis, nec interprætis modo, sed & interpolatoris munera functũ. Nec vitio mihi verti debere, si quę interpolata sunt & assuta, integritati vestimenti non respondeant nunquã. n. interpolatio venustati & gratiæ integræ vestis respondere potest. Cum non nisi detrita & vetustate propè absumpta interpolari soleant. integra quæ sunt, & suo nitore constant, interpolari non egeãt. Itaq; cum detritus esset vetustate ac decurtatus Gale. in hac extrema libri parte codex, resarciendũ mihi fuit interpretis vicem agenti quod deerat. Cæterũ qui amplã eorũ, quæ ad artium rationem omnẽ pertinent, suppellectilẽ nancisci voluerit, locos meos Medicinæ communes adeat. illic. n. libro priore, & eius lib. cap. 7. omnia quæ ex medicorum decretis de arte sciri possunt, locupletissimè inueniet. artium inquam omnium naturam, species, differentias omnes, efficiendi varios modos, scopos & fines earundem, aduocatis interim Hippocratis & Galeni de ea re communibus placitis.

Tex. Est igitur Medicina vna factiuarum artiũ, non tamen simpliciter, vt ædificatoria, fabrilis, textoria: sed veluti ea quæ collapsas ædes instaurat, & vestes laceras resarcit. Quoniã verò & harum ipsarum duplicẽ esse constitutionẽ ostendimus, nempè artifice exempla ex se fingente, aut extrinsecus speculante: medicam artẽ secundi generis esse demonstrauimus. Nõ. n. ex seipsa fingit exempla, verũ ex anatome totum id diligẽter speculata, vitiatã emẽdare conatur. Differt in hoc ab artibus prædictis, ꝙ plurima natura operante subministrat: vniuersam tamen speculationẽ, ex qua medicus corrector & minister est, cũ alijs effectiuis artibus similẽ obtinet. Etenim similariũ substantiã, & instrumentariarũ generationis modũ pernouit: vnde affectibus inuentis, singulorũ curandorum scopos inuenit.

Com. Artium plures esse differentias, variosq; fines, & ab omnibus Philosophis dictum est, & experientia ipsa demonstrat. Etsi. n. artes omnes in agendo, aut efficiendo positæ sunt, ꝙ tamen & varios habent scopos, & varios itidem fines, ob id diuersitatem inter se sortiũtur. vt quarũ fines diuersi sint, eas quoque diuersas & specie distinctas confiteri necesse sit. Artiũ nanque distinctio, à fine non à materia quam tractant petenda est. vt Gale. lib. ad Trasibulũ quo quærit an ars tuendæ sanitatis ad exercitatoriã pertineat, conceptis verbis affirmauit. Artes verò eodem ipso lib. idem autor, in actiuas, effectrices, acquisititias, & correctrices distinxit. vt in quo horum generum reponi congruè Medicina posset, demonstraret. Actiuæ hæ artes dicuntur, quæ in actione quidem, hoc est, actiuo motu versantur, sed ab actione nullũ opus relinquunt. eò. n. actiuæ artes ab effectricibus dissident, ꝙ actiuæ, cũ ab agendo desierint, earum quoque finis (qui solum in actione positus erat) desijt. vt saltatoria, & cytarista. vbi enim artifices hi agere desierint, nihil conspicuum relinquitur quod ex actione relictum monstrari possit. quòd in actione & motu tantum, non in opere post actionem relinquendo, artes eæ omnes actiuæ positæ sint. Contra effectrices artes, opus ab actione seu effectione relinquunt. vt fabrilis seram aut clauem, ædificatoria domũ, naualis nauẽ, Medicina sanitatẽ. Acquisititiæ eæ sunt, q̃ in acquirendo versantur, vt piscatoria venatoria, aucupiũ, mercatura. Hę. n. ĩ id agũt, vt ex actione lucrũ & materiã aliquã captẽt. pisces, feras, aues, merces, atque ex his lucrum. Correctiuæ porrò eæ dicuntur, quæ collapsa ac vitiata resarciunt & emendant, qualis est calceorum & vestium refectrix, Atque

medendi

medendi ars vna factiuarũ est, vt hoc loco Gal. & lib. ad Trasibulũ. Siquidẽ sanitatẽ ipsa efficit atq; id est illius opus quod ab actione relinquitur perinde atq; domus, & nauis, ædificatoriæ & naualis opera sunt. Nec solum sanitatem Medicina facit, sed & conseruat atque etiam firmat. vt lib. de optima secta Gal. Porrò cũ artiũ effectriciũ quædam ea quę non sunt vt sint efficiant, vt naualis, fabrilis, ædificatoria. Naualis nanque nauem de integro quę nõ erat facit, fabrilis clauem, ædificatoria domum. Quædam ea quæ facta sunt conseruant, vt nauigatoria, quæ ipsa quidem nauem non conficit: sed factam regit atque gubernat. item œconomica quæ alimenta, vestes, & cęteram suppelectilẽ non ipsa facit, hæc tamẽ ne dilabantur ac pereant, promicondi officio conseruat atque tuetur. Nonnullæ verò vtrumque præstant, vt ædificatoria, quæ & domum efficit, & factam tuetur. Sic Medicina & sanitatem ipsa facit, & factam tuetur. Siquidem artem quæ sanitatem seruat, & lapsam instaurat eandem esse, docet lib. ad Trasibulum Gal. exemplo doliorum quibus assideat aliquis alterum pro ratione vacuati humoris implens dolium , sicque conseruans, alterum prorsus inanitum replens; sicq; instaurans ac reficiens. Ex refectricium igitur artium albo Medicina certè vna est, quæ collapsam & vitiatam sanitatem ipsa reficit, ꝗ illi congruis auxilis medeatur: vnde toti arti nomen impositũ est. ꝗ prima & potissima totius artis pars ea sit quæ medetur, ac curat atque ab ea ceu præcipua toti arti nomen rectè impositum est. vt libr. ad Trasibulum Gal. verum cum inter effectrices artes quædam adeò certæ sint & statæ, vt modo idoneam nactæ sint materiam & peritum artificem, nunquam suo fine frustrantur, vt domorum & nauium fabricatrix & cæteræ multæ. Quædam verò quę & si parem nactę sint, materiam, hoc est idoneam, doctumq; artificem, nihilo secius tamen sæpe suo fine frustrantur. vt Medicina, quæ non semper finem suum assequitur: vt experientia docet. ꝗ morbi sæpennmero, aut virium ægri extrema imbecillitas vim artis superent. Nec satis medicus nosse potest, quantum vis morbi aut naturæ præualeant, quæ pręsidiorum vis ac quantitas leuando morbo satis esse queat. Qua vna ratione factum putat Gal. vt ars medica coniecturalis sit. vt cui non solum non coniectura respondeat plerunque, sed ne experientia quidem, vt celsus lib. 1. in prohemio testatur. Quare errant illi toto cœlo, qui eò artem hanc coniecturalẽ dici & esse existiment: ꝗ coniecturalibus præceptis contineatur. Non. n. à pręceptis q̃ in ea traduntur, coniecturalis est dicta, vt quæ perpetua sint & necessariæ veritatis, sed ab actione & medentium opera, Hæc. n. incerta & incertum euentum habentia, coniectricẽ artem reddunt. Itaque cum non omnium artium finis attingi perpetuò possit, eò fit, vt earum nonnullæ (quas inter Medicina haud infirmum locum tenere creditur) coniecturales & sint, & dicantur. vt quæ ancipitem & incertum (vt antea dixi) euentum habeant. & si veritate tamen nitantur. Coniectura nanque à coniectando vel coiectu dicta, est, idest, directione quadam rationis ad veritatem vt Quintilianus lib. 3. cap. 7. affirmauit. Constat igitur ex quo genere effectricium artium Medicina sit, nempè earum, quæ collapsa reficiunt, & instaurant. & si maximè tamen, artificiosa & vera sit, nonnunquam tamen coniecturis artificiosis veritati propinquis, vt vocat Gal. vtitur. idque tantum in internis, abditissimis, & occultissimis morbis, vt in quibus opinione & coniectura magis quàm scientia ars vtitur. vt lib. de flatibus. proditum esse, sed iam ad reliqua quæ supersunt Gal. explananda accingamur. magnam. n. difficultatem in se continent: & quæ explicationis seriæ indigeant.

lib. de cur. per sangu. missionem

Gal. lib. de opt. secta.

li. 1. de loc. aff.

Ait porrò Galenus, effectricium artium duplicem esse codstitutionem. vna quidem, artifice ex se exempla fingente, altera, extrinsecus petente. atque medicam artem secundi generis esse arbitratur, vt quæ non ex ampla sibi fingat, sed extrinsecus petat, nempè ex anatome? quæ res magnam in se continet difficultatem. Nam in comperto est, medicum varia sibi in mente sanitatis vel tuendæ, vel resarciendæ exempla ac veluti ideas quasdam effingere ad quarum rationem consilia sua dirigens, commodè & morbos curet, & sanitatem tueatur. Quod. n. medico ab indicatione à rei essentia sumpta in mente suggeritur, id ex se effingit, & consecutione quadam in vsum ducit. non aliunde petens, sed ab eo quod illi ratio ab indicatione proficiscens dictat. vt in morbis omnibus qui à medico per indicationem curantur est videre. Habet nanque medicus curandi rationes in mente & animo fixas non aliunde nec extrinsecus quæsitas, quibus tuto ac methodo certa curare possit. alioqui à quo quæso huiusmodi rationes tradentur? non à fortuna aut casu vel quorum euentus, vt

an medicus exempla ex se fingat, an extrinsecus pedat

incerti, temerarijque sunt, nec stati aut firmi, sic artẽ constituere non possunt, nec ab illis rationes rectè curandi (quæ certæ sunt & constãtes) vnquã sumet medicus. Natura quidẽ indicationes medico suggerit, quibus innixus ratiocinatione curandi rationes sumit: methodũ sibi fingens qua id præstare valeat. Nam cum vel ipsomet Gal. autore, indicatio quæ à morbis sumitur: ipsaque communis indicatione nulla prorsus medicæ artis sit portio, nec magna nec propria sed quæ etiam plebeijs & vulgaribus hominibus sit communis, (vt sub initiũ lib. tertij meth. med. conceptis verbis affirmauit Gal.) isque cui facultas est illa inueniendi, ex quibus perfici possit quod à prima indicatione suggeritur, is morborum curator dici meritò debet. (Hæc.n. ipsissima Galeni verba latinè loquentis sunt, eo quem citauimus loco) sequitur profectò, vt cum medicus ea inueniat ex quibus quod à prima indicatione suggeritur perfici possit, ipsum sibi curationum exempla inuentione hac sibi propria nec aliunde quæsita effingere atque parare. cum in se inuentionis eiusmodi principium habeat, mentem inquàm ipsam medendi scientia imbutam, quę illi ea omnia suggerit quę ad rectã curandi rationẽ pertineat & necessaria videntur. Præterea cum indicatio Gal. definiatur, sequentis siue agendi insinuatio, ab ipsa tantum suggeritur & insinuatur quid agẽdum sit. sed quomodo, quo tempore, ordine, mẽsura, quibusq; præsidijs id agere oporteat, non præscribit. quod medicus ipse facit: propositis sibi medendi scopis, à morbi natura, ægrotantis viribus, ętate, consuetudine, animi constitutione & cęteris huiusmodi. Nã hoc est indicatione inuenire (vt ipsemet Gal. testatur) ab ipsa rei natura ordiri atque inde quod sequens sit citra experientiam inuenire. quod est per ratiocinationem id excogitare quod morbo curando profuturum est. Addo insuper non alia ratione alterum altero in re medica pręstare, quàm ꝙ vnus altero melius medendi artem calleat, id est medendi rationes et que precepta, teneat, quę curandis morbis sufficiant. Atq; ob id Gal. Thessalũ valde increpat, ꝙ cum nihil veritatis inquisitioni temporis impenderet, solum potentum salutationibus, & per vrbem circumcursationibus, adulationibusq; magnatũ intentus esset, in magnis tamen si esse credebat. cum minime artis præcepta teneret, nẽpè sub patre malè lauas carpente educatus. non certè quemadmodum veteres illi ab Asculapio oriundi, qui tanquã duces militibus, & reges subditis imperare ęgris soliti erant. Quòd ergo alius alio pręster, non aliunde prouenire sapientes viri arbitrantur, quàm ꝙ inuentionis solertia, ingenij acrimonia, iudicij magnitudine, & solida sapientia, vnus alio pręualeat. & quò plura in eo fuerint virtutũ harũ ornamenta, tanto profectò cęteris multis suę sortis hominibus pręferẽdus erit. cur id? quòd ex se sanationũ pręcepta obtineat non aliunde per mendicata suffragia quęrat. vnde est illud Hesiodi celeberrimi Poetę in libro cui titulus opera & dies.

li. 3. meth. med.

li. 2. meth.

li. 1. meth. med.

*Optimus ille quidem est, ex sese qui omnia nouit.*
*Perceptis quę post, & semper sunt meliora.*
*Is rursus bonus est, paret qui recta monenti.*
*At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures,*
*Ut bona percipiat, demens & inutilis ille est.*

li. 6 meth. med.

Hac certè ratione palmam inter medicos diuinus autor Hippocrates meruit, hac itẽ Galenus, qui se gloriatur aduersus neruorum vulnera multa inuenisse medicamenta, quę nec sub aliquo magistro vsurpata vnquam vidisset, nec in alicuius veterum medendi libris prodita legisset, sed ex ipsa rerũ natura indicatione sumpta, propria neruorum vulneribus medicamenta, quę nemo alius prodidisset, ipse propria solertia, & ingenij qua pollebat sublimitate inuenit, quod proprium esse medici methodo vtentis ipse vult. Et sanè medicamẽtum quod ex euphorbio, cera, frictaque resina paratur, ad neruorum vulnera optimum, à se inuentum esse ipsemet lib. 6. meth. med. abundè testatur. A quo nam igitur eius conficiendi rationem? aut à quo vtile esse neruis vulneratis didicerat? cum à se inuentũ dixerit? Confiteatur ergo Galenus, vel se ipso iudice, exempla medendi & rationes, tum & præsidiorum inuentionem in medicis esse: & ab ipsis congruè pro ratione morborum excogitari, non aliunde quæri. Nam & si ex anatome plurima medico suggeruntur quæ ad morborũ curationem plurimum faciant, non inde tamen concludi potest, medicum ex anatome solum medendi exempla capere, atque inde quæ ad rectam medendi me-

thodum

thodum pertineant petere. Quod .n. maximè ex dissectionem scientia nanciscimur, sunt membrorum positus, substantia, connexio, figura, vsus: tum & internorum affectuum per hæc cognitio. At ex anatome neque remediorum dexter vsus, nec eorundẽ qualitas, quantitas, modus, neque cibandi ratio (in quibus potissimum tota medendi ratio posita est) deprætenduntur. sed hæc in medici prudentia sita, expeditam faciunt & certam morborum curationem. atque ob id merito Gal. prudentem & exercitatum esse debere medicum prodidit. vt prudentia, salutaria ex cogitare remedia ad morbi curationem possit: & exercitatione, quæ inuenerit in vsum suo tempore transferre queat. [li. 8. meth. med.] Neque inuideat hoc loco Gal. medicorũ præstantiæ ac dignitati, neu velit tanto bono priuare ac orbum facere medicum vt nolit eum curationum exẽpla ex se habere, sed aliunde expiscari tanquã inops nec domi habens vnde sibi sufficiat. [Expostulatio ad Galenum.] Esset .n. tũ medicus omni artifice inferior atq; ẽt ignobilior, si quidem artificũ nullus est, qui prius quàm se operi accingat, non eius quod facturus est operis speciem, ceu ideam quandam animo concipiat: & efficiendi rationes in seipse teneat quibus intentus, opus ipse præfectum conficere queat, qui omnibus artificibus propositus scopus est. Sic architectus, sic nauium structor, sic faber, sua edũt opera. Nisi enim prius quo loco, positu, aspectu ponẽda domus sit, quibus constare partibus, vt hæ disponendæ, vt ambulationes, cœnacula, cubicula, lumina constituenda & ponenda sint nouerit, idque ex se nec aliunde quæsitũ, nunquã profectò domũ architectus construet. Concepta verò prius domus specie ac rationibus vniuersis, perfectũ efficiet opus. Sic quoque de reliquis artificibus in vniuersum dicendum. Ergo cum artifices manuarij cæteri cuncti, dote rationũ ad recte sua cõficienda opera sint ornati, non aliunde quærere coacti, sed à seipsis, solus medicus (tantus alioqui artifex, hoc bono frustrabitur, vt aliunde medendi rationes, non à se quærere cogatur? Absit, vt id de medico existimemus, qui multitudine præstãtium dogmatũ præditus, methodo certa morbos curare didicit: ab indicatione quam morbus suggerit, iuxta ægrotantis ac sedis affectæ naturam, de medendo rationes aptas inuenire, & in vsum ducere suo marte potest, sic curationem feliciter aggrediens. Fatendũ quidẽ artifices quosdam sibi exempla fingere; alios extrinsecus petere; vt de architecto & pictore euidẽs fieri potest. At verò medicum aliunde non ex se medendi rationes sumere (quod hic vult Gal.) id prorsus admittendum non est ei qui medici dignitatem atq; præstantiã tueri intrepide velit. Atq; hæc ego quæ aduersus probatam hic a Gal. sñiam in mediũ attuli, non calumniãdi studio, sed veritatis vnius proferẽdæ, & medici dignitatis tuendæ gratia atq; asserendę (nullius addictus iurare in verba magistri) lector æqui boniq; consulet. & si quid habet quo Galenũ in hac parte tueri possit, id si in mediũ protulerit, magnã certè à me gratiã pro mercede meliora docens reportabit. Neq; .n. is ego sum, qui mea velim decreta præferri: qui ea doctorum omniũ censuræ atq; iudicio volens sciensq; subijciam, & herbã lubens (si meliora attulerint) porrigam. Philosophos .n. decet sua interdũ decreta vnius asserendæ veritatis gratia tollere, quod est ab Aristotele Philosophorũ maximo dictũ: nec id facere verebor, vbi me veritatis robur compulerit. [li. 1. Ethic. cap. 6] Sed reuersus, ad reliqua quę supersunt explanãda animum intendamus. Differt (inquit Gal.) Medicina à reliquis factiuis artibus, ꝙ plurima natura operante subministrat, quod illæ non faciunt. Recte quidẽ certè ac verè id a Galeno dictũ est. Multa quidem ex se sine naturæ adminiculo præstare potest medicus, quale est vulnus suere, distantia labiorũ ora coniũgere, luxata reponere, medicamenta varii generis tum intrò sumenda, tum foris admouenda præscribere, putrem carnem in vlceribus eximere, candens ferrum admouere, sordes vlcerum detergere, & quæcunque manuum opera fiunt sine naturæ auxilio subministrare potest medicus. Sed multò plura tamen ea sunt quæ à natura adiutus facit. Equidẽ cũ naturas nostras morborũ esse medicatrices Hippocrates protulerit, [lib. 6. Epid. sec. 5.] medicũ naturæ ministrũ tantũ esse, cõfiteri necesse habemus. Curationum aũt, & eorum omnium quæ in corpore fiunt ad ipsius tutelam & conseruationem, naturam opificem esse. quod scitè à Galeno in arte medicinali dictum est, dum ait, omniũ, horũ (de functionibus & curatione loquens) natura opifex est, medicus verò minister. [Cap. 85.]

Itaque morbos tollere, decretoria facere, humores concoquere natura per se potest. medicus; & si quadãtenus ẽt morbos curare dr̃, id tñ naturæ præsidio adiutus facit, non se solo; decretoria porrò facere, humores concoquere, discernere & secernere nullo pac-

tò medicus præstare potest. q̃ hæc solius naturæ opera sint. Concoctio nanque naturæ propria est actio, vi natiui caloris in humores agẽtis, dum vel eos alimoniæ aptos reddit: perfectius eos qui crudi remanserant elaborans, vel si id non possit, eos virtute propria superans atque vincens (quod præstare solet in morbis, dum qui morbos pariunt humores putridi effecti sunt, & omnino ad alimoniam inepti ( tum in eos intenta natura euacuationi idoneos reddit & suo quodam modo, vt potest, concoquit. Sic & crises ac decretorij motus à natura fiunt, & si eos nonnunquam promouere & adiuuare medicus arte possit. ea impedimenta auferendo quibus à suo obeundo munere decretorioque faciendo natura præpediebatur. vel etiam cum illam segniter operantem medicus adiuuat, & quasi cunctantem excitat. vt cum sudores ipsa decretorios lentè mouet, sudorificis naturam medicus adiuuat.

Sic item si minus quàm decet excrementa per aluum ducat, ea potest promouere medicus soluentia medicamenta, propinans. Humores crassos attenuare, uiscidos incidere medicamentis quæ id efficiendi uim habeant, potest quidem medicus, sed naturæ interuentu. Nisi enim quæ in id dantur medicamenta, à natura in actum ducantur, id non operabuntur cuius gratia exhibita sunt. ea igitur à natura dirigi est omnino necesse. ut libris primo ac secundo de simplicium facultatibus, & libris de temperamentis à Gal. proditum est. Sic etiam sarcotica adhibere quidem medicamenta, ad carne implenda ulcera medicus potest. sed carnem tamen regenerare minime certè potest. id. n. naturæ non medici opus est. Sic in fracturis dum apta callo gignendo præscribit medicus, glutinare diffracta ossa dicitur, cum tamen glutinationem hanc natura ipsa ex superfluo alimenti, quod ad partem ui naturæ defertur, facere propriè magis dicatur. atque in ijs omnibus exercendis ritè medicus naturæ minister nuncupatur. Ministri nanque munus est, obsequi hero, & ea subministrare quæ hero grata sunt & utilia, ea auferre quæ displicere & ingrata esse uidentur, noxamque allatura. Id erga naturam (quæ uerè in corporibus dominatur) præstat medicus. amica, familiaria, quoad potest, salutaria quidem semper exhibens. Naturæ nanque familiaria exhibere quantũ maxime potest debet perpetuò medicus. si quid Galeno id præcipienti creditur. si verò quæ noxia sunt, e naturæ ordinatos motus functionesque impedientia, ea summouet omnia. nunc sanguinem mittens, nunc pharmaca propinans aluum ducentia, nunc medicamentis proprijs urinas, sudores, menses mouere tentans, nunc cucurbitulas, cataplasmata, fotus, clysteres, & id genus multa auxilia præscribens. Id enim ut naturæ operanti dexter adsit, ut minister, medicus facit neque contra naturæ ductum facere aut aggredi quicquam audet. Sed pro Hippocratis præcepto, quò natura ducit. per conuenientia loca eò ducere iisdem tentat modis omnibus medicus, ne naturæ scilicet aduersetur, ne ei impedimento sit, aut repugnans noxam inferat. sed ut illam iuuet eiusque motus sequatur, cuncta molitur. Hæc medici, naturæ ministri ratio, hæc procuratio est. Quòd uerò, uniuersam speculationem ex qua medicus corrector atque minister dictus est, cum reliquis factiuis artibus similem obtineat medicus, à me locupletissimè hoc ipso capite explanatum est, ut repetere non sit opus. Causam similitudinis eius eã reddit Gale. q̃ quemadmodum cæteræ effectrices artes, suas quæque materias circa quas uersantur agnoscunt, sic & Medicina quoque suam agnoscit circa quam uersatur materiam nempè corpus humanum, illius partes, structuramque uniuersam: ac proinde similariũ & instrumentariarum partium naturam omnem atque substantiam probè tenet, illarum usus ac functiones quarum gratia à natura factæ sunt, optimè callet. ut ex libris de usu partium est uidere, & nos quoque prioribus huius libri capitibus exactè ac Galeni sensa enarranda explicauimus. nec ea repetere usui sit. ad quem locum lectorem remittimus. Subdit porrò Gal. affectibus inuentis, curandi scopos esse inueniendos. & rectè quidem. Nam primum omnium, qualis sit curandus affectus inuenire oportet, iuxta illud Hippocratis, In primis speciem morbi (ait) considerare oportet. à qua quidem consideratione omnis medendi ratio sumitur. dicente Galeno, Principium meth. med. morbi cognitionem esse. Qua autem ratione inueniantur affectus, libris de locis affectis planum fecit Gal. tum & in arte medicinali. nempè ex propria essentia sede affecta, positu, doloris proprietate, excrementis, & pathognomicis uocatis symptomatis quæ necessariò morbum comittantur illiusque pecu

li. 4. meth. med.

li. 2. de rat. vict. acu.
li. 2. meth. med.


liaria

liaria & propria signa sunt. ubi autem exactè cognitus per hæc fuerit affectus, inde à morbi natura inuenta, medendi proprios ac singulares sumit medicus scopos: ab indicatione quā morbus suggerit desumptos. vnde autem petendi scopi curationum sint (quos vulgus medicorum intentiones curatiuas nuncupat) millies à Gal. dictum est, nempè à morbi essentia, causis, ab ęgri temperamento, à parte affecta, à regione, ętate, consuetudine cœli statu atque conditione, pręcipuè autem ab ægri virtute, quam perpetuò custodire ac fouere expedit. vt lib. 9. meth. med. scitè dixit Gal. Atq; per hæc ritè Galeni sensa hoc lib. explanata atque interprætata (quantum quidem ingenij mei exilitas ferre potuit) iure arbitror. Maiora proferent, quibus à Deo datum est, maiora præstare posse. Nam vt est apud Lyricum Poetam Horatium. in art. med. libr. meth. med. & de arte curatiua ad Glauco. & in aphorismis.

*Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.*

Et, vt alter quidam ait, In magnis & voluisse satis. Itaque cum iter inuium in hac mea commentatione (sed nō fortasse temere) ingressus sim, inuium iure dixi, cum nemo ante me viam hanc (quod sciri possit & quod in lucem hominum datum sit nostra ætate) pedibns calcarit, aliquid certè frugis meæ sortis hominibus attulisse videbor, si primus mihi & alijs in hoc pulcherrimo conatu viam fecerim. haud paruo quidem certè labore meo, multisque vigilijs, sed tamen, vt spero, fructu nō penitendo. Deus ille Optimus, Maximus, qui dedit velle & perficere, idem ipse semper nobis dexter ac propitius in omni opere bono adesse, clementia ac pietatę sua velit. Cui honor & gloria in omne æuum.

F I N I S.



R E G I S T R V M.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes sunt terniones præter, V sunt Quaterniones.

# Errata sic corrigito.

PAg.1.lin.10.lege medicorum:& lin.14.intellecto lin.19.in lin.20.deinde.lin.45.exactè pag 2.lin.10.animo lin.11.ratamque lin.21.affectus lin.46.in pag 3.lib.2.lege morborum.lin.7.illis lin.41.lege principes pag. 4.lin.6.lege graduum lin.28.lege iactura lin.36.lege pharmaca.lin.43.vrbani.lin.51.lege uiris. pag.7. lin. 15.esse lin.29.quæso.lin.32.quod pag.9 lin.32 Minois lin.33 lege filo lin.ultima.meæ pag.10.lin. 2. lege ex ornanda lin.4.datum.lin.26.lege communio lin.33.ni lin.46.debere pag.12.lin. 1.amicitiæ pag.13 27.lege falli pag. 14.lin.7.effectus pag 14 lin.34.lege notis pag.17.lin.22.lege alius pag.18.lin.7.lege vstione pag 20. lin.1.lege perfectior pag.20.lin.28.Theophrastus & lin.29.axillis & lin.penult. reflexum pag.28 lin.42. lege vita pag.29.lin 33. simus pag.35.lin.8 lege lenium pag 35.lin.38.intellexerimus & lin.43. quæ lin 46.perfectiorem pag.37 lin.34.lege vitta pag.38.lin.47 telorum pag.39.lin.1.lege suppurata.& lin.21.affici.& lin 30 Rursus.& lin.43.constituenti pag. 40.lin.29.petito pag 41.lin.21.authore pag.43 lin.18.indagatum lin.23.definit pag.44 lin.28 vt lin.34. variasis pag. 45.lin.50.eadem pag.48.lin.43.iuribus pag.50.lin.5 nosse & lin.6 didicisse pag 50.lin.19.det.& lin.20.corpore & lin. 26.falli & lin 36.rectrice lin.46 solertia pag 51.lin.36.cultore pag.53.lin.7.homines pag. eadem lin 38. suspiciendum pag.54 lin.18.ingenui pag.55.lin.24.nixi lin.41.paret.pag.56 lin.7.arceant lin 10.autem lin.41.vetitus pag.57 lin 4.cacutinius lin.49.abductis pag.58.lin.5.ac lin.43.naturales pag 59 lin 17 videar pag 61.lin.9 fœtu lin. 44 fine pag.62.lin.2 musculi lin 14.censet lin.23.deest artifex lin.24.cum lin.42.fine pag 62.lin 9 fiet lin.44.æquale, inæquale pag 64.lin.1.huic lin.46.fecari lin.33.omnis pag.65.lin.8.opinionem lin.vlt.moles pag 66.lin.17.eum lin. 9. contactu & item lin. 24 contactu pag.67.lin.23.quodam pag.69.lin.23.quædam & lin 24 auertentium pag.74.lin. 9.surculos pag.eadem lin.40. [illegible] & lin.42.omnes lin.48.alij pag 76.lin.35.morbum pag 77.lin.12 facultatum lin. 13.morbum pag.78.lin.31.vini lin.35.tueri pag.79.lin.13.Cicer.lin.16.aceruo lin 45.habeatur lin 46.contactu pag. 80.contactus lin. 4.lin.12.eam pag.81.lin.4.ensis pag 82.lin 38.inanes & pag.83 lin.20.eam lin 29 uereamur lin 51. niuium pag.84.lin.11.adamas.lin.18.serie lin.34 in margine lege Seneca lin.38.pruina pag 85.lin.43 [illegible] lin.46. cernimus pag.89.lin.3.insensibilibus pag.90.lin.1.permiscent & lin.3 piscis lin.19 Deus lin. 33. coeuntibus pag. 92. lin 47.prædita pag 98.lin.11.habituum pag.101.lin.9.cum pag 104.lin 1 Symmetriam pag 109.lin.3.huic pag 110 lin 8.vesicæ pag.113.lin.2.offerendo.lin.19.sapientissimam pag.114.lin.21.lectio pag 117.lin. 19 eiaculationi pag. 120.lin.35.infarctu pag.121 lin 6.captu lin 27.deest tum similarib. pag.123.lin.11.medicis pag.124. 6.prolabi pag. 125.lin 3.reponi lin.29.præsidiorum pag.127.lin.9.hac pag.128.lin.13.efficiens pag 129 lin. 29. excretiones lin 39. noxa pag.133.lin.42.laborat pag.134.lin.8.decubitus lin 39.musculi pag 135.lin.10.iucundo pag.138.lin. 12.medico pag.139.lin.5.interna pag 139.lin.39.quinam pag.145.lin.19 partis pag.147.lin 41.neruo & lin.50.situs pag 148. lin 40.seminibus pag 149 19.cubiti pag 155.lin.1.oratoribus lin.9 planetarum.lin.14 appendice lin.41 prosit lin. 44.coctibus lin.47.prodidere pag 157.lin.6.tristia pag 160.lin.30.couerticis lin.penult.genere pag 163.lin 7 humanum pag.170.lin.10.potentiarum lin.46 demisso pag.173.lin.17 lecto lin.32.cachochimiam lin.42.[illegible] pag. 178 lin.30.reniteretur pag.179.lin.25 eius pag.181.lin.32.& pag.182 lin 3.deest tota pag 186 lin. vlt. vera pag 187. lin.9.principum & ead lin Medicinæ pag.189.lin.24.annitemur lin 31.eum pag 199.lin.17.mitia pag 212 lin 4 gemina pag.220.lin.34 conuerrentes lin.35. pumicis pag 221 lin 39 benefico pag 224.lin.27.multa lin.32.manus pag. 225.lin 8.nullum pag.231.lin.13.effluxus lin.15 nimius pag.232.lin 42.salutares pag 233.lin.13 [illegible] lin.18 deest, habet pag 234.lin.3.temulentiam pag.235 lin.7.appositū in pag 236.lin.14 tuenda lin.32.morbo pag 237.lin.31. vel pag.238.lin 8 cogitet lin 9.munere pag.239.lin.42.exempla lin.vlt.vt pag 240.lin.26 [illegible] lin.31 [illegible] pag.